DICTYS CRETENSIS

SIVE

LUCII SEPTIMII

EPHEMERIDES BELLI TROIANI.

AD LIBRORUM FIDEM RECENSUIT,
GLOSSARIUM ET OBSERVATIONES HISTORICAS,
ITEM IAC. PERIZONII DE DICTYE CRETENSI
DISSERTATIONEM

ADDIDIT

ANDREAS DEDERICH.

ACCEDIT

DARETIS PHRYGII

DE EXCIDIO TROIAE HISTORIA.

EDITIO PRETIO MINORI.

BONNAE
IMPENSIS ED. WEBERI.
MDCCCXXXVII.

VIRO SUMME REVERENDO

DE LITTERIS OPTIME MERITO

FRID. THEOPH. WELCKERO

HUNC LIBRUM

OB INSIGNEM HUMANITATEM, TUM SUBSIDIIS AD DICTYIS EPHEMERIDEM ILLUSTRANDAM COMPARANDIS, TUM ANIMUM AD REM ALACRITER AGENDAM AMICIS COHORTATIONIBUS INCENDENDO, LIBERALITER PROBATAM

SACRUM ESSE VOLUIT

EDITOR.

I.

DICTYS CRETENSIS.

PRAEFATIO.

Quaestionis, quam Magnus *Niebuhrius* almae Universitatis Bonnensis civibus anno MDCCCXXVII. de scriptore belli Troiani, qui praefert nomen Dictys Cretensis, ipse proposuit, argumentum fuit fere hoc: Inquiratur, num Dictys Cret. in fabulis enarrandis cyclicorum poetarum vestigia legerit? quosque eorum secutus librum suum condiderit? Comparentur aliorum quoque poetarum scriptorumque congruentes discrepantesve narrationes, atque hinc Graeci Dictyis constituatur aetas. Altera quaestionis pars versabatur in exigenda libri latinitate, quem ex Graeco Dictye contractum et a L. Septimio Latine versum iam legimus, atque in Latini interpretis inde investiganda aetate. — In numero eorum, qui ingenii vires periclitati erant, etiam ego fui: concertantique mihi cum victricem palmam ferre obtigisset, prospero hoc eventu incitatus scriptorem, qui per centum et triginta annos neglectus iacuit et accuratiore studio indignus habitus est, ex tenebrarum quasi recessibus in suam lucem provocandum subtiliorique examini subiiciendum decrevi. Quum primum id mihi fuisset consilii, ut ad summos in philosophia honores impetrandos Dissertationem de Graeco Dictye eiusque Latino interprete scriberem, hac autem mente enitenti mihi libellus ad

nimiam amplitudinem vel invito adolesceret, domesticorum etiam malorum turbae propositum rescinderent: tum vero misso isto consilio arduam multaeque operae et laboris rem, Septimii libros qualicunque mea cura emendatos atque illustratos edere, aggressus sum. Igitur initio rem ita institueram, ut de aetatibns Dictyis eiusque interpretis et de utriusque scriptoris indole in Praefatione agerem, notas criticas textui subiicerem, de latinitate plurima in Indice disponerem, de fabularum autem varietate in Observationibus, Ephemeridi adiectis, prolixe disputarem. Difficultates in causis praesertim criticis ob tenuia, quae me in corruptissimo, persaepe etiam mutilo scriptore adiuverunt, praesidia oppositae mihi fuerant ingentes. Nam praeter ducentorum fere, qui in Commentariis Oudendorpii, Heinsii, Burmanni aliorumque virorum doctorum ad varios scriptores ex MSS. Septimii afferuntur, locorum uberem collationem, omnes spes opesque collocatae in tribus erant editionibus diversissimis, Basileensi, Argentoratensi et Amstelaedamensi, atque in admodum raris parcaque manu oblatis adnotationibus Ulrici Obrechti et Josiae Merceri, quibus etiam libros scriptos inspiciendi editionesque veteres conferendi copia fuerat: ubi ab his quoque desertus lectionum varietate conflictabar, in his angustiis pro iudicii mei tenuitate rem gesseram, nunquam non Septimii indolem ac naturam in animo retinens. Et sane multorum locorum olim emendationem haud immerito mihi placuisse, est quod ingenue fatear: sed quo magis laborabam, cogitabam et emendabam, eo plura sese mihi offerebant investiganda atque emendanda; quare in dies magis magisque intolerabile crescebat desiderium librorum manuscriptorum, quorum auxilio omnis anxiae dubitationis discrimine me exemturum fore existimabam. Itaque refertum rebus dubiis opus in lucem prodere spernens, deponendi in tempus curam, novaque subsidia circumspici-

endi animus erat: sicque circumspectantem res improvisa, quae edendi Dictyis curam ut animo meo depelleret cum initio parum abesset, novis posthac viribus me auxit uberrimis. Scilicet indicatum mihi offertur hoc: „*Dictys Cretensis et Dares Phrygius*, ex nova recensione *Io. Casp. Orellii*, cum var. lect. Codd. Sangallensium et Bernensis, atque edd. vett. Accedunt Wopkensii Animadvv. et Glossarium Septimianum.“ Percussus hoc publice ab ipso *Orellio* anno MDCCCXXX. facto indicio, atque, critico apparatu *Orellii* locuplete, meo autem tenuissimo computato, ob tantos frustra adhibitos labores dolore paene oppressus, egregium Ciceronis editorem resumto animo de rebus meis certiorem feci, et missa epistola ausus sum ab eo petere, editioni suae ut praemitteret Praefationem a me scriptam, et loco Animadvv. Wopkensii meas notas criticas susciperet. Abiecto nempe edendi Dictyis consilio, sententias qualescunque meas de Dictye et Septimio doctorum hominum iudicio proponendi ardebam cupiditate; atque post aliquod tempus de fabulis Dictyis singularem libellum in lucem eram proditurus. Relata ad animum considerataque iuvenis conditione, non nullam in Dictyis editione tolerabilius vitae genus assequendi fiduciam collocantis, *Orellius* omnem apparatum suum criticum ad liberum usum mihi tradere promtum se paratumque ostendit: neque ita multo post, cum a *Welckero*, viro humanissimo atque de literis meritissimo, commendatus ei essem, paucis datis acceptisque literis misit mihi collationem trium Codd. et Ed. Principis, editionem Cratandrinam et Mercerianam, atque Dictyn recensendum et illustrandum mihi commisit. Exsultavi equidem laetitia: merito dolebunt alii, quod hoc modo difficillimus scriptor, alioquin peritissimi viri curis quanta luce donatus, illotis immaturi hominis manibus traditus fuerit.

Expertus miram *Orellii* benignitatem et humanitatem, in-

citatus etiam *Welckeri* amicis exhortationibus, auctis viribus diu intermissum laborem alacriter recepi. Quae autem praesto mihi fuerunt critica praesidia, de iis hic loci quam brevissime potero dicam.

I. *Codex Sangallensis,* D. N^o^. 205. Bibliothecae Monasterii, collatus ab Orellio. Adscribitur seculo IX. Antiquissimus hic et praestantissimus est omnium Septimii codicum, qui adhuc collati sunt; ipse quidem laborans vitiis, sed plerumque levioribus.

II. *Codex Bernensis,* N^o^. 367, collatus Orellio auctore a Wengero iuvene Bernensi. Adscribitur hic bonae notae liber seculo XIII. Ad Septimii lib. II. cap. 35, ubi hic Cod. cum Cod. Danielis, quem Mercerus contulit, conspirat in scripturam *adicere*, i. e. adiicere, pro quo cett. MSS. *edicere* exhibent, sic scribit Wengerus: „Iam vides hunc esse antiquum librum Danielis (scil. Petri Danielis), cuius etiam nomen primae paginae inscriptum fuisse mihi videtur; nunc erasum est, et pro eo in quinta pagina Bongarsii nomen legitur.“ Orellius sic mihi hac de re scripsit: „*Der* liber Danielis *ist wohl mit völliger Gewissheit identisch mit dem* Cod. Bernensis, *da sehr viele* Codd. Bernenses *zuerst dem Petrus Daniel, dann dem* Bongarsius *gehörten, durch dessen Erben sie circa* 1613 *an Bern gelangt sind.*“ Sed Cod. Petri Danielis contulit an. 1583. Mercerus; et lectiones haud paucae, quas vir doctus in Notis suis adfert, differunt a Cod. Bernensi, ut in not. crit. meis videre licet. Si nihilominus illam velut identitatem non esse credideris quod in dubitationem trahas, culpa parum curiosae collationis vel Wengero iuveni, vel potius Mercero, qui se paucorum dierum opera recensuisse et illustrasse Septimium pronuntiat, imputanda est. Variae autem lectiones licet plerumque in minimis versentur, tamen ubique eas iuxta ponendas existimavi.

III. *Codex Sangallensis oppidanus*, collatus Orellio au-

ctore a Wegelino iuvene Sangallensi. Plerumque easdem praebet lectiones, quas Cod. Sangallensis sec. IX, in permultis tamen ad Cod. Bernensem accedit: ut quasi fluctuet inter utrumque. Adscribitur seculo XV.

IV. Aliquot centum a me instituta locorum collatio, quos in Commentariis ad varios scriptores ex MSS. Septimii protulere viri docti, praesertim Oudendorpius et Heinsius, ille ex MSS. Leidensibus ad Apuleium, Suetonium, Caesarem, Velleium Paterculum, hic ex vetusto suo Cod. ad Ovidium, Virgilium, Velleium.

Praeter codices, editiones etiam potiores consuluimus: quarum primo loco ponenda est

1. *Editio Princeps*, Colon. 1470 — 1475 (Ebert No. 5779). Diversa ea est ab Ed. Principe posteriore, quae Mediolani prodiit an. 1477, et in Obrechti manibus fuit. Duae igitur sunt Dictyis, ut aliorum quoque veterum scriptorum, Edd. Principes, eaeque sui iuris et ex diversis Codd. profectae. Abest a mea Ed. Princ. Epistola dedicatoria, a L. Septimio ad Q. Aradium scripta et Ephemeridi praefixa. Vel haec res, atque omnis lectionum varietas, quae in utraque Ed. Princ. deprehenditur, cogit, ut duas distinguamus diversas inter se codicum Septimii familias. Mea Ed. Princ. plurimam habet similitudinem cum Cod. Argentinensi, quo usus est Obrechtus. Contulit eam Orellio auctore Wirzius iuvenis Turicensis.

2. *Editio Cratandrina*, Basil. an. 1529. 8. Differt haec editio non nisi parvis in rebus ab Ed. Veneta an. 1499, quae fideliter excusa est ex editione a Francisco Faragonio curata Venetiis an. 1486. 4. Cratandrina vocatur, quia Cratandri typis podiit. Huic originem inter alias debent Edd. *Basileenses* posteriores; in his eae, quae ex officina Henricpetrina exiere an. 1559 et an. 1578. fol., Diodori Siculi, ex

Poggii versione latine editi, quinque librorum deperditorum loco suppositae. Utraque haec Ed. Basil. raro a me nominabitur, quoniam a Cratandrina, si quidem errores typographicos excipis, parum aut nihil differt.

3. *Editio Merceri*, non prima, quam duorum ope codicum, Petri Danielis et Paulli Petavii, in lucem dedit Mercerus Parisiis an. 1618. 12; sed quae ex ea expressa est Amstelaedami apud Io. Ianssonium an. 1631. 16. Quoniam autem nihil differt a prima Merceri editione, huius instar ea usus sum. Aliquoties repetita Merceri editio est Amstelaedami; eaque doctissimam Annam, Tan. Fabri filiam, stimulavit, ut et ipsa Septimium ederet.

4. *Editio Obrechti*, quam curavit Samuel Artopoeus Argentorati an. 1691. 8. Haec editio omnium longe praestantissima est, purgata ab innumeris corruptelis insigni opera Ulrici Obrechti, qui Cod. MS. Bibliothecae publicae Argentoratensis, Ed. Mediol et Venet. contulit. Ornata est integris Notis Obrechti, Merceri, Barthii et Paulli Vindingii, qui audaci manu permulta mala Septimio intulit. Adiecit Artopoeus Indicem latinitatis satis tenuem rerumque memorabilium.

5. *Editio Amstelaedamensis* an. 1702. 4., quam paravit Ludov. Smids. Recusa est ex editione, quam Anna Daceria, Merceri stimulata editione, in usum Delphini vulgaverat Parisiis an. 1680. 4. Praefixit editor Iac. Perizonii de Dictye Cret. nunquam prius editam Dissertationem, et nummos quosdam gemmasque veteres ad illustrandum Dictyn, subiecit textui adnotationum molem doctae matronae, et adiecit integras Notas Merceri, Obrechti, Barthii et Vindingii. Accedunt Daretis Phrygii Ilii excidium, Iosephi Iscani de bello Troiano poema cum Notis Dresemii, et vastus omnium vocabulorum Index, quae in illis scriptoribus occurrunt. Textus, quem repurgasse se ab innumeris typothetarum mendis dicit editor,

pessimis interpunctionibus permultisque corruptelis aegrotat. Ultima est, quod sciam, quae prodiit Septimii editio, qua instar Dacerianae utar, raro a me commemorata, quia lectionum vel plurima pars ex Ed. Cratandrina aliave Basileensi petita est, ceterae ex Ed. Merceriana fluxerunt.

Qui alias volet Septimii cognoscere editiones, is legat Fabric. Bibl. Lat. T. II. p. 79 et T. I. p. 70; Acta Erudit. Lips. an. 1702. p. 49 et an. 1691. p. 334; Catalog. Bibl. Bunav. T. I. Vol. I. p. 56; Sax. Onomast. P. I. p. 9. Cf. Harl. ad. Fabric. Bibl. Graec. I. 5. 8. De iis tantum hoc loco loqui visum, quae ad manum mihi fuerunt.

Praeterea autem diligenter respexi Burmanni, Ruhnkenii, Wassei, Cortii aliorumque in Commentariis suis ex variis Edd. descriptos Septimii locos. Praeter institutam a Gronovio (Obss. in Script.) Eccles. et Perizonio (Dissert. de Dictye Cret.) multorum Septimii locorum recensionem, consului etiam Wopkensii Animadvv. in Dictyn Cret., quae leguntur in Obss. Misc. Crit. Nov. Vol. I. T. II. Iani Theocriti ab Hortis Obss. in Septimium de bello Troiano *in Hamburg. vermischter Bibliothek Bd.* 3. *Stück* 5, ad quas animum meum advertit Orellius, comparare mihi non potui. Ad illustrandum nec non emendandum Septimium non parum contulere Ioannis Antiocheni cognomine Malelae Chronographia, Georgii Cedreni Annales, Tzetzae Homerica, aliorumque posteriorum Graecorum et Dictyis expilatorum scripta; item Guidonis de Columna, iudicis Messanensis, de bello Troiano ex Dictye et Darete latine conscriptus libellus, quem in Germanicum sermonem vertit Henricus Brunsvigensis, de quo infra agimus.

His igitur praesidiis munitus Dictyis editionem denuo aggressus sum; atque scriptorem a permultis corruptelis me repurgasse, ac locis prope innumeris ad integritatem revocasse, sine superbia eloqui audeo. Sed quicquid et in emendando

illustrandoque Septimio operae praestiterim, aliorum id esto iudicium, si qui mea haec cum priorum editorum studiis comparare operae pretium existiment. Ignoscas autem quaesumus iudicii libertatem viri iuvenis, qui vix primis labellis literas gustavit, neque vult alios docere, sed postquam suam sententiam proposuit, et rationibus defendere ac probare studuit, ab aliis meliora doceri.

Formam et institutum operis sic mihi definivi, ut, qui in manibus tibi est, liber repraesentat. Praefando disputavi de Graeci Dictyis eiusque Latini interpretis aetatibus: in qua disquisitione prolixe agendum mihi videbatur, quia, cum ex fabularum ratione Graeci Dictyis aetas esset colligenda, Dictyacarum fabularum natura, et, cum ex latinitate Septimii aetas esset constituenda, totius latinitatis indoles singillatim illustrari debuit. — Subiectae sex Septimii libris notae criticae quod brevitatem, quam cupiveram, nactae non sunt, eius rei culpa non mihi est tribuenda, sed corruptorum locorum magnae multitudini et interpretum audaciis. — Glossarium Septimianum, quod egregii *Orellii* monitu adieci, necessarium mihi visum est, ut ostenderem Septimiani sermonis rationem, qui ex variarum latinitatis aetatum imitatione est compositus, ex Sallustii praesertim stili aemulatione priscaeque latinitatis adfectatione, permixtus singularibus proprietatibus immodicisque loquendi licentiis. Si cui primo adspectu Glossarium obiter evolventi copiosius esse et multarum etiam notarum rerum haud exiguum habere numerum videatur, is perlegat integrum librum: legat attente et sine ullo partium studio; cognoscat etiam, nec unquam animo mittat Septimiani sermonis naturam: atque nihil videbitur superfluum. — Quod adiunctas Observationes Historicas attinet, in his id mihi fuit propositum, ut inquirerem, quam viam ingressus fuerit Dictys in excogitandis et construendis fabulis suis, ut, amotis omnibus alienis assumentis,

historicis, rhetoricis aliisque, ea restaret fabula, cui insistere potuerit, purusque (profecto in multis purus fuit) viseretur fons, unde turbulenti rivuli manarint. Etenim quum Dictys persaepe cyclicos poetas ob oculos habuerit, hac ex re lucri quid cyclo Troico comparari cogitabam. Accipe Obss. meas tanquam conatum hominis, qui non tantum sibi tribuit, ut multum se difficili in re profecisse putet. Illud maximas mihi praebuit molestias, quod necdum quisquam hoc in se laboris suscepit, ut accuratam, quoad ex veterum reliquiis fieri potuerit, historiam antiquissimarum Troicarum fabularum earumque deinceps corruptionum describeret. *Fuchsii* enim Quaestiones de Varietate Fabularum Troicarum Colon. an. 1830. quis huc traxerit? In tali scilicet historia, cum ad antiqua semper sit recurrendum, nemo, siquidem fabulas invertere nolit, principes partes tribuet Dictyi.

Unum denique praemonendum restat. Scilicet ne quis foedum errorem incurrat, ut in Obss. Hist. ob rerum multarum similitudinem Fuchsii me Quaestiones in usum meum convertisse quin etiam passim expilasse somniet, hic loci audiatur dictum, meas Obss., priusquam Fuchsii libellus lucem aspiceret, dudum absolutas fuisse. Quae collata et disputata vides, eorum plurima paucis modo numeris diversa sunt ab iis, quae quinto abhinc anno *Niebuhrio* tradideram, nisi quod brevitati fuerim studiosior, et multa aliter ordinaverim et disposuerim. Permulta, utrique nostrum communia (scilicet eadem cuique homini praesto sunt scriptorum Graecorum et Romanorum monumenta), a me autem alio quo modo expedita, intacta reliqui: alia, quae minus ad Dictyn pertinebant, delevi, et Fuchsium conferri iussi: omissa a me, ad Dictyn illustrandum necessaria, a Fuchsio autem explicata, ex hoc vel adscripsi addito nomine, vel ad eum converti lectorem. Quod ob Fuchsii libellum Obss. meas non retractavi, huius

rei causa in eo quaerenda est, quod illae Quaestiones non eam, quae hodie requiritur, habere praestantiam videbantur; quippe quas ob insignem illius viri diligentiam magni quidem fecerim, quibus autem antiquiores in Excursibus et Commentariis datas fabularum Troicarum accuratiores collationes subtilioresque discussiones plerumque praeferendas putaverim. Meliores me ex promissa Dictyis editione fructus capturum esse sperabam: sed inexorabile fatum consiliis egregii iuvenis cum vita finem posuit.

Scribebam Lincii ad Rhenum Idibus Ianuarii
MDCCCXXXII.

DE DICTYIS CRETENSIS ET L. SEPTIMII, EIUS LATINI INTERPRETIS, AETATIBUS DISPUTATIO.

In disquirenda Dictyis Cretensis aetate proxime convertimur ad Epistolam et Prologum, Latinae Ephemeridis belli Troiani versioni praemissa, atque narrationem de scriptoris aetate eiusque librorum origine et inventione continentia. Quae narratio cum multorum hominum cerebra exercuerit, tum plenam fidem auctoritatemque acquisivit posteriorum Graecorum, scholiastarum, grammaticorum, rhetorum, chronographorum aliorumque, stolida credulitate, atque virorum doctorum recentioris aetatis haud paucorum mira inscitia. Dictyn Cretensem, Daretem Phrygium, Syagrium, Sisyphum Coum, Phidalium Corinthium, alios, quorum vitae aeque nugacibus fabellis involutae leguntur, ante Homerum vixisse — quae fama de Darete et Syagrio iam innotuit tempore Aeliani, diserte H. A. lib. XI. cap. 2. et lib. XIV. cap. 21. utriusque scriptoris libros suis se oculis vidisse testantis — eos bello Troiano interfuisse, loquacem Homerum verissimam sapientissimorum istorum hominum historias expilasse, exque illis fabulosum atque mendax poema suum construxisse, certissimum et nulli omnino dubitationi obnoxium esse longo tempore visum est. Atque viris doctis seculi decimi sexti et septimi hoc ac-

cidisse, iisque, licet ipsi veteres nullum neque historicum, neque alium scriptorem ullum, neque adeo poetam ante Homerum quid scripsisse asseverarint (Vid. Interpp. ad Aelian. XI. 2.), tamen repetitas tot recentiorum Graeculorum linguis fabellas imposuisse, eo magis mirandum, quod eorum aetas per tot literarum quasi reges ac principes, discussis, quae medii aevi capita obduxerant, densissimis literarum tenebris, miris huiusmodi superstitionibus exemta, totque omnino rerum commenticiarum agmen, quibus caeca pristinorum hominum mens fidem adiunxerat, maxima saltem ex parte fusum fugatumque erat.

Praefixa Septimii libris in Cod. Argent. de inventione Graeci Dictyis narratio inscribitur *Prologus.* Eadem legitur in fronte Codd. Merceri meorumque, sed sine ulla inscriptione: in aliis Codd. plane omitti, viri docti testantur. In antiquissimis Edd., quae Mediolani et Venetiis prodierunt, Prologum sequitur *Epistola dedicatoria*, sub nomine L. Septimii vulgata, quam in antiquis scriptis exemplaribus nullam esse dicit Mercerus. A plurimis sane Codd., ut etiam a meis (et Ed. Princ.), abest Epistola, in aliis autem exstat, unde eam habent Edd. Mediol. et Venet., atque ex his, vel etiam ex Codd., aliae. Epistolam esse a L. Septimio, eodem, qui Graecam Ephemeridem belli Troiani in linguam Romanam transtulit, Latine primitus scriptam, qui censuere, me habent consentientem. Prologum non eiusdem esse, cuius est historia, sed a recenti manu, ab indocto quopiam nugatore subiectam, clamat post Mercerum Gaspar Scioppius Parad. Lit. Epist V. Atque Perizonio Diss. §. XXX. et XXXI. auctor fuit Obrechtus, ut multis contenderet, Prologum neque a Graeco Dictye profectum, neque a Septimio in linguam Latinam translatum, sed ab aliquo ignoto homine, qui utroque fuerit posterior, incerto tempore Graece primo scriptum Dictyique praemissum, dein ab alio etiam versum esse Latine. Aliter equidem sentio, et quaero, quis tandem creaverit fabulam de invento Dictye, quisque primus narraverit? In La-

tina Ephemeride nihil istius apparet vestigii: si Graecae Ephemeridi inserta fuisset, vertere eam Septimius vix omisisset; cum enim *literarum Punicarum* lib. V. meminit, cur non totius fabulae? Si igitur Dictys fabulam non finxit, neque etiam antiquior est Septimio, tum vero paene credideris, ipsum Septimium eam excogitasse; nam is primus est, qui in Epistola dedicatoria retulit. Ex quo autem fonte ignotus ille homo, quem scripsisse, posteriorem scilicet Septimio, Prologum Perizonius affirmat, aut etiam posteriores Graeci, Malelas, Suidas, Cedrenus, Eudocia, et alii multi, qui fabulam celebrant, hausere? Ex Septimii Epistola, inquies. Atqui ex ea commemorare *terrae motum* nequivere, cum nulla insit istius mentio: et Malelas linguam Latinam ne intellexit quidem, ut abunde probavit Humfredus Hodius Prolegom. ad Malel. §. XXXVI. Ipsum denique Dictyn fabulam finxisse cum ultro pateat, tum Perizonius Diss. XXIX. ipse profitetur. Prologus factus scriptusque est ab ipso Graeco Dictye, antiquitatem affectante, eodem, qui Ephemerida belli Troiani Graece ad posteros dedit. Ex hoc Graeci Dictyis Prologo, Ephemeridi praemisso, petiere fabulam posteriores Graeci, qui in quibusdam ipsius Dictyis vel retinuisse vel parum mutasse verba videntur, ut ex comparatione apparet. Latina veste Prologum decoravit Septimius, idem, qui totum librum Latine interpretatus est. In alienam sententiam rapti sunt viri docti, vix puto, ob latinitatem; sermo enim Prologi non minus Septimianus est, quam Epistolae: sed quia in Prologo et Epistola nonnulla sibi adversantur, et quia Epistolam Prologo et Ephemeridi interiectam legebant. In hoc altero immerito haeserunt: praeponendam quippe Epistolam Prologo esse, vel verba ad calcem Prologi posita efflagitant: commutatus ordo eo est, quod in aliis Codd. vel Epistola vel Prologus exaratus erat, in aliis omissus. Quod in utroque monumento nonnulla diversa narratione exhiberi videantur, in causa est partim librariorum oscitantia, partim et praecipue ipsius negligentia Septimii, qui in Prologo quaedam, ut in Ephemeride, incuriose vertit et

cum Epistolam scriberet, Prologum ne inspexisse quidem, sed memoriter res retulisse videtur. Negligentiam coarguunt verba Prologi: *literarum Phoenicum, quae a Cadmo in Achaiam fuerant delatae;* et Epistolae: *literis Punicis, quae tum Cadmo et Agenore auctore per Graeciam frequentabantur.* Nam lib. V. 17. ex Dictye legimus: *literis Punicis, ab Cadmo Danaoque traditis:* ex quo loco *Cadmum Danaumque* memorat etiam Syrianus Or. in Hermog. 17: cuius verba extulere Meursius Cret. IV. 11. p. 235. et Fabricius Bibl. Graec. I. 5. 8. p. 31. et ego describo infra. Sicque Dictyn etiam in Prologo scripsisse probabile est, licet solum Cadmum exhibeat etiam Anonymus in Prolegom. Rhetoric. apud Leon. Allatium de Patria Homeri Thes. Antiq. Graec. T. X. p. 1745. his verbis: *Φοινίκων γράμμασιν, οἷς Ἕλληνες τότε ἀπὸ Κάδμου μαθόντες ἐχρῶντο.* — In Prologo Septimius: *terrae motus facti cum multa, tum etiam sepulcrum Dictys — patefecerunt.* unde Suidas et Eudocia v. *Δίκτυς* ita: *τῆς Κρήτης ὑπὸ σεισμοῦ κατενεχθείσης, καὶ πολλῶν τάφων* (Eudoc. *μνημείων*) *ἀνεωχθέντων.* Attamen in Epist. memoria lapsus scripsit Septimius: *collapso per vetustatem — sepulcro.* Scribendum fuit: *collapso per terrae motum putrido ob vetustatem sepulcro.* — Dominus loci, ubi libri reperti, in Epist. vocatur *Praxis;* in Prol. ter repetitur nomen *Eupraxides.* — Porro in Epist. traditur: *commutatos* (libros) *literis Atticis, nam oratio Graeca fuerat, Neroni — obtulit.* Rectior et sanior rerum series in Prol., ubi lege verba *Haec igitur Nero* usque ad *transferri.* Ibi tamen negligenter e Graeco expressa et incuriose verba: *iussit in Graecum sermonem ista transferri;* quae explicantur verbis modo ex Epist. adscriptis. Ibidem verbum *interpretati* ne urgeas precor: non est accipiendum de versione ex Punico sermone in Graecum; erat enim oratio Graeca: quae cum literis Punicis expressa esset, earum periti erant evocandi, qui Graecam orationem, peregrinis literis vestitam, expedirent. Neque aliter explicari debere videntur verba *μεταγράφειν* et *μεθερμηνεύειν* apud Malelam et Eudociam. Malelas nempe

p. 322. ita scribit: *προσήνεγκαν αὐτὸ (τὸ κιβώτιον) τῷ βασιλεῖ Κλαυδίῳ, καὶ ἐκέλευσε μετὰ τὸ ἀνοῖξαι καὶ γνῶναι, τί ἐστι, μεταγραφῆναι αὐτά.* Eudocia: *καὶ μεθερμηνεύθη (τὸ βιβλίον γράμμασι Φοινίκων) ἐν τῇ Ἀττικῇ γλώσσῃ, πεμφθὲν τῷ βασιλεῖ.* — In Prol. legebatur: *Igitur de toto bello sex volumina in tilias digessit Phoeniceis literis.* Correxi: *novem volumina.* Istud *sex*, sive a Septimio, oblito Graecorum librorum novem, et de Latinorum, quos ipse verterat, sex cogitante, sive a librariis, qui itidem eo ipso tempore, quo hunc locum legebant, novem Graeci Dictyis librorum immemores erant, profectum sit, locum habere hic non potest. In Epist.: *Itaque priorum quinque voluminum — eundem numerum servavimus: residua quatuor de reditu Graecorum in unum redegimus.* Ita enim scribendum, non *residua quinque.* Oculorum in prius *quinque* aberratio materiem corruptelae praebuit. Novem libros numerat Suidas: *ἐν βιβλίοις θ'*; et Eudocia: *ἐν βιβλίοις ἐννέα*: qui numerus a Dictye electus videtur ob novem Musas, quibus novem libros dicavit inter alios historicos Herodotus. Mutare istos numeros dubitare non debuit Perizonius Diss. §. XXXI.; nam in nulla re tanta corruptio est, quanta numerorum in libris scriptis. — Sed nimis diu forsan lectorem hac disputatione morati sumus: iam ad propositum revertamur.

Qui primus de Dictyis aetate optime meruit summus Perizonius in Dissertatione de Dictye Cret., insistens factae in Prologo terrae motus mentioni, qui Cretam Neronis tempore afflixit, Dictyn composuisse contendit Eupraxidem illum Cretensem, qui Neroni, in Graecia tunc temporis commoranti, libros suos obtulisset, ut a vanissimo Principe, Graecis artibus mirifice dedito, praemium consequeretur; quod et consecutus esset: ut autem antiquitatem mentiretur, scripsisse literis Punicis et in philyris. Eadem fere Obrechti est ad Prol. sententia. Tantum equidem abest, ut Perizonii opinioni album calculum adiiciam, ut omnia, quae Prologus continet, ficta et falsa iudicem, excepta unica commemoratione terrae motus,

qui anno Neronis penultimo ineunte (vid. Obrecht. ad Prol.) in Creta saevisse traditur. Verum etiam huic solummodo testimonio historica fides tribuenda est: non ob Malelae, Suidae aliorumque posteriorum scriptorum in illud conspirationem, quippe qui Dictyis Prologum exscripserint; sed quoniam, quum Cretam aliquoties terrae motibus et inundationibus graviter vastatam esse ex veteribus constet (vid. Meurs. Cret. I. 15. p. 61. sq.), eundem terrae motum narrat etiam Philostratus Vit. Apollon. IV. 11., cui Dictyis fabulosa inventio, ideoque etiam Ephemeris belli Troiani ignota fuerit. Adde, quod eodem tempore in Asia tres urbes, Laodiceam, Hierapolin et Colossas, terrae motu concidisse narret Orosius lib. VII. 7. Locum Philostrati certatim adduxere viri docti, velut Obrechtus ad Prol.; Perizonius Diss. §. V.; Meursius Cret. l. l. Scilicet quum Apollonius Tyanaeus eodem tempore, quo Nero in Achaia commorabatur, ex Graecia in Cretam profectus esset, atque inde porro Romam iter pararet, tum vero *σεισμὸς ἀθρόως τῇ Κρήτῃ προσέβαλε· βροντὴ δὲ οὐκ ἐκ νεφελῶν, ἀλλ' ἐκ τῆς γῆς ὑπήχησεν· ἡ θάλασσα δὲ ὑπενόστησε στάδια ἴσως ἑπτά.* Adiicit Malelas p. 322, non multo post hunc motum obiisse Neronem, *πολλὰ ἐν τῇ Κρήτῃ χαρισάμενος εἰς ἐπανόρθωσιν.* Huic terrae motui quasi fundamento is, qui Graecam Ephemeridem belli Troiani condidit, superstruxit fabulam de hiatu terrae, in quo a pastoribus transeuntibus arcula visa esset, quae, tanquam thesaurus ablata et aperta, historiam belli Troiani Punicis literis a Dictye Gnosio scriptam continuisset; quae historia ad Rutilium Rufum, Cretae tunc Consularem, translata, Neronisque iussu Atticis literis commutata, in Graecam bibliothecam recepta fuisset. Etenim *Dictys* nomen videtur esse appellativum, a Graeco *δείκνυμι*, unde *δείκτης, δίκτης* (ut est in MSS. Orph. Hym. VII. 16.), quasi *docens, doctor, vates.* Neronis in Graecia praesentiam captavit mendax operis scriptor: imperatori adstructus est eius Consularis Rutilius Rufus, cuius nominis et dignitatis homo nescio an hoc tempore in Creta fuerit,

necne; certe nemo eum diserte nominat. Cf. ad. Prolog. Cum nullus afferri possit illius aetatis fide dignus scriptor, qui sub Nerone quid tale accidisse vel uno verbulo referat, tum vero legenti has nugas cui in mentem non venerint prorsus similes fraudes de libris e terra erutis mirandamque antiquitatem iactantibus? Vid. Fabr. Bibl. Graec. I. 5. 11.

Terrae motus, ut dixi, Perizonium impulit, ut scriptorem Graecae Ephemeridis Neronis tempore vixisse contenderet. Maximi sane momenti debet esse historica fide sustentata mentio; verum hoc certissimum est, nihil aliud ex ea effici, quam, Dictyn non scripsisse ante Neronem, debere autem post eum. Itaque firmum fixumque terminum nacti sumus, ultra quem Dictyis aetatem proferre nulla nisi insana temeritas ausit. Iam vero alter investigandus terminus est, qualem a priore vel circa centum annorum intervallum distantem si invenire eiusdem auctoritatis possem, mihi gratularer. Hoc opus, hic labor. Faciamus periculum in utroque coangustando termino, quantum fieri iustis rationibus possit. Sed altius hic repetendum.

Cum post Homerum et cyclicos, itemque lyricos et tragicos aliosque poetas varia sint scriptorum, qui in rebus Troicis exornandis, amplificandis, explicandis atque corrumpendis suo quisque more versati sunt, distinguenda genera, philosophorum et sophistarum, historicorum et rhetorum, grammaticorum et scholiastarum; ad quod genus referendus sit Dictys quaerenti respondebis, ad historicos. Dictyis indoles exprimitur verbis Prologi: *e quibus* (monumentis) *Troiani belli verior textus innotuit;* Epistolae: *avidos verae historiae cupido incessit;* Malelae p. 322: *ἡ ἔκθεσις τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου μετὰ ἀληθείας παρ' αὐτοῦ συγγραφεῖσα πᾶσα*; Cedreni p. 104: *πάντα ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους μετὰ ἀληθείας συνέγραψεν.* et mox: *τὰ ἐκείνου τοῦ πολέμου διασαφῶν μετὰ ἀκριβείας ἱστοριογραφῶν.* Historicum significat inscriptio librorum *Ephemeris belli Troiani,* et *Annalium* nomen, quod Dictyis narrationibns tribuitur. *Ἱστορικὸν* denique Dictyn vocat

Suidas, eius libros *ἱστορίαν* Eudocia. Historicae huic indoli arcte coniuncta est rhetorica, quae in primis laudatur a posterioribus. Anonymus in Prol. Rhet. apud Allat. l. l. ita: *καὶ γὰρ Δίκτυς ὁ Κνώσιος — δῆλός ἐστιν εἰδέναι τέχνην ῥητορικήν. Δημηγοροῦντας γὰρ εἰσάγει τοὺς ἥρωας, Παλαμήδην ἐκεῖνον καὶ Ὀδυσσέα καὶ Μενέλεον ἐν τῇ κατὰ Τρώων βουλῇ καὶ ἐν τῇ πρὸς Τρῶας πρεσβείᾳ, καὶ πολλοὺς ἄλλους ἄλλως πῶς ῥητορεύοντας.* Hac igitur mente Dictys conscripsit bellum Troianum, atque a raptu Helenae exorsus, singulas res inde Graecos inter Troianosque gestas, etiam antiquiora ad nexum pertinentia intexens, continuo narrationis filo usque ad captam Troiam exposuit, hisque adiecit reditum et fata singulorum heroum post Troiae excidium, finiens cum morte Ulixis: atque haec ut historicus ita narrat, uti, deorum exploso inter res humanas interventu, humanitus omnia fieri potuerint. Quare historicos Dictyn secutum esse, ad illorumque similitudinem narrationes accedere exspectes, qui iam ante poetarum de bello Troiano fictionibus veritatis notam impresserant; in quorum numero habendi praesertim sunt, qui de rebus Troicis, ut Hecataeus, vel etiam qui de originibus populorum, ad res Troianas aliquomodo pertinentibus, scripserunt: fabularum etiam a rhetoribus, grammaticis, aliis, factas explicationes et immutationes reperire speres; itemque quibus inquinantur mythorum collectores et scholiastae, quippe qui antiquissimas fabulas a posteriorum corruptionibus non satis caute seiunxerint, explicationibus allegoriisque illecti historica propagarint, aliaque ipsi audaci manu addiderint, vera et falsa miscentes. Reperiuntur passim, quae ad istorum facta similitudinem videantur; verum in universum frustra illa exspectatio est. Etenim antiquitatis characterem obtenturus, Dictys ad antiquiorum historias se adstringere non debuit; factus enim alios sequendo novus esset, ideoque fide male dignus. Ut fidem acquireret, mutata erant aliter transformanda, vel saltem facies mutanda, vel omnino spernenda antiquiora aliaque refingenda. Atque hoc fecisse Dictyn, sci-

mus ex fragmentis historicorum antiquorum, Hecataei, Hellanici, Pherecydis Lerii, Acusilai, Abantis, Cephalontis Gergithii, aliorum, in quorum scilicet fabularum frustulis nulla cum Dictyacis est similitudo. In fabulis, quas nondum historicorum meditationes tetigerant, omnia ad historicam fidem redigendi studium amplum Dictyi ad innumerabiles corruptiones commentaque aperuit campum. Mutatis pariter atque intactis integrisque parum religiose et anxie adstrictus, quae suae et aetatis suae conditioni non addicunt, pro lubitu renovat et reformat; et aeque audacter tragicorum, cyclicorum et Homeri fabulas tentat: scilicet ut praetexta antiquitas fidem nancisceretur, eum oportuit esse proprietatis studiosum ac vere proprium.

Quomodo Dictys tragicos poetas tractaverit, ex tragoediis tragoediarumque servatis argumentis videre licet. Praecipuo amore amplexus est Euripidem eiusque fictiones. Cyclicos eum ante oculos habuisse, multaque ex iis recepisse, negari omnino non potest: in Procli excerptis multa sunt cyclicarum fabularum argumenta, quae a Septimianis nihil aut parum discrepent. Perspicuam autem rationis, quam in cyclicorum imitatione secutus sit, habebis imaginem, si respicis rationem, qua Homericas fabulas tractavit. Exprimit saepe Homerum, multaque singula ad verbum reddit: in navium catalogo presse eum sequitur; etiam in multis fabulis parum ab eo discrepat. Sed res longe plurimas immutavit, miscuit, confudit. Rerum series et ordo plerumque alius, aliae rerum causae, alii eventus. Arcte passim legit Homeri vestigia; at ex improviso res alienas innectit, quae omnem fabulae indolem mutant, ad aliumque casum eam deducunt. Diversa legimus certamina singularia, diversas pugnas, diversas victorias: Graecis plerumque manifesto favet in proeliis Dictys: multa facta ad alios viros transferuntur; deorum res gestae tribuuntur hominibus. Confusio saepe tanta est, ut comparationem institui posse desperes. Ingens discrepantia in eo versatur, quod Dictys omnem Iliadis characterem evertit. Ira Achillis, quasi

cardo et umbilicus totius Iliadis, aliam originem habet, neque tam conspicua in lucem prodit, quam apud Homerum; quod quidem ipse sentiens irae causas cumulat, alias ex praeteritis temporibus in praesentiam transferendo. Achillis ira, quia iustam causam desideres, non tam obstinata et duratura est, quam apud Homerum: iam enim ante Patrocli mortem victorum Graecorum futilibus precibus flectitur Achilles, iram deponit, hostem aggreditur; sed vulnere in manu accepto bello excedit, donec, Patrocli audita caede, nova adversus Troianos ira repletus, certamen repetit.

Omitto nominare singulos scriptores, quos Dictys respexerit, neque commemorare omnes possum, cum ex reconditissimis saepe fontibus hauserit, pluresque saepe variorum antiquiorum fabulas in unam conflaverit et conglutinaverit. Insigni diligentia omnia, quae de bello Troiano scripta exstabant, integra et corrupta, corrasit: nova ratione Iliaca celebraturus ex his omnibus elegit, non ut tradita retineret, sed ut suae naturae accomodaret, novumque partum conderet, cuius fidem veritatemque ementito argumento, ipsum bello Troiano interfuisse eiusque aliquam fuisse partem, confirmavit et obsignavit. Sed id ipsum, quod veritatem toties (lib. I, 13, V. 17, VI. 10.) nobis persuadere studet, mendacem eum efficit. Totum cyclum Troicum illis corruptionibus primus infecit Dictys; cumque fictiones vel plurimae haud sane ineptae, immo felices sint, atque posterioribus placerent, videlicet quasi emortua mythorum antiquorum pulchritudinem et praestantiam integrorum capiendi et admirandi facultate, contra oblectantibus sese animis in verarum historiarum nugis, permultos Troicam fabulam celebrandi aemulos excitavit: atque ita Dictys merito novi, isque mendaciorum quasi ludi et officinae princeps nominatur et auctor. Inter aemulos autem Dictyis referendi sunt Dares Phrygius, cui ex Dictye multa adhaerere infra docebo, Sisyphus Cous et Phidalius Corinthius, quos itidem Dictyn esse imitatos, ex narrationum frustulis a Malela ex iis servatis palam est; procul dubio etiam Sya-

grius et alii, quorum eadem Dictyis exemplo antiquitas iactatur.

Arripio hic loci occasionem, de alio belli Troiani scriptore, qui ab Henrico Brunsvigensi (de quo infra dicam) una cum Darete, Dictye et aliis commemoratur, nomine *Cornelii*, paucis disserere. Henricus cap. 91. fol. 171. ita scribit: *Die meister die von Troie hant geschriben, der warent etlich von Troie, etlich von Kriechen, etlich von andern landen. Einre hies und Ditis und Cornelius und Homerius und Ouidius und Virgilius.* In MS. Berolin. fol. 86. (testibus *Hagen* et *Büsching*, *im lit. Grundr. zur Gesch. der deutsch. Poesie.* Berolin. 1812. p. 543.) scribitur: *Einre hies Dares, Ditis, Cornelius, Homerg, Ouidius und Virgilius.* Hinc explenda est lacuna MS. mei: *Dares und Ditis*; et forte legendum: *Einre hies Dares, die andern Ditis und Cornelius und Hom. u. s. w.* Igitur Cornelius quoque de bello Troiano memoriae mandavit? et quis est iste Cornelius? Est hic Cornelius, ut paucis dicam, Latinus interpres Graeci Daretis, qui nomen sibi dedit Cornelii Nepotis, et ad Sallustium Crispum se scripsisse fingit Epistolam, quae Latinae Daretis versioni praemissa legitur. Pseudo-Cornelii Nepotis Latinum libellum novit Henricus, sed non legit, et a Graeco Darete imperite non distinxit; unde factum, ut Daretem et Cornelium diversos esse scriptores eorumque historias diversas autumaret.

Hi tamen successores omnes in metamorphosibus suis modum supergressi sunt, ut iure paucos invenerint, qui imitatu dignos haberent. Solus Dares suos nactus est amatores. Eum Latinus homunculus, qui quinto, sexto, vel nescio quo posteriore seculo vixerit, Romana veste lacerrima et sordidissima circumiecit. Ex Darete Iosephus Iscanus Devonius bellum Troianum versibus cecinit, qui utinam elegans ingenium ad melius quidquam applicasset. Ex Graeco Darete bellum Troianum conscripsit etiam Guido de Columna, iudex Messanensis, qui seculo decimo tertio exeunte vixit. Verum non unicum Daretem hic, neque eum fideliter in omnibus rebus se-

ctatus est. Ipse quidem Latinus Guidonis libellus ad manum mihi non fuit; sed Germanicam versionem Henrici Brunsvigensis, qui sec. XIV. scripsit, legi mihique excerpsi, postquam librum sec. XV. manu scriptum ex Bibl. Academiae publicae Senkenbergianae humanissimi Welckeri auxilio nactus eram. Secundum Henricum autem Guido libellum suum exorditur cum natalibus Paridis, eius expositione, educatione inter pastores, et quomodo a Priamo patre agnoscitur; quibus rebus inseruntur nuptiae Pelei et Thetidis, et excitatae trium Dearum ob malum aureum discordiae. Sequitur deinde Achillis partus et educatio. Prolixa narratione haec apud Henricum usque ad cap. 15. fol. 18. perscribuntur; absunt a Darete, sive Graecus scriptor narrare, sive Latinus interpres vertere ea noluerit: ex variis fontibus, posterioribus praesertim, a Guidone congesta videntur. Tum Guido Iasonem introducit, Colchos proficiscentem, ut pellem arietis inauratam auferat; quibus rebus suum Troiae Excidium incipit Dares Phrygius: hinc usque ad proditionem et excidium Troiae Guido Graeci Daretis presse plerumque legit vestigia, ut apparet ex Henrico cap. 15 — 80. fol. 18 — 135. Sed multo uberior est plurimis in rebus Guidonis narratio: unde iure colligas, Latinum Daretis interpretem miserrime in contrahendis rebus versatum esse. In haud paucis tamen Guido etiam deseruit Daretem: sunt enim, quae manifesto ex Dictye hausta sunt (ut in Obss. Hist. ostendam); sunt etiam, quae ex ignotis et posterioribus fontibus petita videntur; alia de suo ingenio adiecisse ipsumque finxisse iure statuas. Reditum Graecorum, seu narrationis seriem ab excidio Troiae, ubi Daretis historiarum finis, usque ad Ulixis mortem, ex Graeco Dictye Guido desumsit. Vid. Henric. cap. 80 — 89. fol. 137 — 166. His expositis, ipsius Guidonis verba lucem accipiunt, ex eius Praefatione a Fabricio Bibl. Lat. T. I. p. 80. allata: *Guidonem transsumsisse in libellum suum ea, quae a Graeco Dictye et Darete Phrygio, continue in Graecorum exercitu praesentibus, fidelissime relata essent.* Deinde ad calcem operis Guidonem

fateri, *se Graecum Dictyn in omnibus rebus secutum esse.* Scilicet in ipso bello Troiano Guido usus est Darete, in reditu Graecorum Dictye; atque hunc in omnibus secutus est, ut vel ex Henrico patet, licet alia copiosius quam Latinus interpres Septimius, alia brevius narrans, in quibusdam tamen, si Henrici hic non est inculpanda negligentia vel mutandi cupiditas, ab exemplo diversus abiisse videatur. Non intermisisse Guidonem varia ex suo seculique sui ingenio attexere, lectori attento facile patere, ait l. l. Fabricius. Ut Henricus quoque in singulis quibusdam aliena versioni suae admiscuerit, Guidonem immutaverit et adumbraverit, attamen me in universum ex eo de Guidone non sinistre iudicasse arbitror. — Ex Guidonis autem imitatione et Henrici versione probabiliter diiudicari puto rationem, quam in bello Troiano componendo sectati sint scriptores Germani ex sec. XIV., Herbartus Fritzlarensis, Hans Yair Noerdlingensis et Conradus Wuerzburgensis (Vid. Hagen et Bueschiog l. l. p. 218. 219. et 216. 230; quos etiam de Henrico Brunsvig. consulas p. 543 sq.), hic Daretis, illi Guidonis sectatores: qui tamen maiore cum libertate usi videntur scriptoribus, quos secuti sunt.

Igitur Dares Phrygius haud paucos, recentioribus praesertim seculis, atque Guidone potissimum auctore, invenit lectores et imitatores. Ceteri belli Troiani, quos supra commemoravimus, scriptores, Sisyphus, Phidalius, Syagrius, non nisi uno et altero loco a posterioribus nomine tanguntur. Dictys contra, sanioribus plerumque figmentis animos alliciens, totque aemulis clarus, post nondum ducentos annos eam celebritatem nactus est, ut ab homine satis docto in sermonem Latinum eius historiae verterentur, magnoque posteriorum scriptorum, εἰς δίκτυον ἱστορικὸν illectorum, numero legerentur et expilarentur. Atque historicum rerum Dictyacarum venenum etiam posteriores mythographos, grammaticos et scholiastas infecisse, vix dubitem: cui quidem opinioni in permultis illorum hominum narratiunculis, quae Dictyis figmentis sunt consimiles, id solummodo adversari videatur, quod

Dictys non ipso nomine auctor praedicatur: et in Obss. Hist. saepius forsan nimis caute dixi, Dictyn cum illis ex eodem similive mihi ignoto antiquiore fonte hausisse.

Cum Dictyis fabulis non exiguum tribuendum pretium, quippe haud pauca ad explenda cyclicorum carmina praestantibus, tum etiam is, qui eas scripsit, ut auctor novae et amplae quasi scholae attentionem nostram contrahere debet. Dictyis discipuli sunt: seculo nono Ioannes Malelas; decimo Constantinus Porphyrogeneta; undecimo Georgius Cedrenus; duodecimo Isaacus Porphyrogeneta, Constantinus Manasses, Ioannes et Isaacus Tzetzes: qui magistri historias ad verbum exscribunt, eumque tanto amore amplectuntur, ut Dictyn hominem sapientissimum, Homerum misellum confabulatorem perhibeant. Addendus his Guido de Columna, de quo supra diximus. — Ex his scriptoribus Graecus Dictys, quem Septimius nimis contraxit et mutilavit, magna ex parte posset expleri, praesertim ex Malela et Cedreno, in reditu Graecorum ex Guidone et Henrico. In qua autem re magna adhibenda cautio est. Malelas enim licet verbatim plerumque Dictyn exscripserit, ut ex frequentissimo cum Septimio aliisque expilatoribus in eadem verba consensu probabile est, sunt tamen, in quibus magistri narrationes vel turbaverit, vel plane deseruerit, aliorum figmenta libentius amplexans et immiscens: haec videlicet est Malelae indoles, cuius Chronographiam decerptam esse ex aliis auctoribus farraginem probavit Humfredus Hodius Prolegom. §. IV. et XXXV. Aliena inserendi cupidine tenetur etiam Guido, et praesertim ceteri Dictyis sectatores: quare, etsi omnes ex Dictye se res suas petiisse fateantur, circumspecta distinctione opus est. Omnino dubia sunt talia scriptorum testimonia, neque praepropere iis adiungenda fides. Iosephus Iscanus praefert, se Daretem sequi: sed si cum Latino Pseudo-Cornelio eum comparas, passim Dareti adversari eiusque loco Dictyn adumbrasse deprehendes. Ipse etiam Septimius quomodo Graecum Dictyn tractaverit quaerenti si responderem, iustum eum inter-

pretis excerptorisque munus opplevisse, mendax essem. Permulta omisisse Septimium arguit iam Guido (vid. Fabric. Bibl. Lat. T. I. p. 80.), qui Graecum Dictyn legit, nosque ex Dictyis expilatoribus probabimus: esse etiam, quae addiderit, quaeque ad aliorum sententiam interpolaverit, persuasum habet Fabricius Bibl. Graec. I. 5. 9. Negligenter saepe vertit, incurioseque rerum summam reddit: e memoria haud raro Dictyis fabulas obiter narrans, vilia exhibens, memoratu dignissima et necessaria silens, obscura, ambigua, quin etiam falsa saepe retulit: adeoque ex aliorum fabulis nonnulla inseruisse, ex iisdem Graeci Dictyis expilatoribus ingenue profiteri suo loco haud dubitavi. Eaedem accusationes cadunt in Cornelium, Daretis interpretem, ex parte etiam in Hegesippum, Iosephi in plerisque rebus interpretem, aliosque, qui Graeca Latine tradiderunt.

Inter sectatorum, quos commemoravi, tempora norunt Dictyn singulaque ex eo retulerunt Suidas, Etymol. M. scriptor, Eudocia. Eustathium, cui notum Dictyn fuisse non est, quod negaveris, in vastis suis ad Homerum commentariis quid ex eo desumsisse, pronuntiare non ausim: atque falsus Kuesterus est, qui ad Suidam v. *Δίκτυς* adeo commemoratum eum ab Eustathio somniat. Eustathius ad Hom. Il. XX. 2. ita scribit: *Ἀκόρεστος* (Achilles) *μάχης, εὐλογεῖται, καίτοι τῶν Τρώων δι' αὐτὸ τοῦτο κακολογηθέντων. τοῦτο δὲ καὶ ἐν πολλοῖς ἄλλοις δεινῶς ὁ ποιητὴς μεθοδεύει· καὶ ζηλοῦσιν τοῦτο μάλιστα μὲν οἱ διαλεκτικοὶ, ὧν καὶ Ζήνων ὁ περιᾳδόμενος, καὶ οἱ ἐφεκτικοὶ, καὶ ὁ τὰ δικτυακὰ μελετήσας· ὧν σκοπὸς, τὰ ἀντικείμενα κατασκευάζειν· οἷον, λουστέον τὸν πυρέττοντα, καὶ, μὴ λουστέον τὸν πυρέττοντα.* Cum cogitare hic Eustathius de aliquo Dictye potuerit, nostrum tamen Cretensem in mente non habuisse plenum locum consideranti persuasum erit, magisque elucet ex verbis illius, qui in Indice ad Eustathii locum sub voce *δικτυακά* nos convertit his verbis: *δικτυακὰ ἐπιχειρήματα, δι' ὧν τὰ ἀντικείμενα κατασκευάζονται διαφόροις μέσοις.*

Qui, Malela antiquior, tanto studio in expilando Dictye versatus sit, scio neminem. Sunt tamen priore tempore, qui Dictyn vel norint, vel respexerint, vel etiam nominarint. Etenim cum fusarum animum lectoris defatigantium declamationum multis posterioribus proximum fontem fuisse Dictyn persuasum habeam, cuius scilicet ars rhetorica in Troicis rebus laude effertur, ut supra vidimus; si quis etiam Tryphiodoro, ubi Troianorum in incendio urbis caedes et gemitus copiose decantat, de Dictye quid adhaerere dixerit, equidem haud valde repugnaverim. Quintum Smyrnaeum non adhibuisse Dictyn certum habet Tychsen Prolegom. sect. III. §. 4. Seculo quinto multorum manibus tritus fuisse videtur. Proclus Lycius Defens. Hom. c. 26. affirmat, nullum Homeri aetate fuisse historicum, qui res tunc gestas memoriae prodiderit: quae sententia argumento est, Proclum novisse sive Dictyn sive Daretem sive similem scriptorem, cuius iactatam antiquitatem refellit. Exstitit certe Procli aetate Dictys, nam descripsit ex eo narratiunculam de Ulixis in erroribus suis fatis *Priscus* Panites, cuius apud Suidam v. *Χαρύβδις* haec verba sunt: *Ἐκεῖσε Ὀδυσσεὺς πάντας τοὺς ἑταίρους μετὰ τῶν πλοίων ὑποβαλὼν, αὐτὸς μόνος περικαθίσας σανίδι ἐν τοῖς ῥεύμασι τῆς θαλάσσης ἐφέρετο. Τοῦτον ἑωρακότες Φοίνικές τινες ἐν τοῖς ὕδασι πλέοντα, ἀναλαβόντες ἤγαγον ἐν Κρήτῃ πρὸς Ἰδομενέα γυμνόν.* Vid. Obss. Hist. ad lib. VI. 5. Eodem seculo ante Priscum Dictyis ex Ephemeride locum (lib. V. 17.) adfert Syrianus Or. in Hermog. c. 17., cuius verba citant Meursius Cret. IV. 11. p. 235. et Fabricius Bibl. Graec. I. 5. 8. T. I. p. 31. *Ἡ γοῦν κατὰ Κάδμον καὶ Δαναὸν Γραμματικὴ ἐπί τε τῶν τρωϊκῶν ἠσκεῖτο, ὥς Δίκτυς ἐν ταῖς Ἐφημερίσι φησὶ, καὶ μέχρι τῶν Εὐκλείδου τοῦ μετὰ ταῦτα ἄρξαντος διέμεινε χρόνων.* Antiquissima haec Dictyis mentio est, siquidem Septimii multo antiquiorem, ut postea videbimus, Latinam versionem excipis. A Dictyis commentis haud alienum suspicor etiam Servium, licet nominatim eum nusquam introduxerit: sed Servius more scholiastarum

etiam alios auctores suos haud nominat, sequitur tamen. Eusebium, qui quarto seculo scripsit, Chron. p. 19. narrantem, Hectoris filios Heleni auxilio recepisse Ilium, expulsis Antenoris posteris, ob oculos habuisse Dictyn et Daretem statuit Scaliger Animadvv. ad Euseb. p. 55. Atqui Dictys lib. V. 17, quem Ioseph Iscanus lib. VI. 883 sqq. secutus est, refert, Aeneam, qui post discessum Graecorum Troiae remanserat, cum sociis ex Dardano et Cherroneso sibi iunctis frustra molitum esse, Antenorem, qui regnum occuparat, expellere, atque coactum cum omni patrimonio ab Troia navigasse: ad Antenorem autem cunctos bello residuos confluxisse, eumque inita cum finitimis regibus societate et amicitiae foedere in regno se confirmasse. Atque Dares c. 43. scribit, Aeneam Antenori Troiam ultro tradidisse, et cum suis inde profectum esse. Negligenter ita quidem ex Darete retulisse Pseudo-Cornelium, ex Henrici, qui Guidonem, Daretis sectatorem, Germanice vertit, copiosa narratione manifestum est. Vid. Obss. Hist. ad lib. V. 17. Ut sit, Eusebio Abantis potius, qui Troica scripsit, narratio obversabatur, ex quo teste Servio ad Virgil. Aen. IX. 264. quidam retulerunt, post discessum a Troia Graecorum Astyanacti, Hectoris filio, ibi datum regnum: hunc ab Antenore esse expulsum, sociatis sibi finitimis civitatibus, inter quas et Arisba fuit: Aeneam hoc aegre tulisse, pro Astyanacte arma cepisse, ac prospere re gesta regnum illi restituisse: — Vel potius Cononis, qui cap. 46. memoriae prodit, Scamandrium et Oxynium, Hectoris filios, e Lydia, quo emissi fuerant, rediisse et omnia circa Ilium loca armis sibi vindicasse.

Seculo tertio Daretem et Syagrium oculis suis vidit Aelianus, ut testatur lib. XI. 2. et XIV. 21. Ut Aelianus Dictyn ignoraverit, eum tamen illius tempore exstitisse, illud ipsum testimonium comprobat: Dares enim vel exscripsit vel adumbravit Dictyn multis in rebus. Quod Guido de Columna dudum animadvertisse videtur, qui teste Vossio Hist. Lat. II. 60. p. 154. ait: *Daretem et Dictyn probe consentire.* intel-

lige multis in rebus, ab illo ex nostro petitis. Ut alia omittam (quae suo loco in Obss. Hist. tangentur), vel characteres heroum Graecorum et Troianorum eorumque foeminarum et filiarum, ipsosque et ordinem, quo perscribuntur, Dares ex Dictye desumsit; ita quidem, ut attributa multa omiserit, nonnulla de suo addiderit, et omnino hac in re sit tenuior. Compara modo characteres apud Daret. c. 12. et 13. cum iis, quos ex Dictye reddiderunt Malelas et Isaacus Porphyrogeneta. Cf. Constant. Manasses p. 20. Scriptt. Byz. T. XII., ubi Helenae, et Barthius ad Claudian. p. 774., ubi Achillis forma a Guidone ex Dictye describitur.

Philostrato, qui Heroica scripsit, haud pauca cum Dictye sunt communia, in vanis commentis simillima utrique indoles, in multis ipsum Dictyn superat, quem viam ei monstrasse putares. Attamen adhibitum ab illo Dictyn fuisse non affirmaverim; nam si novisset, vix, cum terrae motus in Creta facti meminit, silentio praetermisisset fabulam de inventione Dictyis, quae tam arcte cum illo terrae motu coniuncta est, nisi eam ut ineptam consulto omisisse existimaveris.

Ptolemaeum Hephaestionis filium non solum novisse Dictyn, verum etiam manibus trivisse probabile est: ter enim quaterve eum respexit in narrationibus, quae Dictye vix sunt antiquiores, a Malela autem, Cedreno et Tzetza ad verbum ex eo repetitae. Detrectante nempe Agamemnone Iphigeniam filiam immolare, narrat Ptolemaeus lib. V., *ὀργισθέντες οἱ Ἕλληνες ἀφείλοντο αὐτοῦ τὸ κράτος καὶ κατέστησαν βασιλέα Παλαμήδην.* Eadem ex Dictyis lib. I. 19. narrant Malelas p. 103. et Cedrenus p. 123.; ad eandemque fabulam adludit Tzetzes Antehom. v. 189, canens, Agamemnonem iterum a Graecis ducem creatum esse. Novit Dictyis fabulam etiam Dares, qui c. 25. in ipso bello ad Palamedem ob Agamemnonis ignaviam in rebus gerendis a Graecis belli summam esse translatam narrat. Illius fabulae conditorem iudico eum, qui Graecum Dictyn nobis composuit. Impulerit autem Dictyn ad hanc recentioribus tam amatam fictionem locus Euripidis

Iph. Aul. 94. ubi canitur, Agamemnonem Talthybium omnem exercitum dimittere iussisse, cum nunquam passurus esset, ut filia occideretur: tandem, pergit contra Euripides, Menelaum (apud Hygin. fabul. 98. et Henric. c. 33. fol. 57. Ulixem) multis precibus ei persuasisse, ut atrox facinus sustineret. — Idem Ptolemaeus lib. VI. ita retulit: *ὡς Ἕλενος ὁ Πριάμου ἐρώμενος Ἀπόλλωνος γένοιτο· καὶ λάβε παρ' αὐτοῦ δῶρον τόξον ἐλεφάντινον, ᾧ Ἀχιλλέα τοξεύσεις κατὰ τῆς χειρός.* Fons huius vulneris est apud Dictyn lib. III. 6. Fortia facta edit Helenus Hom. Il. XIII. 576; Achillis genu ab Agenore vulneratur Il. XXI. 544: sed nec apud Homerum, neque etiam alium antiquum poetam de vulnerata ab Heleno Achillis manu quid invenio. Tale vulnus fingere Dictys debuit, ut Achillem, cuius ira ante Patrocli mortem rumpitur, ut supra audivimus, postea, interfecto Patroclo, maxime iratum in pugnam redeuntem facere posset; praeterea quod, si Achilles certamini interfuisset, Patroclus ab eo contra Hectorem adiutus mortem forte evitasset. — Eodem lib. VI. narrat Ptolemaeus: *ὅτι μετὰ Ἀνδρομάχης καὶ τῶν υἱῶν αὐτοῦ Πρίαμος ὑπὲρ τῶν Ἕκτορος ὀστῶν ἱκέτης ἀφίκετο πρὸς τὸν Ἀχιλλέα.* Priamum secutam esse Andromacham una cum Polyxena et Hectoris filiis Astyanacte et Laodamante, ex Dictyis lib. III. 20. referunt Malelas p. 157, Cedrenus p. 105. et Tzetzes Hom. 315. Atque eundem cum his fontem habuisse videntur Philostratus Heroic. XIX. p. 737 Olear., Servius ad Aen. III. 322. et Constant. Manasses p. 24., qui Polyxenam Priamo adfuisse tradunt; itemque Ptolemaeus. Dictys scilicet huius comitatus antiquissimus testis est. Apud Homerum sectantur Priamum eius *παῖδες καὶ γαμβροί*, qui autem in campo Troiam revertuntur; atque solus Idaeus praeco, currum regens, Priamum comitatur, cum eo Mercurius, ab Iove comes et viae dux missus. Attamen solus Achillem adit Priamus, Idaeo ad currum relicto. — Adiicio quartum Ptolemaei locum. Scilicet apud antiquos poetas altum est silentium de causa, ex qua Menelaus, Paride Spartam adven-

tante, Cretam profectus sit, nisi veteris hospitii Idomeneum inter et Menelaum mentione Hom. Il. III. 232. quid tangitur; silentque eam illi ipsi, quibus sat occasionis illius commemorandae datum erat: inter alios Ovidius, qui ter in Epistolis Helenae et Paridis (cf. Meurs. Cret. l. l.) tangens Menelai iter, ipsam causam nusquam adiicit, licet Her. XVII. 155. canat, magnam fuisse iustamque subitae viae causam. Septimius Ephemeridis initio retulit, Minois pronepotes ad dividendas Atrei (quem alii Catreum et Creteum pro varia dialectu vocant) opes Cretam convenisse; in quibus Menelaum. Addit rhetor Alcidamas, antiquissimus huius rei testis, in Orat. Ulixis contra Palamedem, cuius verba descripsit Meursius Cret. IV. 4. p. 141., inter heredes cum lis exorta esset, Moli filios Spartam accessisse, rogantes Menelaum, ut ipsos conciliaret hereditatemque distribueret. Haec satis antiqua opinio non placuisse posterioribus videtur, utpote a cyclicis aliena, quaeque historico alicui, qui *Κρητικά* scripsit, sin ipsi Alcidamanti rhetori, debuerit originem. Spreverunt eam etiam Dictyis sectatores, si Septimio fides est. Scilicet summa religione Europam in Creta insula cultam fuisse, et quotannis more patrio sacra Gortynae, urbe principe Cretae antiquissima, in honorem Iovis et Europae facta esse, post Sept. I. 2., quo antiquior et locupletior testis mihi desideratur, referunt Ptolemaeus lib. V, Malelas p. 117, Cedrenus p. 101, Tzetzes Antehom. 100. 107. Iidem uno ore testantur, eo ipso tempore, quo Paris Spartam venerat, Menelaum, ut illorum pars fieret sacrorum, Cretam se contulisse. Cuius vulgatae fabulae si Dictys non est auctor, nescio alium. Septimium enim duobus primis capitibus rectam Graeci Dictyis rerum seriem veramque narrationem nobis reddidisse, est quod dubites. Ait cap. 2: *re cognita confluunt.* Qua re, quaeso? Graecos reges ad dividendas Atrei opes venisse, eosque magnificam vitam agere. Igitur hac re audita confluunt omnes Europae posteri, atque eius festum celebrant? Mira narratio. Dictys vix scripserat *re cognita*, sed quid tale: „Quum in-

ter praesentiam regum Graecorum ἑορτὴ Europae incideret;" et perrexerat: „omnes illius posteri circa reges Graeciae congregati sunt, festumque inceperunt, quod more patrio quotannis splendide celebrari solebat, et hoc anno eo splendidius agebatur, quia Graeciae principes aderant. Inter huius festi tumultum nuntius venit, Helenam a Paride raptam, quibus cognitis Menelaus Cretam reliquit." Uberrimam, ut credi par est, de hoc festo Dictyis orationem sectatores videntur respexisse, neglecta hereditatum divisione, paucis forte absoluta: ἑορτὴν Europae causam Menelai viae habuerint eamque retulerint. Sed coniecturam pronuntio. Possunt Ptolemaeus et Malelas (hunc Cedrenus et Tzetzes saepe, haud inspicientes ipsum Dictyn, secuti sunt) etiam alium mihi ignotum fontem habuisse, quod ob Ptolemaei testimonium haud obstinate negaverim. Sin manavit alius fons, manavit ex historico, qui Europae cum pluribus Cretae locis, tum praecipue Gortynae ex antiquissimis inde temporibus cultae festorumque ibi dierum ei celebratorum (vid. Welcker Kret. Kolon. in Theb. p. 3 sq. 9 sq. et passim) fundamento ceteram fabulam superstruxerit.

Fontem narrationis de Graecorum cum Troianis pacta pace (Dict. lib. V.) in antiquiore scriptore esse reconditum, haud diffiteor; sed Dictyis fusa descriptio moverit Dionem Chrysost. de Ilio non capto p. 353 sqq. Vol. I. Reisk., mendacem pariter rerum Troicarum scriptorem, ut aeque copiose rem in contrariam partem expediret, ac narraret: Troianos devictis Graecis pacem petentibus concessisse, ea conditione, ut belli sumtum ipsis restituerent; Graecos autem solvendae pecuniae impares, Ulixe suadente, reliquisse Troianis anathema Minervae, inscriptum Ἱλαστήριον Ἀχαιοὶ τῇ Ἰλιάδι, ut signum esset Troianorum victoriae: atque ita pacem amicitiaeque inter utrumque populum foedus pactum. Sed nihil affirmo; ipsius enim Dionis sententia, Homerum audacius omnia finxisse, quia nulli fuissent alii poetae aut historici, a quibus res Troicae narrarentur, sed ipsum primum aggressum esse de illis scribere, argumento esse videtur, nihil Dionem aut

scivisse, aut, si sciverit, nihil credidisse de Dictyis Ephemeride. Cf. Kuhn. ad Aelian. XI. 2.

Ulterius progredi non possum, nec debeo. In scriptoribus enim, qui ante commemoratos et primum seculum vixerunt, licet absurda commenti sint quam plurima, qualia inveniuntur in Hygino, Diodoro, Parthenio, Conone, nulla est fabula Dictyaca. Hyginus haud novit Dictyn; immo Dictys, vel saltem Septimius usus est Hygino, ut suo loco docebimus: atque cum Diodoro, Parthenio, Conone aliisque antiquioribus si in vanis commentis Dictys consentit, vel appropinquat, eosdem cum illis fontes habuisse statuendum est; nam ante seculum primum et ante Neronem Dictyn non scripsisse, supra confirmavimus. Etiam in iis, quae Ptolemaeum ex Dictye sumsisse censui, incertum esse pedum nisum, et posse utrumque eodem usum esse fonte affirmabis: atqui creber scriptoris, qui ad mendaces rerum Troicarum auctores, qualis ipse est, animum applicuit, in eadem fere verba consensus, in fabulis praesertim, quae omnino novitatis speciem praeferunt, cum vix sit fortuitus, tum vero Aeliani, qui Daretem, Dictyn in multis sectantem, oculis suis vidit, testimonium meam opinionem veri similem facit: quam prorsus comprobat Septimii aetas; quem videlicet posteriore secundi seculi parte Dictyn ex Graeca in linguam Romanam transtulisse persuasum habeo, atque ex versionis latinitate mox demonstrabo. Ex hac autem Latina versione magnam suspicari licet Dictyis celebritatem, ut centum certe annos, vel amplius, scriptam iam Ephemeridem fuisse accipi queat, antequam ad versionem aliquis accesserit. Atque non possum, quin ulterius progredi suspicionem faciam ingenueque fatear, etiam quinquaginta annis ante Ptolemaeum scribere Dictyn potuisse: neque nimiae audaciae crimen irruere arbitror, si quis Graecam belli Troiani Ephemeridem circa medium seculum primum, itaque haud ita multo post Neronis aetatem conditam ab historico, sive Cretensi sive Graeco, statuerit, cui terrae motus in Creta nuper saeviens recenti memoria inhaesit.

Recentissimus scriptor, qui se Graeco Dictye, ut et Darete, usum esse testatur, est Guido de Columna. Post hunc nemo fuit, qui eum se vidisse narraverit; atque Constantinus Lascaris, qui altera parte seculi decimi quinti vixit, affirmavit, suo tempore nusquam Dictyn apud Graecos reperiri. Vid. Francisci Faragonii Epist. ad Rictium Messanensem in Thes. Antiq. Graec. T. X. p. 1745; Nicolaus Loënsis Misc. Epiph. lib. IV. c. 20. in Gruteri Thes. Crit. T. V. p. 455; Fabricius Bibl. Graec. I. 5. 13. Hinc efficitur, quantum sit Marco Tatio fidei tribuendum, cuius Germanica Dictyis versio commemoratur hoc titulo: „*Dictys Cret. Historie aus dem Griechischen übersetzt durch M. Tatius.* 1540. *fol.*" Qua de re Harles ad Fabric. l. l. sic iudicat: „Unde Tatius Graecum Cod. acceperit, aut cur illam iactarit epigraphen, equidem nescio." Verum dixerit Tatius an falsum, collata huius versione cum Septimiana et Dictyis expilatorum narrationibus elucesceret.

Sequitur difficillima de L. Septimii, Latini interpretis, aetate quaestio, in qua virorum doctorum quot capita, tot fere sensus. Ancipitem viam ingressi sunt: alii aetatem constituere moliti sunt ex librorum latinitate, alii ex singulis virorum dignitatumque nominibus: atque inter utramque partem cum magna sit dissensio, tum etiam singuli cuiusque factionis socii admodum inter se discrepant. Scioppium, Parad. Lit. Epist. V. ad Cornelii Nepotis similitudinem accedere Septimium, et omnino Velleii Paterculi, Valerii Maximi et Curtii Rufi aetate vixisse contendentem, foedissimi erroris convincunt Gronovius Obss. Eccles. c. 25. et Perizonius Diss. §. XXXVIII. Sed ipse erravit Gronovius, Septimium ob vocem *navigium*, qua sexies (lib. I. 5, II. 4. 40, V. 11. 16, VI. 9.) pro *navigatio* utitur, in quintum seculum reponens. Falsus enim est, neminem esse affirmans, qui sic loquatur, antiquiorem Cervidio Scaevola: nam prisca vox est *navigium* ista significatione, qua utitur Lucretius V. 1004. *improba navigii ratio tum caeca iacebat,* i. e. navigationis, ut accipiunt Obre-

chtus, Forcellinus Lex. et alii: atque cum Lucretio sic alios quoque antiquos scriptores locutos esse veri est simillimum: unde frequens huius vocis usus apud iurisconsultos seculi secundi. Scaevola Dig. 45. 1. 122. *Idque creditum esse in omnes navigii dies.* et paulo post: *redderet universam continuo pecuniam, quasi perfecto navigio.* Ulpianus Dig. 43. 11. 1. *Ait praetor, iterque navigio deterius fiat: hoc pro navigatione positum est.* Hinc ad postera secula hic usus transiit, ut ad Servium, Rutilium Numantianum, alios, quos produxit Gronovius. Infimae latinitatis scriptoribus Septimium adnumerat Cortius ad Sallust. Iug. 72. 7. ubi haec scribit: „Sallustius saepissime *ea tempestate* et similia dixit, ut notaret *tempus:* atque ita Livius, Tacitus, Curtius aeque frequenter; mansitque ea notione apud historicos usque ad infimam latinitatem, quod Dictys, Hegesippus, Sulpicius Severus iisque iuniores ostendunt." Ex admodum gravibus dicendi formulis, quae infra ponam, coniecturam quis capere possit, Septimium pertinere ad aetatem Sulpicii et Hegesippi. Verum uterque scriptor, aeque ac Septimius, aemuli sunt Sallustii aliorumque scriptorum antiquorum, atque, quae nostro cum illis solis communia scio, eorum indoles cogit ad suspicionem, eundem omnibus antiquum fontem manasse. Barthius Advv. LVII. 20. viris doctis accedit, qui aevo Theodosiano Septimium scripsisse coniectant. Vossius Hist. Lat. IV. 2. seculis aliquot post Constantinum Magnum vixisse putat: cui opinioni accedit Ol. Borrichius de Var. L. L. Aetat. p. 12. Eiusdem Vossii, de Idol. IV. 50. dicentis, S. Ambrosio aequalem vel supparem esse Dictyis interpretem, veri similem vocat coniecturam Fabricius Bibl. Lat. T. II. p. 70.

Alterius factionis sunt Mercerus, Obrechtus et Perizonius. Mercerus Septimium post Constantinum Magnum scripsisse putat, ex Prologo, qui Dictyn in sepulchro repertum *Rutilio Rufo, Cretae tunc temporis Consulari,* oblatum refert: *Consulares* autem, quamvis quosdam ab Hadriano, plerosque tamen a Constantino M. esse institutos, qui in Occidente vi-

ginti provincias magistratibus Consularium nomine parere iussisset, in Oriente quindecim, in iis *Cretam*. Futile hoc argumentum merito appellat Perizonius Diss. §. XXXVII, prolatis Salmasii ad Spartiani Hadr. c. 22. rationibus, qui copiosa contra eandem aliorum quoque virorum doctorum sententiam disputatione ostendit, legatos consulares, vel simplici nomine Consulares, originem debere non Hadriano vel Constantino, sed ipsi Augusto. Cf. Guido Pancirollus ad Notit. Imp. Orient. cap. 156.in Thes. Antiq. Rom. Graev. T. VII. p. 1762. et Obrechtus ad Prolog., qui inter alia afferunt nobilem locum Dionis Cassii lib. LIII. p. 577 sq. Steph. ed. an. 1572. fol. Obrechtus et Perizonius miror quod certam sint ex incertis virorum nominibus investigare aetatem periclitati. Perizonius nempe Diss. §. XXXIII, praeeunte Obrechto, ex *Q. Aradii Rufini* aetate, ad quem Epistola Ephemeridi praemissa scribitur, aetatem Septimii indagandam arbitratus, Diss. §. XXXVI Diocletiani aevi scriptoribus aequalem eum fuisse multis contendit. Atqui haud ignoraverint viri celeberrimi Epistolam Daretis Phrygii miserrimo partui praefixam: cuius libelli scriptori ficta nomina *Q. Aradius Rufinus* et *L. Septimius* quasi facem praetulisse videntur, ut et ipse in simili epistola falsa nomina subiiceret, et Cornelium Nepotem ad Sallustium Crispum scribere faceret. Suppositicia sunt ista nomina, aliudque sibi posuit nomen Latinus interpres, ut et suis et posteris hominibus haud innotesceret: pariter atque ille, qui Graecam Ephemeridem condidit. Miram quasi coniurationem, quae omnes conatus certi quid dicturo irritos reddere videatur! Rectam viam, quum aliud refugium reliquum sit nullum, ingressi sunt illi, qui ex librorum latinitate Septimii aetatem constituendam censuere: tum vero non uni, neque etiam duobus tribusve vocabulis insistendum erat, verum tota oratio in singulis accurate excutienda.

Septimius ne id quidem, quod usitatum suo tempore erat, sequitur genus dicendi. Ut novus est Dictys in fabulis, sic Septimius in genere orationis. Miscet Dictys vario-

rum scriptorum fabulas, novasque ipse condit: Septimius confundit variarum aetatum latinitatem, novaque verba et dicendi formulas introducit. Primum, quod certatim viri docti animadvertere, Sallustium diligentissime aemulatur. Per omnes libros insigne Sallustii imitandi studium conspicuum est, quod quidem cum in paucis sit vituperandum, in plurimis valde laudandum est. Ubique reperimus Sallustianas loquendi proprietates, constructiones, sententiarum connectiones et varietates, phrases verbaque. Non anxiam imitandi rationem sectatus, cum alia ad verbum expresserit, amputavit alia, alia addidit; multa interpretatus est, longe pleraque suo more liberius tractavit et immutavit. Alacritatem ac robur Sallustianae orationis sua facere conatus, praecipue brevitati imitandae egregiam felicemque operam navavit. Lubentissime respexit etiam Tacitum, Sallustiani stili aemulum. Utrumque in brevitate superare contendit; sed nimium in hoc studio versatus, brevitates saepe intolerabiles, ellipses durissimas, constructiones confusas vixque expediendas procreavit. Eorundem secutus est in adhibendis antiquis formis exemplum. Haud paucas easque elegantissimas dicendi formulas debet Ciceroni: atque exordium orationis Ciceronianae pro Roscio Amerino tribuit Ulixi (lib. II. 21.). Exquisitae formulae multae sunt ex Livio, Caesare, Nepote aliisque scriptoribus bonis petitae: hinc I. Fr. Gronovius Septimium vocat *optimorum aemulum;* quae Gronovii verba commendat Niebuhrius *Röm. Gesch. Bd. I. p.* 258. Etiam poetarum flosculis orationem suam exornavit. Poeticae haud paucae sunt descriptiones: in quarum numero praeter certamina nonnulla sunt orationes, egregio plerumque dicendi genere excellentes, atque luctus et desperatio Troianorum post Hectoris mortem. Virgilii permulta sunt, nonnulla Terentii et praesertim Plauti. Imitatus Septimius etiam scriptores est multo antiquiores, ut in eum quoque cadat Ruhnkeni in Praefat. Apuleiana de Gellio et Apuleio sententia: „modo cum Cicerone, Caesare et Livio, modo cum Evandri matre loqui videntur."

Imitationis solet esse comes cupiditas novandi. Nova autem in scriptoribus cadentis et posterioris latinitatis debent esse peiora. Copiosus Septimius est ab inusitatis, novis, passim etiam sordidis dicendi generibus. Ut commemorare omittam locutiones saepe dubias et ancipites, brevitates nimis quaesitas, ellipses duriores, constructiones salebrosas, impeditas et intricatas; novas ad postremum atque inauditas introduxit loquendi formulas ac singulares proprietates, quarum nusquam alibi exstent exempla: unde pessimam de se famam opinionemque excitavit, ut Septimianae latinitatis dubia et suspecta evaserit auctoritas. Non minor tamen virorum doctorum lapsus, qui formulis, quae nostro cum melioribus optimisque scriptoribus sunt communes, itemque diligentissima Sallustii imitatione, in summa, qui obiter instituta lectione decepti, aureae eum vel huic proximae latinitatis aetati adscripsere; quam foedus est error eorum, quibus mala et pessima verba formulaeque imposuere, ut in quartum, quintum seculum et ultra detrudere ausi sint. Ut enim, quae larga manu infra enotabimus, posterioris latinitatis indicium aperto fronte praeferant, attamen non sunt ea huiusmodi, ut ad certam aetatem designandam satis valeant. Sordidae phrases, abs quibus aliorum bonorum auxilio manuscriptorum uno et altero loco forsan haud frustra scriptorem nostrum te speres liberaturum, temerariae licentiae et negligentiae quoque sunt tribuendae: verborum, quae nunc videntur nove dicta, bonam partem Septimium, utpote antiquitatis et, ut formarum, ita verborum exoletorum affectatorem, e priscis scriptoribus, quos legere fortuna nobis interdixit, petiisse quis negaverit? Levissimi, si de aetate quaeritur, argumenti sunt, quae ex Graeco translata proponemus: quibus adnumerabis etiam nonnulla, quae nova solique Septimio propria dicemus, inque iis mala non pauca, quae ex aeque impuro Graeci Dictyis sermone fluxerint. Tenendum quippe est, versionem Latinam, licet plerumque liberam, in permultis tamen fidelem et Graecae orationi adstrictam, esse in manibus: ipsius autem Dictyis

sermonem impurum fuisse, clarissimo argumento est expilatio Malelae. Reputandum etiam, scriptores posterioris latinitatis omnes, in primis vergentis secundi seculi, nova et inaudita continere multa, quorum partim frustra quaeras exempla, alia suspicionem longe iunioris latinitatis moveant. Atque quae partim barbariei seculi, quae in pravum abstraxerit, sunt tribuenda, partim et praecipue ex Septimii arbitrio et immodica licentia profecta sunt, ex his ad ullam latinitatis aetatem frustra concludas, quippe quae ab omnibus etiam pessimis aetatibus plerumque sint aliena et prorsus singularia, quaeque nihil contineant, quod non possit esse partus novandi cupidi et suam aetatem tenebris involvere studiosi scriptoris, qui secundo seculo exeunte vixit.

Iam igitur insolentium, inusitatarum novarumque, malarum et pessimarum phrasium verborumque, quibus Septimii orationem inquinari saepe clara voce clamitatur, omissis multis, quae iniusta manifesto probra perpessa sunt, multis etiam, quae licentiae et audaci imitationi, non autem certo seculo sunt adscribenda, sequatur delectus et census.

Lib. I. 4. *abstractio coniugis*, pro raptu. Consimiliter Dares c. 4. *abductio Hesionae* (cf. Sulpic. Sever. H. S. I. 50. 3.), Septim. II. 38. *productio exercitus*. Facta a posterioribus nomina ab usitatis verbis *abstrahere*, *abducere*, *producere*.

Lib. I. 21. *confusione aëris ereptum lumen*. Poetica imagine *confusio aëris* dicitur de coelo, tonitru, nubibus, imbribus turbato ac foedato. Verbo *confundere* in hunc senum utuntur Statius Theb. V. 42. *Olympus confusus*. Ammian. Marcellin. XVII. 7. *concreti nubium globi laetam paulo ante coeli speciem confuderunt*. Boëthius Consolat. lib. II. Pros. II. *terrae vultum nunc floribus frugibusque redimire*, *nunc nimbis frigoribusque confundere*. Laudat Septimii locum Wasseus ad Sall. Iug. 45., sed exempla, quibuscum nostrum componit, parum huc faciunt. Eiusdem sensus et aeque poetica phrasis est *motus coeli* ad finem eiusdem Sept. capitis; qua notione obvium est *moveri et misceri*. Cf. Lucret. IV. 137.

Ut nubes facere interdum, quom crescere in altum Cernimus, et mondi speciem violare serenam, Aëra mulcenteis motu.

Lib. I. 22. *ab inquietudine Iphigeniae cohiberent sese*, i. e. ab inquietatione, ab inquietando. Aliud huius activae significationis exemplum desidero; ubique passive dicitur *inquietudo* pro inquies. Sed cf. Gloss. ad lib. VI. 12.

Lib. II. 10. *duces profectionis*. *Profectio* actum proficiscendi significat; et quisque Latinus dixit *dux viae*, *itineris*, non *profectionis*, quod barbarum est.

Lib. II. 15. *veluti publicum funus eius*. Explica: funus eius (i. e. cadaver), veluti publicum funus esset (i. e. quasi publica sepultura curaretur; vel: ut in publico funere assolet), igni crematum est. Duae igitur notiones, et cadaveris et sepulturae, in una voce *funus* confunduntur: quod iam vidit Perizonius Diss. §. XXXVIII.

Lib. II. 41. *aratui insistere*. *Aratus* obsoleta vox pro aratione. Sic lib. III. 27. *tractatus*; V. 16. VI. 12. *abscessus*; I. 4. *discessus*; I. 8. V. 10. 17. *interventus*; V. 14. VI. 4. 9. 10. *intercessus*; II. 19. *rogatus*; I. 9. IV. 17. *horatus*; IV. 22. *petitus*; V. 6. *accitus*. pro: tractatio, abscessio, cet. De similibus cf. Burmann. ad Ovid. Met. IV. 566. Infimae latinitatis sunt *aratum* et *aratura* pro aratione. Vid. Du Cange in Lex. med. et inf. lat. s. h. vv.

Lib. IV. 15. *in luce belli*, h. e. in aperto proelio, ut explicat Artopoeus in Ind. Singulari certamini opponitur mixtorum exercituum cruenta turba. Nescio an alius scriptor eadem haud ineleganti imagine usus sit.

Lib. I. 23. *permoestum*. Praeter hunc locum Forcellini Lex. suppeditat Paulin. Petricor. lib. V. de Vita S. Martini v. 711. *nam cum Trevirica permoestus ab urbe rediret*. Similis generis est *perlaudabilis* lib. VI. 14.

Lib. II. 15. *imbellum*. Multa adiectiva et tertiae et secundae simul declinationis exitum admittunt; in quibus notum etiam *imbecillis* et *imbecillus*. Sed *imbellus* pro imbellis, ignorant qui nunc exstant scriptores Romani. *Imbellis* habes lib. IV. 15, V. 13.

Lib. II. 20. *iniuriae eius patientes.* Libri mei, Merc. et Obr. *participes.* Melius hoc iudicat Wopkensius Misc. Crit. Nov. Vol. I. T. II. p. 27. quam quod in Ed. Dacer. ei oblatum *patientes.* Sed *patientes* legerat etiam Barthius, est in Ed. Crat. et in vetusto Cod. vidit Heinsius ad Phaedr. I. 6. Recte. *Participes* scholiastae debetur. *Patiens* vulgo dicitur, qui facile fert iniuriam sibi ab alio illatam; nostro autem loco, qui simul animo suo patitur iniuriam alii illatam, qui iniuriam alii admissam participi fert animo. Hoc sensu Sulpic. Dial. III. 18. 2. et Hegesipp. I. 40. adhibent *compatientes.* Cf. Hegesipp. I. 42. 44. V. 18; Isidor. Orig. lib. X. fol. 68. H. 2. *compati;* Hegesipp. III. 2. *compassio.* Quae verba etiam aliis sequioris aetatis scriptoribus usitata esse docet Vossius de Vit. Serm. IV. 4. et post eum Vorstius ad l. Sulpic. Ut formatum hoc est imitatione Graeci *συμπάσχειν,* ita Septimii *patiens* ex Graeco *πάσχων*, quod simplex passim sonat i. q. *συμπάσχων.* Nova haec significatio est, nec tamen ideo Septimio abiudicanda.

Lib. V. 12. *ad aram Iovis anteaedificialis.* Bern. *ante aedificiale*, i. e. ante aedificium, explicante Mercero, qui in hac lectione, in suis quoque libris inventa, acquievit. Mirum istud nomen dudum explosit Scioppius Parad. Lit. Epist. V: qui quidem alios MSS. dicit recte habere *Iovis aedificialis*, ut lego in Ed. Crat., in Schelleri Lex. M. et apud Dresem. ad Ioseph. Iscan. VI. 787. Sed Argent. et S. Gall. opp. *anteaedificiales*, levi menda pro *anteaedificialis*, ut diserte optimus S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. exhibent. Atque hodie nemo dubitabit, Septimii manum fuisse *anteaedificialis*, postquam hanc vocem etiam ex Ed. Mediol. Obrechtus, MS. sui auctoritate Heinsius ad Ovid. Her. VII. 113., et post hos Wopkens. p. 93. et Perizon. Diss. §. XXXVIII. probarunt ac firmarunt. Fictum novum Adiectivum videtur ex Graeco *Διὸς Ἑρκείου*, i. e. *τοῦ κατὰ τὴν οἰκίαν.* Vid. praeter Obrecht. et Heins. etiam Heyn. ad Virgil. Aen. II. Exc. XI.

Lib. I. 4. *naves — omni instrumento compositas.* Vide-

tur idem esse, quod lib. V. 17. *naves remigibus reliquisque nauticis instrumentis complent.* Cf. not. cr. ad V. 11.

Lib. I. 5. *qui — reliqui praedae aufugerant. Praedae* videtur casus gignendi esse, pendens a *reliqui*; ut lib. II. 46. *nullus reliquus caedis.* Aliud exemplum desidero. Laudat Sept. Wasseus ad Sall. Cat. 29. *quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerat.*

Lib. I. 16. *campestri exercitui.* Vulgo pedestres, terrestres copiae opponuntur maritimis, navalibus. Vid. Gronov. ad Liv. XXXVII. 73.

Lib. I. 21. *post Troianam victoriam*, i. e. de Troianis reportatam. Os Latinum ab hac phrasi abhorret. Liv. XLV. 10. *victoria Romana.* Sall. Cat. 37. *Syllana victoria.* i. e. a Romanis, a Sylla reportata.

Lib. II. 4. *navigio in aliquantum exhaustos.* Edd. Princ., Crat. et Obr. om. *in.* Retinenda praepos. est ex MSS. meis, Merceri et scripto Cod., quem vidit Gronovius Obss. Eccles. c. 5., quicquid contra Mercerum clamitaverit Scioppius l. l. Conspirant enim in illud loquendi genus libri scripti et editi lib. II. 32. 46. III. 22. IV. 6, quibus locis sola, quod sciam, Ed. Crat. praepositionem ignorat. Videtur Septimius imitari voluisse Livii XXIV. 15. *dextra pars terrae labe in aliquantum altitudinis diruta erat.* notante iam Gronovio. Cf. Wopkens. p. 36. Ruhnken. ad Vell. Pat. I. 9. 3.

Lib. II. 18. *Teuthrantem — solitario certamine interficit*, pro singulari certamine. Eadem formula lib. II. 39. III. 7.

Lib. III. 11. *deformatum — omni supplicio lamentandi.* Videtur significari: omni animi cruciatu et lamentandi genere; omnibus animi cruciatibus lamentationibusque. Possis vernacula lingua reddere quaesito verbo *durch alle Klagemarter.* Istiusmodi insolentes Genitivos Gerundii amat Septimius. Vid. Gloss. ad h. l.

Lib. III. 18. *sagittarum arte.* insolenter dictum pro: sagittandi arte.

Lib. IV. 2. *reliquisque ex finitimo populis*, i. e. habitan-

tibus in finitimo, in finitima regione, in confinio. Plane ut Sulpic. H. S. II. 46. 8. *ex vicino agens.* Hegesipp. V. 10. *in finitimo tumuli.* I. 15. *urbs Hierico in finitimis suis Pompeium tenebat.* II. 17. *Cum Iudaei finitima quaeque popularentur.* pro quo IV. 13. *vicina omnia populabantur.* III. 20. *percusarent finitima regionis.* et sic saepe *finitima* et *vicina*, scil. loca. Usitatum antiquis (et nostro) est *finitimi* pro finitimis populis; sed illa est posterior latinitas. Trita antiquis formula *ex proximo.*

Lib. IV. 19. *lacessit — sagittario certamine.* Profectum loquendi genus videtur ex Graeco. Malelas p. 40. προσκαλεῖται τὸν Πάριδα εἰς μονομαχίαν τοξικήν.

Lib. V. 10. *socii qui bello residui erant.* V. 17. *cuncti qui bello residui.* Hegesipp. I. 13. *qui bello reliqui fuerant.* Cf. Wopkens. p. 96.

Lib. VI. 15. *infelicissimum casum vulneri contemplatus.* Bern. a m. pr. *mulieri.* sec. in marg. *vulneri.* Ed. Crat. *feliciss. casum vulnerantis cont.* In ceteris Edd. et MSS. nullam invenio varietatem. Mendam verbis inesse, sensit ille, a quo Crat. profecta lectio est; itemque Vindingius, qui correxit *infel. casum vulnerati cont.* Ceteri viri docti silent. Coniecturarum, quibus in loco, proba latinitate destituto, mentem discruciavi, omnium facillima est *casum vulneris*, i. e. eventum vulneris: ad quam me evocarunt verba Sulpicii Vit. Mart. 21. 4. *indicat fratribus casum mortis et vulneris*, i. e. id quo (vel unde) acciderit mors et vulnus. Cf. Oros. VII. 15. *casu morbi, quem apoplexiam Graeci vocant, suffocatus interiit*, i. e. incidente morbo, vel simpliciter morbo. Noster IV. 15. *exitus mortis*, i. e. id, unde mors exierit, profecta sit, evenerit. Amplius cogitet alius.

Lib. I. 11. *contestandi magis gratia*, i. e. repugnandi, adversandi, litis movendae gratia, vel simpliciter litis causa. Perizonius Diss. §. XXXIX. reddit: *protestiren;* qua notione verbum recepere Lexicographi, per quos pessime audiit. Sed haud absimili significatione Oros. I. 21. *et querelis uxorum*

super longa viduitate et periculo sterilitatis contestantium permoti, i. e. contendentium. Hegesipp. II. 13. *Nam excitatus ab Antipatro, primo in Arabiam contendit, velut contestaturus pacti iniquitatem*, i. e. impugnaturus. Hi autem non minus quam Septimius ut aemuli antiquioris latinitatis innotuerunt. Gallis in hunc sensum usitatum *contester*. Vid. Du Cang. in Lex. med. et inf. Lat. s. v. Tentaveram aliquando *contrastandi*; quo verbo notione litigandi aliquo loco usus est Naevius.

Lib. I. 15. *Martem atque Concordiam multis immolationibus sibi adhospitavere.* Du Cangius l. l. verbum *adhospitare* perperam explicat: in loco collocare; et Septimii loco hunc tribuit sensum: ut in eodem quasi hospitio habitarent effecere. Recte expedit Obrechtus: precati sunt, ut adventarent, praesentesque ac propitii sacrificio, ac dein coeptis adessent; ut fere ipse Septim. II. 10. *Graeci multis immolationibus deos adiutores coepto invocantes.* Referenda locutio est inter τὰς ἅπαξ ῥηθείσας, qualium et alia apud nostrum exstant exempla; orta procul dubio ex Graeco ἐπιξενοῦσθαι, ἐπὶ ξενίᾳ καλεῖν: cuius deorum hospitii quaenam fuerit ratio, fuse docuit Obrechtus. Cf. Perizon. Diss. §. XXXVIII. Frequens hac in re verbum *propitiare*, pro quo antiquitus etiam dicebatur *hostiare*, docente Obrechto, vel *hostire*, ut contra Obrechtum contendit Burmannus ad Servii verba ad Virgil. Aen. II. 156. n. 17.

Lib. I. 15. *neque prius se bellum deserturos. Deserere bellum* i. q. desistere a bello gerendo. Oros I. 21. *mutuis caedibus coacti sunt, ut velut victi se ab alterutro subtraherent, bellumque desererent.* Hegesipp. I. 21. *denique fusis suorum plurimis bellum deseruere.* V. 27. *quasi non levius crimen sit, de militia decedere, quam victoriam deserere.* Antiquo opinor scriptori debetur formula. Simili notione Sall. Iug. 85. *quae ante vestra beneficia gratuito faciebam, ea uti accepta mercede deseram, non est consilium.*

Lib. I. 19. *quadripartitur exercitus.* Ed. Princ. *quadri-*

pertitur. Usitatum Particip. *quadripartitus* optimis scriptoribus; verum *quadripartire* vel *quadripertire* exoletum verbum est, et a glossographis servatum. Vid. Du Cang. l. l.

Lib. I. 22. *reformatoque iam die.* Saepe *reformari* res dicuntur, quibus adempta pristina forma restituitur. Sic lib. II. 9. *animum atque ornatum regis reformavit.* cum quo loco compara Apul. Met. III. p. 232. *in masculinam faciem reformato habitu.* Sed novum est *reformatur dies,* i. e. dies pristinae serenitati suae restituitur: novum etiam lib. IV. 5. *acies in ordinem reformatur.* ubi tamen cf. Gloss.

Lib. II. 2. *condensatis utrinque frontibus.* S. Gall. opp., Ed. Obr. et aliquot MSS. Oudendorpii ad Apul. de Mund. p. 307. *condensis.* Ed. Crat. et Merc. *condensatis.* ut exhibet etiam Vindingius ad cap. 38. Atque sic scripsisse Septimium, confirmat scriptura S. Gall. sec. IX, Argent., Bern. et Ed. Princ. *condensis satis* (Bern. *condempsis satis*), orta ex *condensatis*, non ex *condensis*, ut placuit Obrechto. Ceteris quidem scriptoribus frequens est Particip. *condensus,* atque exemplo, quod sciam, caret *condensatus*: attamen in verbi insolentia non offendendum, cum etiam *inspectatus* (III. 9.) totque alia inusitata in Septimio sint toleranda. Praeterea *condensare* notum verbum est, itemque *densatus*, quo Particip. utitur ipse Septim. c. 38. *densatis frontibus.* cf. Hegesipp. III. 23. *densata acie*; I. 32. *densare aciem*; Oros. V. 15. *pedites densabantur.* et sic etiam antiquiores.

Lib. II. 8. *bellum in regiones Graeciae transportaretur.* Latini dicunt *transferre*, *transmittere bellum in aliquam terram.* Compara cum nostro loco Plin. Paneg. 12. *Quum Danubius ripas gelu iungit, duratus glacie ingentia tergo bella transportat.* Similia dat Duker. ad Flor. II. 2. 17. Eiusdem nummi phrasis est lib. II. 9. *bellum importare* pro inferre: quam latinitati videtur vindicare velle Heinsius ad Vell. Pat. III. 114. 2., eam coniungens cum formulis *cladem*, *periculum*, *luctum*, *negotium importare.* Melius opinor statuas, *importare* ut et *transportare bellum* originem debere tritis

formulis *frumentum*, *merces* et similia *importare*, *transportare*.

Lib. II. 9. *classem — compingunt.* Nota sunt: *classem instruere*, *parare*, *aedificare*, *facere*, *moliri*; itemque *compingere navem*: sed nusquam legi *compingere classem*.

Lib. II. 14. *cum his se adiunctum esse*; III. 15. *paucis fidis adiunctis secum*; V. 17. *adiunctis secum regulis*. Latine dicitur *adiunctum esse alicui*, ut alibi loquitur Septimius. Eiusdem farinae est lib. IV. 5. *adhibito secum fortissimo quoque*.

Lib. II. 15. *nihil insidiosi summetuentem*, i. e. subesse metuentem. Verbum *summetuere* est ex numero ἅπαξ λεγομένων; atque Perizonio Diss. §. XV. *nihil summetuentem* factum videtur ex Graeco οὐδὲν ὑποδεδοικότα vel ὑποδείσαντα.

Lib. II. 37. *causam tumultus eorum cupidus persciscere*. Ignoro verbum *persciscere* pro cognoscere. Coniicias *perdiscere*, ut loquitur Septimius simillimo loco lib. VI. 14. *cupientique causam eius rei perdiscere*.

Lib. II. 40. *ubi novis iaculis manus utriusque redarmatae sunt*. Verbum *redarmare* nisi hic loci non invenio.

Lib. II. 42. *genibus Achillis — obvolvebantur*. In proprietatibus Septimii est formula *genibus obvolvi*, quae legitur etiam lib. II. 19. 50. III. 24. Ceteri scriptores dicunt: *genibus advolvi* (Liv. XXXIX. 14. Vell. Pat. II. 80. Apul. Met. VI. init., alii), *genua advolvi* (Sall. fragm. VI. 20. Tacit. Ann. VI. 49.), *ad genua advolvi* (Sulpic. saepe), *pedes advolvi* (Apul. Met. VI. p. 384. Apol. p. 587.), *genibus provolvi* (Tacit. Ann. XI. 30. Iustin. XI. 9.)

Lib. II. 51. *manus adosculari*. Verbum Septimio peculiare, natum forte ex Graeco προσκυνεῖν.

Lib. III. 3. *recordatus sui*, i. e. mentis compos factus.

Lib. III. 3. *soluturum se omne bellum*; V. 13. *initium solvendae militiae*. Formulam *solvere bellum* habet etiam Hegesippus I. 18. et II. 15., ut *absolvere bellum* I. 30, *solvere pacem* II. 10, atque alibi *solvere obsidionem*, *propositum*, *potestatem*. Vel utrique in Graeco, quem quisque vertit,

scriptore ante oculos erat Graeca formula *λύειν*, *διαλύειν πόλεμον*, vel potius Latinum aliquem, quem equidem ignoro, scriptorem antiquiorem pariter imitati sunt.

Lib. III. 9. *inspectatis omnibus.* Obsoletum Participium.

Lib. III. 20. *in os ruit,* h. e. pronus cadit, explicante Artopoeo in Ind. Nos: *er stürzte auf sein Antlitz.* Cf. Sulpic. Dial. II. 4. 8. *ad genua beati viri ruere.* Hegesipp. V. 28. *lapsus in faciem cum maximo sonitu ruit.* Isidor. Genes. fol. 19. F. 2. *Cadere retro, cadere in faciem.* Alia notione Val. Flacc. VII. 599. *In caput inque humeros ipsa vi molis et irae Proruit.*

Lib. III. 24. *mandata cura Phoenici super Priamo, ut delutaretur.* ,,Mediol. ed. debetur haec emendatio. Vulg. *delectaretur.* Praecesserat de Priamo: *protinus in os ruit, pulverem atque alia humi purgamenta capiti aspergens.* Mox vero sequitur: *Igitur ubi excussus comis pulvis totusque lautus est.*'' Verba sunt Obrechti. Libri mei om. *ut delutaretur.* Certissimam Obrechti emendationem faciunt verba Malelae p. 158. *καὶ κελεύει τῷ Πριάμῳ λούσασθαι, καὶ οἴνου γεύσασθαι ἅμα αὐτῷ, ἄλλως γὰρ οὐκ ἂν παραχωρήσειεν αὐτῷ τὸν νεκρόν.* Non dubitare debuit de verbo *delutare* Wopkens. p. 64, quod non nisi notione obliniendi luto invenerat (ut apud Caton. R. R. c. 92.): nam respectu praepositionis *de*, quocum compositum est, proprie significat: amovere luctum; atque haec propria notio, cuius desidero apud ceteros scriptores exemplum, ne in posterum fugiat lexicographos.

Lib. IV. 4. *in unum multis milibus armatis.* Nova locutio est *in unum armare,* pro: in unum locum conducere armatos. Similiter amatum Ammiano Marcellino (XV. 7. XXVII. 5.) *in unum quaerere exercitum, milites.*

Lib. V. 10. *Antenore deserviente.* Notum in re convivali verbum *ministrare.* Simplex *servire* habes Apul. Met. V. p. 324. *Et illico vini nectarei eduliorumque variorum fercula copiosa, nullo serviente — subministrantur.* Sulpic. Dial. II. 6. 5. *per omnia ministrantis modestiam, et humili-*

tatem exhibens servientis. II. 7. 4. *regina servivit et ministravit.*

Lib. V. 14. *adnitentibus Ulixi Menelao atque Agam.* Ignara mihi formula est *adniti alicui*, quam Artopoeus in Ind. expedit: in alicuius favorem allaborare.

Lib. IV. 16. *quietum abeunt*, i. e. cubitum. Lib. V. 1. *quietum disceditur.* ubi vid. Gloss.

Lib. IV. 22. *cuncti proceres seditionem adversus Priamum extollunt.* Graeco ἀναιροῦνται deberi formulam, scite monet Anna Daceria.

Lib. V. 5. *signum coelo sullapsum.* Ita Ed. Merc. et Obr., scilicet auctoribus libris scriptis: nec aliter exhibet Perizonius Diss. §. XXXVIII, editum invenit Vindingius, scribitque ex Ed. Dacer. (ubi tamen *sublapsum*) Wopkens. p. 87. Placet, spreto consensu MSS. meorum, Ed. Princ. et Crat. in lectionem *coelo lapsum.* Ciofan. ad Ovid. Met. XIII. 337. *e coelo lapsum.* Librarii enim eiecere praepos. *sub* ob formulae insolentiam; qua eadem de causa ex loco Ovidii Vindingius scriptum fuisse suspicabatur *coelo delapsum.* Verum aeque insolens est Mamertini Grat. Act. c. 6. *gentes, quae prolapsum coelo excepere Palladium.* quem locum protulit Wopkensius. Forte Septimius per *sullabi* vertit Graecum verbum cum praepos. ὑπό compositum, velut ὑπολισθαίνειν, vel simile.

Lib. VI. 15. *gratulari cum fortuna.* Barbare. Cicero dicit: *gratulor mihi in aliqua re, de aliqua re, aliqua re* (ut Septim. V. 10. *gratulari interventu pacis*); et aliquo loco Plautus *hanc rem.* Dativum *mihi, sibi* passim a scriptoribus omitti adnotat Duker. ad Flor. IV. 3. 5.

Lege sis etiam disputata de formulis his: Lib. I. 10. *convenit mihi cum re alicuius*; II. 2. *mihi aliquid perseverat cum aliquo;* II. 35. *apud arma esse;* III. 3. *praesenti negotio uti;* III. 4. *signo belli edito;* III. 14. *fortuna mutat casum in me;* III. 16. *aliqua re in me ipse perfero indicium rei;* III. 25. *de pernicie publica transigere cum exitio alicuius;* IV. 9. *ferire inter se acies.*

Quodsi enotata non confirmant sententiam, infimae latinitatis scriptoribus Septimium esse adscribendum, alia, quae confirment, non habes. Etenim cetera verba et phrases possunt ea omnia ex certo fonte derivari; quippe quae, ne dicam ad infimae latinitatis scriptores, immo vero ne ad eos quidem, qui tempore Constantini Magni, aut etiam ipsius Diocletiani vixerunt, sint reducenda. De magno enim illorum temporum proprietatum numero vel nullae vel admodum paucae et vix dignandae in Septimio reperiuntur, et ubi tales sunt, eaedem singulis antiquiorum quoque scriptorum exemplis nituntur: neque etiam ullas fere Septimii proprietates in illorum temporum scriptoribus offenderis. Ut dicam, quod sentio, nulla est Septimii memoratu digna cum aliis scriptoribus communis proprietas, quae secundum seculum transgrediatur.

Tota denique Septimii latinitas aetatis, cuius consuetum loquendi morem prorsus egredi non valuit, intento studio ultra veri similitudinem constituendae facultatem nobis praebet scriptoremque, qui non ultra secundum seculum vixit, manifesto indicat. Atque certum equidem ex lingua, qua vestita oratio est, exploratumque habeo, vixisse et scripsisse Pseudo-Septimium posteriore parte secundi seculi, post Apuleium, ut Iurisconsultos quoque ad finem huius seculi viventes noverit. Secundi autem seculi scriptorum sunt haec:

Lib. V. 6. *bellum instruere.* Frequentissima formula Iustino (II. 10. XV. 1. 2. cet.) Cf. Trebell. Poll. in Gallien. duob. c. 2. — Lib. V. 14. *quis etiam nunc bellum in manibus, atque hostiles multae nationes circumstreperent.* Iustin. VI. 5. *undique belli formidine circumstrepente.* cf. Gloss.

Lib. VI. 1. *a puppi secundante vento—pervenere ad Aegaeum mare.* Iustin. XXVI. 3. *cum secundante vento celeriter ad Cyrenas advolasset.*

Lib. I. 19. *promisce.* Antiqua forma *promisce* familiarissima est Gellio lib. II. 24. VI. 14. VIII. 3. X. 21. XI. 16. XIII. 16. 28. Habet eam etiam Ammianus Marcell. XX. 6.

exstatque in Cod. Sall. Iug. 28 extr. teste Wasseo. *Promiscam* pro *promisce* legimus Plaut. Pseud. 4. 5. 11. Etiam *promiscus* subinde apud scriptores recentiores reperitur. Cf. Salmas. ad Capitolin. Pertin. 12. p. 564. — Lib. I. 20. *insperabile — remedium.* Gell. IV. 18. *pacem et victoriam vobis peperi insperabilem.* Ammian. XV. 5. *insperabilis nuntius*, i. e. insperatus, nec opinatus. — Lib. V. 8. *ubi iam vesperarat.* Plane ut Gell. XIX. 8. *ubi iam vesperarat.* Cf. Solin. 16. *die iam vesperato.*

Lib. I. 16. *undique versum;* II. 46. 48. III. 16. *undique versus.* Secundo seculo proprium dicendi genus. Vid. Iustin. XLIV. 1; Gell, VII. 16. XII. 13; Apul. Met. IV. p. 246. Apol. p. 554. Cf. Solin. 53.

Lib. IV. 22. *petitu Hesionae.* Gell. XVIII. 3. *petitu omnium.* Apul. Met. VI. p. 394. *petitu Mercurii.* Apol. p. 506. *petitu medici.* p. 501. *petitu tuo.* cet. Cf. Hegesipp. I. 40. *petitu Herodis.*

Lib. III. 25. *aetatis tuae contemplatione atque harum precum;* V. 14. *contemplatione communis amicitiae*, i. e. respectu, consideratione. Iustin. VII. 5. *liberorum contemplatio;* VIII. 3. *contemplatione iustitiae.* Apul. Met. III. p. 189. *formae simul et aetatis contemplatione;* VI. p. 432. *contemplatione omminatae mihi mortis;* VIII. p. 589. *non meae salutis, sed iacentis simulacri contemplatione.* et alia. Ulpian. Dig. II. 15. 8. 6. *et personarum contemplatio habenda est;* V. 3. 25. 9. *contemplatione delatae sibi hereditatis.* Papinian. Dig. VI. 1. 65. *dotis contemplatione.* Iulian. Dig. III. 5. 6. *tui, mei, eorum contemplatione.* et sic saepissime iurisconsulti. Cf. Hegesipp. III. 8. *nulla aetatis contemplatione.* et alia. Sulpic. H. S. II. 25. 3. *contemplatione cladis.*

Lib. II. 9. *Agamemnoni insinuans*, i. e. indicans, nuntians. Quo sensu idem verbum legitur Apul. de Mund p. 552. et saepe apud iurisconsultos. Cf. Spartian. Hadr. 25; Capitolin. Anton. Phil. 12. Consulas etiam Salmas. ad Capi-

tolin. Ver. Imp. 1. p. 406. et Gothofredi Glossar. Nomic. Cod. Theod. s. v. Ad finem praesertim seculi tertii amatum erat eadem significatione *intimare*.

Lib. II. 49. *oblqtione opum;* IV. 14. *oblatione Cassandrae*. i. q. oblatis opibus,. oblata Cassandra. Apul. Met. V. p. 360. *luminis oblatione tori secreta claruerunt;* X. p. 687. *de oblationis* (veneni) *opportunitate secum deliberant;* XI. p. 794. *partium oblatione*. Ulpian. Dig. V. 2. 8. 10. *legatarii oblatio*. et mox: *ut - oblatio ei fiat eius, quod relictum est, quasi ex voluntate testatoris oblato eo satis ei factum videatur.* Et sic saepe uterque, et omnino iurisconsulti. Cf. Hegesipp. I. 14. *pecuniae oblatione*; II. 9. *mortem offerens. Qua oblatione victi;* IV. 4. *pacis oblatio*.

Familiaris Septimio forma *dinoscere*, pro *dignoscere*, frequens imprimis est etiam Apuleio et iurisconsultis. Vid. Gloss. ad III. 23.

Nonnullarum loquendi formularum, quas iam ex Apuleio enotabo, unum alterumve exemplum etiam in antiquioribus scriptoribus reperiri, haud nescio; sed Apuleio illae sunt saepe repetitae et peculiares: sunt etiam, quae ex eo ad posteriores transierint.

Lib. I. 21. *Quum ecce*. Rarius hoc esse adnotat Wopkens. p. 13. Atqui eundem nexum habes Apul. Met. II. p. 116 et 151. III. p. 207. aliisque locis.

Lib. V. 2. *Et eos quidem, quos in bello fortuna eripuit, utcunque iam sepelivimus, concedentibus ultro veniam hostibus.* Laudat hunc locum ob vocem *utcunque*, moremque loquendi stilum Apuleii vocat Oudendorp. ad Met. IV. p. 254.

Nexus verborum *et ob id* Septimio et Apuleio tam frequens est, ut taedeat promere exempla. Semel Sall. Hist. I. 17. *et ob id armato Lepido*. Cf. Iug. 97. *et ob ea belli scientes.*

Lib. II. 27. *cuiuscemodi pecora*, i. q. cuiuscunquemodi. Apul. Met. XI. p. 767. *pecua cuiuscemodi;* VIII. p. 554. *cuiuscemodi vocibus*; IX. p. 595. *cuiuscemodi telis;* XI. p. 788. *cuiuscemodi sacrificiis;* XI. p. 801. *cuiuscemodi animalium*. et alia. Ipse Septim. IV. 20. *cuiuscemodi saxa.*

Lib. III. 25. *in hodiernum*, scil. diem. Usitata Apuleio ellipsis: Met. III. p. 178, Florid. p. 91, Apol. p. 434 et 481. Cf. Oudendorp. ad Met. III. p. 178. ubi et Septimius affertur. Eadem tamen ellipsi Plaut. Pseud. 5. 2. 33, Cic. de Orat. II. 90, Nep. Pelop. 3, Sueton. Domit. 6. *in crastinum*. Gell. II. 29. ut et Apul. Met. VII. p. 498 et alibi *crastino*. Sulpic. Dial. III. 1. 5, III. 2. 1, III. 5. 2 et 3. *hesterno*.

Lib. 3. 27. *ante conspectum iuvenis exponi*; IV. 21. *ante conspectum barbarorum produci*. Plane ut Apul. Met. X. p. 745. *ante iudicis conspectum*; XI. p. 806. *ante conspectum Deae provolutus*. Cf. Ammian. XX. 8; Capitolin. Gord. tert. 30 fin.

Lib. V. 5. *se in consilio super qualitate eorum - exertius disserturum*. Bern. *exerterius disert.* Daniel. Merceri *exterius disert.* Ed. Princ. *exercitius dessert.* Crat. *exercitum desert.* At S. Gall. opp. et Patav. Merceri *exercius dissert.*; atque S. Gall. sec. IX. *exertius disserturum*, ut est etiam in Ed. Obr. et apud Oudendorp. ad Apul. Met. XI. p. 814. Stat denique cap. 8. (*exertius disseruisset*) repraesentata lectio consensu Mss. meorum et Merceri, Ed. Obr. et Oudend. l. l. *Exerte disserere* dicitur, qui clara voce et audacter quid edicit. Apul. Met. I. p. 56. *exerte clamans*, pro quo Met. IV. p. 259. *contentissima voce clamitans*. Porro Met. I. p. 15. *exerto cachinno*, pro quo Met. II. p. 123. *in clarum cachinnum effusus*. Adde Ammian. XVI. 12. *ad audendum exertius consurgebat*. Tertull. Uxor. c. i. *exerte iubere*. Cf. Casaub. ad Script. Hist. Aug. T. I. p. 592.

Lib. III. 2. *coniuges principalium*, i. e. principum, τῶν τῆς πόλεως πρώτων· Apul. Met. IV. p. 293. *speciosus adolescens inter suos principales*; Met. VIII. p. 481. *vir principalis*. Pompon. Dig. 1. 2. 2. *ex principalibus viris*. Cf. Pricaeus ad Apul. Met. in Not. p. 473.

Lib. 1. 14. *morum impatientia* dicitur, ut apud Apul. *impatientia Veneris, furoris, linguae*. Vid. Gloss.

Vocem *domuitio*, quam lib. I. 20 et II. 35 Septimio

restituerunt Mercerus et Obrechtus, ex Lucilio et Pacuvio adamat Apuleius. Sed vid. not. cr.

Lib. I. 13. *Eorum ego secutus comitatum. Comitatum sequi*, pro comitem esse, dicit Septimius etiam III. 26. Pariter Apul. de Dogm. Plat. p. 226. *Eius comitatum sequuntur indignatio et commobilitas.* Cf. Ammian. XXI. 12. *milites omnes, qui comitatum sequebantur.*

Lib. I. 19. *corporibus pertentatis*, i. e. correptis, contactis lue. Idem videtur esse lib. II. 30. *corporibus fatigatis pestifera aegritudine.* Cf. Apul. Met. I. p. 44. *diurna fatigatione pertentatus.* Legimus lib. III. 11. *adeo reliquorum animos pertentaverat*, i. e. tam vehementer permoverat, tantum animis gemitum incusserat, ut ex ipso Septim. in proxime sequentibus explicatur. Passim ita loquuntur poetae; inter scriptores ita loqui praesertim amat Apuleius: Met. IX. p. 660. *indignatio totos audientium animos pertentavit.*

Lib. II. 14. *morsu - serpentis contingitur.* Verbo *contingere* continetur notio contagii, tabis, rabiei, quae venenatum serpentis morsum sequi solent. Apul. Met. IX. p. 595. *venenatis morsibus contacta nonnulla iumenta efferari jam simili rabie.*

Lib. II. 30. *regum omnino nullus neque mortuus ex hoc malo, neque attentatus est; 33. neque amplius attentari corpora. Attentari* pro invadi, corripi. Apul. Apol. p. 508. *nunquam postea comitiali morbo attentatur*; p. 524. *ex crapulo heluco attentatur.* ubi utrumque Sept. locum laudat Oudendorpius. Idem verbum pro *adfectari* ex Apuleio coniectavit Gronovius in hoc Liviano (XXIX. 10.): *se exercitumque suum gravi morbo adfectari.* Antiqui simpliciter *tentari* dicunt, ut Cic. Tuscul. IV. 14. *morbo tentari*; Horat. Serm. I. 1. 80. *tentatum frigore* (i. e. febri) *corpus.*

Lib. II. 37 et V. 17. *praeverso de se nuncio.* Plane ut Ammian. XXIII. 2. *fama de se nulla praeversa*; XXVI. 8. *rumore quodam praeverso.* Capitolinus Max. duob. 25. dicit *nuncius praeventus*; quo Particip. *praeventus* utuntur Sallustius

et Tacitus. Verum *praeversus* sequioris est latinitatis, amatum Apuleio: Met. V. p. 381. *Venus — praeversis illis — pelago viam capessit;* Met. VII. p. 494. *misera celeritate praeversa.* et alibi. Cf. Hegesipp. III. 25. *praeverso itinere.*

Lib. III. 22. *refovit spiritum.* Apul. Met. I. p. 61. *nunc etiam spiritu dificior — et aliquid cibatus refovendo spiritu desidero;* Met. II. p. 156. *refovens animum.* et sic aliis in formulis usitatissimum Apuleio est verbum *refovere;* nec inusitatum etiam antiquioribus.

Adiice his, quae in Glossario ex Apuleio contuli ad Septim. II. 2. *aliquid mihi perseverat*; II. 19. *eiusdem aetatis atque alimonii esse*; II. 51. *genua contingere*; IV. 16. *longo itinere maris.* et alia permulta. In primis respiciatur oro frequentissimus Apuleio et Septimio usus verborum compositorum *deprecari* (v. Gloss. ad II. 6.), *deflere* (ad III. 9.), *denubere* (ad I. 1.), *percolere* (ad IV. 13.), *persentire* et *persentiscere* (not. cr. ad III. 25.), pro simplicibus precari, flere cet. Uterque adhibet *actitare* pro agere. v. Gloss. ad V. 1. Non minimi argumenti est communis utrique scriptori Genitivus *Ulixi* pro Ulixis, Ulyssis (Vid. ad V. 8.); atque adamatae antiquae formae *Graii*, *Divûm*, *queis;* singulaque multa, de quibus in Gloss. monemus.

Multum quidem in universum Apuleii et Septimii discrepare dicendi morem bene scio, studuitque noster eas sermonis proprietates, quae sunt Apuleio in primis familiares et peculiares, caute declinare; verum impressum illi aetati ingenium ex toto decutere nequiit. Neque est alia aetas aliusque scriptor, cui Septimii indoles magis sit congrua, quam Apuleio eiusque seculo. Sallustium enim imitandi studium, quod permultis Iustini magisque Gellii locis, eiusdem seculi scriptorum, deprehendimus, eximium elucet in Apuleio, qui quidem ut Sallustii aemulus satis innotuit: atque, quod magis hic reputandum, vix aliqua aetate tam ardens incessit linguam Latinam novandi studium, invaluitque vel exoleta et ex casca vetustate libata, vel etiam nova verba formulasque

introducendi cupiditas, quanta praesertim in Apuleio conspicua est. Scio surrecturos contra hanc sententiam, quibus Ruhnkenii in Praefat. Apuleiana in animo sunt contra Rualdum (ad Apul. Met. VIII. p. 550.) verba, nihil Apuleium sine exemplo scripsisse; in qua sententia praeivit Oudendorpius ad Apul. Met IV. p. 246. Sed cum aliter sentiant eruditi alii, tum vero idem ipse Oudendorpius haud paucorum verborum phrasiumque desiderat exempla, atque ad Met. V. p. 380. adeo profitetur, plura esse in Apuleio ἅπαξ λεγόμενα. Aequalem verborum et enuntiationum novarum numerum ex Apuleio enotaveris; licet non aeque foeda, atque in multis sunt Septimiana: cuius quidem rei causa ex parte in eo quaerenda est, quod Apuleius non ex Graeco vertit. Novandi cupido utrique aeque communis. Eodem denique utriusque tendit ingenium. Atque singula aliqua ex iis, quae modo enotavimus, etsi levioris momenti esse iudices, longe tamen pleraque respicientem atque universa, etiam de utriusque scriptoris indole monita, complectentem non potest fugere suspicio, immo persuasio, artissimam esse Septimio cum Apuleio aetatis communitatem. Quod vero post Apuleium scripsisse Septimium, atque iurisconsultis versus finem seculi secundi viventibus aequalem fuisse statuerim, in causa sunt usitata Septimio cum iurisconsultis illius temporis haec:

Lib. II. 21. 44. *facta gestaque*; 49. *gesta atque acta*; 51. *acta gestaque*. Ulpian. Dig. I. 18 init. *quae acta gestaque sunt a procuratore Caesaris*. Gaius Dig. XL. 6. 58. *Licet inter gesta et facta videtur quaedam esse subtilis differentia: attamen καταχρηστικῶς nihil inter factum et gestum interest.* Inesse videtur differentia in Sempronii Asell. lib. I. Rerum Gestarum apud Gell. V. 18. *annales libri tantummodo quod factum quoque anno gestumve sit, id demonstrabant.* et mox: *nobis non modo satis esse video, quod factum esset, id pronunciare, sed etiam quo consilio quaque ratione gesta essent demonstrare.* Sit etiam differentia in illo Cic. de Orat. II. 59. *ut iis, qui audiunt, tum geri illa fierique videantur.*

Sed sine notionis discrimine utrumque verbum coniungitur a nostro, qui omnino amat synonyma, ut docuimus ad lib. II. 12. Cf. Wopkens. p. 28.

Lib. II. 30. *restitutionem virginis pronunciat;* 33. *restitutione eius.* pro redditione; qua notione hoc nomen Ulpiano, Paullo aliisque ICtis est frequentissimum. Etiam quod lib. III. 24. legimus *absolutio cadaveris* pro redemtione, traditione, et I. 4. *abstractio coniugis* pro raptu, apud eosdem non absque exemplo esse reor.

Lib. II. 53. *res — effectum habuit.* Delectantur hac formula ICti. Ulpian. Dig. II. 2. 1. *nec effectum decretum habuit.* et mox: *cum iniuria nullum habuerit effectum.* Dig. III. 5. 10. *effectum habuit negotium, quod gessit.* et paulo post: *effectum non habuit negotium.* et sic saepius. Optimi scriptores dicunt *ad effectum adduci, pervenire,* vel simpliciter *effici.*

Lib. III. 13. *tela iaciunt crebra magis, quam cum effectu.* Ulpian. Dig. V. 2. 25. fin. *cum effectu eam querelam instituisse;* Dig. L. 6. 164. *habere, sicut pervenire, cum effectu accipiendum est.* et alibi.

De voce *navigium* pro navigatione supra p. 33. sq. disputavimus.

Lib. V. 10. *in eadem verba placitum confirmat. Placitum confirmare* idem audit atque Daretis cap. 40 et 41. *pacta confirmare.* Perizonius Diss. §. XXXVIII. reddit: pactum conventum. *Placitum* proprie est id quod placuit, placet. Isidor. Orig. V. fol. 28. G. 1. *dictum pactum, quasi ex pace factum: placitum quoque similiter ab eo, quod placet. Alii dicunt, pactum esse, quod volens quis facit: placitum vero, quod quisquam nolens compellitur.* Frequens vocabulum ICtis. Ulpian. Dig. II. 14. 1. *est pactio duorum pluriumve in idem placitum consensus.* Hermogenian. Dig. V. 1. 53. *contra placiti fidem.* et alia hi aliique. Cf. Oros II. 17. *Sed adeo hoc idem placitum inter ipsa placiti verba corruptum est.* et sic saepe Orosius.

Lib. I. 5. *regis necem defenderent,* i. e. ulciscerentur;

quo sensu Graeci *ἀμύνασθαι* dicunt. Vid. Perizon. Diss. §. XV. Caes. B. C. I. 7. *milites — sese paratos esse conclamant, imperatoris sui tribunorumque iniurias defendere*, i. e. factas illis iniurias ulcisci; cum quo loco, iam ab Obrechto allato, nostrum componit Oudendorp. ad Caes. B. G. VIII. 9. Saepe ita loquuntur posteriores. Sed parum recte Obrechtus contulit Sept. lib. VI. 2. *quod fratrem insidiis circumventum non defendisset.* ibi namque *defendere* est propulsare ab aliquo malum; ut Cic. Offic. III. 18. *qui non defendit iniuriam, neque propulsat a suis, cum potest, iniuste facit.* Huc pertinet Daretis c. 3. *ut secum suas iniurias defenderent*, i. e. factas iniurias ulciscerentur. Praesertim autem ICtis hic usus familiaris est. Ulpian. Dig. XXXVIII. 2. 14. 7. *mortem patris defendere.* Macer. Dig. XLVIII. 2. 11. *mortem propinquorum defendere.*

Lib. IV. 13. *reliquiae coadunarentur.* Paullus Dig. II. 14. 9. fin. *quia illae excedunt in unam summam coadunatae.* Familiare *adunare* est Iustino et Apuleio.

Alia ex iurisconsultis supra posui, alia leviora in Glossario invenies.

IACOBI PERIZONII
DISSERTATIO
DE
DICTYE CRETENSI
ET EIUS INTERPRETE
SEPTIMIO.

I. Dictyn Cretensem, Idomenei Cretensium reguli comitem in bello Troiano, cuius nomine historiam illius belli laudant passim Graeci scholiastae, grammatici, rhetores, chronicorum scriptores, qui fuerunt sequiori aevo, sed et suum ornavit libellum Septimius, si maxime istoc nomine inter Idomenei comites quisquam exstitit, nihil tamen scripsisse et posteris prodidisse certus sum. Quin miror fuisse eruditos cum huius, tum pristinae aetatis, quibus persuaderi potuit, tam antiqui vere hominis esse, quod eo nomine sibi praescripto in vulgus quondam exiit. Nempe Suidas, Io. Malelas, et ex eo Tzetzes, Cedrenus, aliique, quos vide apud Leonem Allatium de Patria Homeri pag. 53. cet., eo usque nobis praeiverunt hac in sententia, ut quidam ex iis etiam Homerum ex illo Dictye sua hausisse affirmaverint. Inde ergo et Vossius Pater in Hist. Graec. scriptores quosdam, inque iis hunc Dictyn, ad Troiana tempora refert. Sed et Leo Allatius Graeculis suis, quod modo memoravi, nimis facilem aut credulum se praebuit, Dictynque hunc vere *Troicis temporibus*

aequalem, et ideo *Italica*, quae vulgata Suidae lectio illi tribuit, *scribere non potuisse* contendit, *quum tunc Italicae res in obscuro essent.*

II. Errare autem eos ut constet, ostendendum nobis prius, Graecos hosce, qui Dictyn subinde laudant, non alium habuisse, quam hunc, qui Neronis tempore fingitur inventus in Cretensis terrae sepulchro, et ex quo Septimius quidam Latinam hanc versionem seu epitomen nobis concinnatam reliquit. Posterius hoc negant tamen cum alii, tum Vossius in Hist. Lat, in *Septimio*: utrumque vero Ios. Mercerus et Anna Fabri in Notis ad Prologum nostri auctoris et ad lib. IV. cap. 21. Quos alii plerique sequuntur. Ego vero neutiquam illis assentior; et contrarium, nisi fallor, liquebit clarissimum in modum ex iis, quae dicam. Prius autem ostendam, quod prius posui, Graecos modo memoratos non alium habuisse aut novisse Dictyn, quam hunc Septimii.

III. Id verum manifestum ex eo, quod suum Dictyn agnoscunt itidem tempore demum Claudii vel Neronis inventum, et eodem quidem modo, quo id nobis narrat Septimius, scil. in sepulchro illius, ut aiunt, Dictyos, aperto per terrae motum, et istic quidem *ἐν κασσιτερίνῳ κιβωτίῳ, in arcula stannea.* Ita certe Suidas et Io. Malelas, quem videas et cum Latini Dictyos Prologis conferas velim p. 168 et maxime p. 322.

IV. Nam quod sub *Claudio* proprie inventum tradunt, quem Septimius sub *Nerone* ait, id ortum ex eo, quod Nero aeque ac ille Claudius *Claudii Neronis* nominibus fuit appellatus; quae nomina et in hac historia apud Malelam priore loco iuncta reperiuntur: *εὑρέθη*, inquit, *ἐπὶ Κλαυδίου Νέρωνος βασιλέως ἐν κιβωτίῳ, inventum est* hoc opus Dictyos *tempore Claudii Neronis Imp. in arcula.* Hinc iam factum, ut posteriores Graeculi, uno ad designandum hunc Imperatorem defuncturi nomine, prius potissimum arripuerint, et *Claudium* simpliciter dixerint, ut ipse facit Malelas posteriore loco, qui tamen erat Nero. Frequens hic error etiam apud Latinos scriptores, ex iisdem diversorum, sed proximorum, Imperatorum nominibus ortus. Ipse Suetonius ita Neroni tribuit in eius vita cap. 17. quae Claudii erant. Vide Elegantissimum

Brummeri Commentarium ad L. Cinciam cap. 5. Quin quod propius accedit, unum idemque SCtum, tempore Neronis factum, in iure Romano modo *Claudianum* modo *Neronianum* dicitur, ut docuit P. Faber Semestrium lib. I. cap. ult. Neque aliunde videtur ortum, quod toties *Hadriano* simpliciter adscribuntur, quae ab Antonino Pio sunt profecta (vide Bertrandi Vitas ICtorum in Galo), quam quia per adoptationem Antonini, ab Hadriano factam, hoc *Hadriani* nomen Antonini Pii genuinis nominibus addi et praemitti solebat. Qua eadem prorsus ratione etiam Hadrianus saepe *Traiani* nomine designatur, ut ostendit Rupertus ad Pompon. de Or. iuris pag. 16, 17, 18.

V. Quod autem Nero potius, quam Claudius fuerit is, qui in hac historia memoratur, id vero non tantum ex Septimio nostro liquet, qui diserte *Neronem* nominat, sed et probabile est ex eo, quod Malelas pag. 322. aeque ac Septimius, *tertiodecimo* Imperatoris anno Dictyn hunc inventum ac prolatum ait, idque post cladem seu terrae motum, quo graviter afflicta tunc fuerit Creta. Ea autem optime conveniunt in illum non Claudii, sed Neronis annum. Nero enim, ut erat musicis Graecorum artibus ad insaniam usque deditus, profectus est eo anno in Graeciam, et per omnia istic ludorum certamina ac spectacula, in unum hunc annum consulto vel iussu ipsius coacta, circumiit. Quam occasionem arripuisse videtur ille, seu *Praxis* seu *Eupraxides*, libellos hosce confingendi, et, quasi ex sepulchro antiquissimi Dictyos post terrae motum collapso erutos, vanissimo *Principi*, qui Iliaca maxime cantare solebat, qui et ipse *Troica* scripsit, citata saepius a Servio ad Virgil., in Graecia tunc offerendi. Terrae autem motus revera tunc afflixerat Cretam, quando Nero in Achaiam abiit: siquidem, quum Apollonius Tyanaeus (apud Philostratum in eius Vita lib. IV. cap. 11. ut iam monuit Vir eruditione simul et dignitate amplissima conspicuus, Ulr. Obrechtus) ex Graecia in Cretam, eius tantum videndae gratia, esset profectus, ac inde porro Romam iter pararet, tum vero σεισμὸς ἀθρόως τῇ Κρήτῃ προσέβαλε, *terrae motus universam afflixit Cretam*, et ita, ut quasi tonitru ex terra ederetur et mare subsideret. Inde autem Romam iam contendens, in eam ur-

bem venisse dicitur cap. 13. *Telesino Consule*, qui eo anno Neronis ineunte consulatum revera gessit.

VI. Sic patere iam puto, eundem fuisse Dictyn, et quem noster Septimius in Latinum vertit sermonem, et quem Graeci habuerunt. Accedit his vero, quod, sicuti noster opusculum hoc Dictyos vocat *Ephemerida belli Troiani*, sic et Suidas suum Dictyn scripsisse dicat *Ἐφημερίδα Τρωϊκοῦ διακόσμου*, h. e. *Ephemerida rerum apud Troiam gestarum*. Nam vix dubito, quin apud Suidam haec verba: *Δίκτυς Ἱστορικὸς ἔγραψεν Ἐφημερίδα, ἔστι δὲ τὰ μεθ' Ὅμηρον καταλογάδην ἐν βιβλίοις θ'. Ἰταλικὰ, Τρωϊκοῦ διακόσμου*: legenda sint cum Allatio, et distinguenda cum Obrechto: *Δίκτυς Ἱστορικὸς ἔγραψεν Ἐφημερίδα (ἔστι δὲ τὰ μεθ' Ὅμ. καταλ. ἐν βιβ. θ. Ἰλιακὰ) Τρωϊκοῦ διακόσμου.* Parentheseos istius, sive ab ipso sit Suida, sive ab aliis in marginem primum ac dein in textum illata, distinctio, unde pendet genuinus loci sensus, debetur, ut dixi, illustri Obrechto, quem ad Epistolam Septimii velim videas. Ceterum quod apud Suidam legimus, Dictyn *novem libris* haec exsecutum, quum Septimius ei tribuere videatur *decem libros*, dum *priorum quinque voluminum eundem se numerum servasse*, *residua* autem *quinque in unum redegisse* ait, id vero levis ac tenuis est discrepantiae, quum facillimus et creberrimus in numeris librariorum sit lapsus: ut adeo prorsus putem, vel apud Suidam legendum *δέκα*, vel potius apud Septimium *residua quatuor*.

VII. Denique sicuti noster Dictys seipse ait V. 17. scripsisse hoc opus *literis Punicis ab Cadmo Danaoque traditis*, sic et Graecus scriptor in Prolegomenis Rhetoricis, citatus ab Allatio de Patr. Hom. p. 59. *Dictyn* Graecum seu *Gnosum comitem Idomenei*, tradit *συγγράψαι τὸν Τρωϊκὸν πόλεμον Φοινίκων γράμμασιν, οἷς Ἕλληνες τότε ἀπὸ Κάδμου μαθόντες ἐχρῶντο*, *scripsisse Troi. bellum literis Phoenicum, quibus Graeci tunc a Cadmo acceptis utebantur.* De his literis agemus deinceps, quando probabimus, neutiquam fuisse auctorem nostrum Troianis temporibus aequalem, quod prae se fert. Nunc sufficit nostro instituto, declarasse etiam harum literarum argumento, Dictyn, quo Graeci et quo Septimius hic est usus, fuisse eundem.

VIII. Sed vel maxime id liquet ex Io. Malela, si cum nostro conferatur Septimio in iis, quae ex Dictye se hausisse profitetur. Adeo enim congruunt istic, non in historiam tantum, sed et in ordinem rerum ac verborum, ut caecus esse debeat aut obstinatus, qui neget, illum habuisse nostrum, sed Graecum tamen, Dictyn ante oculos. Specimina quaedam proferemus mox, ut ostendamus, Septimium ex Graeco Dictye hanc concinnasse versionem.

IX. Multa tamen et alia habet, quae apud nostrum non comparent, multa etiam aliter. Prioris generis sunt characteres et descriptiones Graecorum Troianorumque ducum ac matronarum, quas Malelas et Isacus Porphyrogenitus pariter ex Dictye sumsisse se tradunt, licet ipsi in verbis multum quoque inter se saepe diversi, et quas in nostro Dictye frustra quaeras: quo argumento Ianus Rutgersius Var. Lect. V. 20. ubi Is. Porphyrogeniti characteres ex MSto Amstelaed. exhibet, eum censet *aut alium, quam nos habemus, habuisse Dictyn, aut memoria lapsum, quando suos characteres e Dictye se sumsisse dicit.* At vero non ille tantum, sed et Malelas ex Dictye se eos repetiisse tradit p. 134.

X. Neque mirum adeo, in nostro non reperiri eos, quum Septimius diserte testetur, se Dictyn Graecum contraxisse, et eius posteriora certe, quatuor vel quinque, volumina *in unum redegisse.* Priorum quidem ait *se eundem servasse numerum,* sed cum delectu haud dubie, et solita versionum istius temporis libertate (ut vel ex Rufino, Iosephi interprete, constat), atque adeo ita, ut in iis prioribus quoque praetermitteret quaedam, vel quibus parum ipse delectabatur, vel quae ad argumentum ornandum aut instruendum minus censebat necessaria. Nam quod affirmat, se *ea, uti erant, Latine disseruisse,* id vero, quum in universum de toto dicatur opusculo, cuius tamen posterior pars certissime ex pluribus voluminibus in unum est contracta, intelligendum ergo ita, ut non tantum nihil rerum de suo scripserit aut aliunde adiecerit, sed neque quidquam immutaverit ex iis, quae Graecus ille Dictys memoriae prodiderat. Certe enim omisisse eum nonnulla aut brevius exposuisse, etiam in prioribus, manifestum ex eo, quod pleraque eadem plane, sed nonnulla concisius, complura

tamen longe uberius edisserat, quam Malelas, qui vicissim orationes Dictyos praetermisit, ut alienos a Chronographia.

XI. Prius illud ut pateat, liquido declaratum dabo ex uno Dictyos loco, et ita simul historiam eius loci, concise et ideo ambigue nimis traditam, illustrabo. Refert Dictys lib. I. cap. 3. Parin cum Helena fugientem *abstulisse etiam Aethram et Clymenam, Menelai affines* (h. e. cognatas, *συγγενίδας*, ut ait Malelas), *quae ob necessitudinem cum Helena agebant.* Dein cap. 4. *Quis cognitis Menelaus, etsi abstractio coniugis animum permoverat, multo amplius tamen ob iniuriam adfinium, quas supra memoravimus, consternabatur.* Quum in superioribus nihil de hisce *adfinibus* occurrat, nisi quod cum Helena *ablatae* quoque sint; quum nullo illae amoris studio aut impetu, sicut Helena, fuerint raptae, et ideo potius tanquam vilia corpora in servitutem videantur abductae: quis haec verba historiae parce adeo expositae aliter acciperet, quam, Menelaum fuisse animo consternatum ob iniuriam, quam passae fuerint eo raptu illustres illae feminae? Et miror sane, nihil prorsus istic a quoquam ea de re annotatum. Nam certe longe aliter se res habuit, et Graecus ille Dictys historiam hanc non aliter quidem, sed copiosius tamen enarravit, dum non omisit, ut noster Septimius, circumstantias, ex quibus illius *iniuriae et consternationis* ratio appareret. Nam ut ex Malela novimus lib. V. p. 119. Paris per Aethram et Clymenam *corrupit* (*ὑπενόθευσε*) Helenam, et ita ultro hae mulieres cum Helena et Paride in fugam se dederunt. Hinc iam apud Malelam p. 120. Menelaus, quum intellexisset hunc raptum et fugam, stetit et mansit aliquamdiu *stupore defixus*: *πολὺ γὰρ ἐλυπήθη διὰ τὴν Αἴθραν· ἦν γὰρ ἔχουσα ὑπόληψιν παρ' αὐτῷ σώφρονος πάνυ. multum enim animo commotus est in tristitiam,* scil. irae, *propter Aethram: excitaverat enim illa sibi apud ipsum existimationem feminae prorsus castae et probae.* Videmus hinc, quare ita *multo amplius ob iniuriam suarum adfinium consternatus* fuerit Menelaus, tum quae illa fuerit earum *iniuria*, scilicet non quam passae a Paride, sed quam fecerunt Menelao, dum furtivi amoris inter Parin et Helenam fuerunt internunciae et conciliatrices, ac dein fugae adiutrices et comites: quod et Ovidius in

Epistolis Paridis et Helenes haud obscure significat, sed cuius nullam vel minimam suis lectoribus iniecit suspicionem Septimius noster, praetermissa, quae ad historiae et *iniuriae* illius cognitionem pertinebat, circumstantia prorsus necessaria, quamque ideo Graecus Dictys, et qui eum sequi se profitetur Malelas, minime praeteriit.

XII. In quibusdam tamen etiam in diversa, ut dixi, abiit a nostro Septimio Malelas iste; atque adeo si omnia sua ex Dictye sumpsit, alium oportet habuisse eum Dictyn, quam habuit Septimius. Immo vero non ex solo Dictye suam ille consarcinavit rerum Troianarum narrationem, sed et ex aliis, et maxime ex *Sisypho Coo*, scriptore eiusdem farinae et notae, quem finxerunt Teucri in ista expeditione fuisse comitem, et ante Homerum itidem Troianas res posteritati prodidisse. Vide Malel. p. 167 et 168. Inde ergo habuit Malelas haud dubie pauca illa, quae aliter ac Septimius ex sua Dictyos Ephemeride refert. Taceo enim, Septimium liberius in vertendo egisse, ac modo indulsisse orationi in rebus disertius explanandis, modo narrationem rerum contraxisse, Malelam vero, ut saepissime facit in aliis historiis, etiam hic haud dubie memoriae vitio aut imperitiae culpa saepius errasse; denique saepe etiam utriusque librarios a vero et genuino ipsius auctoris deflexisse. Quo refero, incertus tamen, utrum ad librariorum an potius Malelae ipsius culpam, quod in modo memorata historia alteram illarum Menelai adfinium non *Clymenen*, ut facit Homerus, Ovidius et Septimius noster, sed *Clytaemnestram* semper vocet. Accedit his, quod et Malelas non descripserit plane Dictyn, sed summa itidem cum libertate ex memoria longius aut brevius suis verbis res ex eo singulas expresserit: ut liquet ex tot barbaris vocabulis, sicuti passim alibi, ita in hac quoque historia apud eum occurrentibus: veluti *δουλίδων κουβικουλαρίων* p. 119; *πραιδεύειν τὴν χώραν* p. 126; *ἐν τῷ ἰδίῳ παπυλεῶνι* p. 127; *ἴδια μανδάτα* p. 136. et alia, quae alienissima sunt a Graeco temporis Neroniani scriptore.

XIII. Aliud vero huic sententia opposuit V. D. Ios. Mercerus, et quae eum sequitur Anna Fabri, credentes pariter, *Dictyn* illum, *cuius mentio apud Suidam et Tzetzen*,

alium esse a nostro, quia apud illum Oenone audita morte Paridis suspendio se ipsam sustulerit, quae apud nostrum IV. 21. per moerorem deficiente animo conciderit. Respiciunt locum Tzetzis ad Lycophr. V. 61. ubi dicitur *Oenone, quum deprehendisset mortuum iam Parin, se ipsam sustulisse, vel secundum Cointum* (quem a Quinto Calabro tanquam diversum male distinguit Anna, notans ad IV. 21. *Cointum secutus Q. Calaber*, quum unus idemque fuerit; de quo velim videas quae notavit diligentissimus Reinesius ad Rupert. Epist. 67.) *iniiciens se in rogum Paridis, ἢ κατὰ τὸν Δίκτυν, βρόχοις ἀπαγχθεῖσα*, h. e. *vel secundum Dictyn, laqueis suffocata, vel denique secundum Lycophronem, de turri se praecipitans.* Addo etiam Tzetzi adstipulari Malelam p. 141. et Cedrenum, qui pariter de Oenone, *ἑαυτῇ ἀπεχρήσατο ἀχρόνῃ, seipsam exstinxit suspendio.* Verum quum hi ipsi, Malelas p. 156. cet. ut et p. 140. et Cedrenus p. 127. 128. 129. 130. a caede Hectoris usque ad necem Achillis, immo et mortem Paridis, prorsus conveniunt in eandem plane rerum summam ac ipsam seriem (quam vide infra §. 19.) cum nostro Septimio a lib. III. cap. 15. usque ad lib. IV. cap. 22. nisi quod hic plura paulo habeat, in hac autem una mortis circumstantia videantur dissentire; ideo nullus ego dubitem, quin apud Graecum Dictyn adhibitum fuerit verbum ambigui sensus, et potissimum celebre illud *ἀπήγξατο*, quo simpliciter posito frequentissime notatur suspendium, ut erat id genus voluntariae et per moerorem quaesitae mortis usitatissimum, sed tamen etiam alia qualiscunque mors ex tristitia et angore animi nimio orta, ut liquido ostendi ad Aeliani Var. Hist. V. 8. Atque ita Tzetzes id verbum de suspendio, quo modo periisse Oenonem tradunt etiam Apollodorus et Conon, interpretatus, addidisse videtur de suo *βρόχοις*, quod ipsum addi minime esset opus, si τὸ *Ἀπάγχεσθαι* per se nullum aliud genus mortis, quam strangulationem, quae laqueo fit, notasset: Septimius vero ita accepisse illud, quasi eam strangulasset inclusus dolor, et immodica suffocasset animi aegritudo: plane ut alii quoque auctores illud *ἀπάγχεσθαι* per generale verbum *moriendi* reddiderunt, quod itidem l. l. probatum dedi.

XIV. Ita satis iam certum et clarum puto, Graecos scriptores non alium habuisse et laudasse Dictyn, quam hunc ipsum, quem Septimius Latino expressit sermone. Inde vero sequitur, verum ergo esse haud dubie, quod Septimius ultro profitetur, se *libellos* hosce, *Graeca oratione* scriptos, *uti erant*, *Latine disseruisse*. Nam quae tandem est ratio id negandi, aut in dubium vocandi fidem Epistolae, quam huic opusculo praemisit interpres ille Septimius, quum utique exstiterit revera post tempora Neronis Graecus scriptor istius nominis, a Graecis posterioribus saepe laudatus; quum conveniat titulus Graeci Latinique huius operis; quum congruant utrimque res ipsae in eandem plane sententiam; quum denique eadem tradatur inventi operis historia: quae ergo ratio est, inquam, satis idonea, quare secus, quam res ipsa ultro clamat et Septimius ipse palam de se fatetur, censeamus, Latinum hoc opusculum non esse ex Graeco versum? Ita tamen Vossius in Hist. Lat.: *Q. Septimius Romanus Latine* CREDITUR *vertisse Dictyn Cretensem de bello Troiano*, *sed*, *quisquis auctor est eius operis*, *Latine non Graece scripsit*, *Graecos tamen auctores cum iudicio legit*, *atque ex iis excerpsit*, *quae veritati consentanea viderentur*. Vult ergo, opus hoc Septimii, vel quicunque eius auctor, non Graece primitus, sed Latine tantum scriptum esse et compositum. Disertius etiam Mercerus in Not. ad Prolog.: *Et multa indicia sunt*, *Latine scripsisse nostrum*, *non ex Graeco vertisse*, *et habere a Graecis* τὴν ὕλην, *a Latinis multas dictiones expressas*, *praecipue a Sallustio*. Vellem *indicia* haec protulisset et nobis commonstrasset V. D. Nam quod phrases multas sumpserit ex Latinis et classicis auctoribus, ac potissimum ex Sallustio, quid, obsecro, in eo inest ab interpretis ratione adeo alienum, quum utique Latina oratione, et liberius quidem, ut solebant tunc interpretes, Graeci scriptoris expresserit historiam? Neque enim postulat quisquam eorum, qui ex Graeco nostrum haec vertisse censent, ut verbum verbo semper anxia nimis et obscura plane diligentia reddidisse credatur.

XV. Et tamen adeo fidus fuit saepe interpres, ut etiam graecismis eius dictio abundet, et verba ac phrases Graecas subinde Latino sermone expressas retinuerit. Speciminis loco

sint sequentia ex duobus tantum libris petita. Lib. I. 5. *Eadem cupiditate universam domum eius in scelus proprium convertit*, h. e. omnem eius rem familiarem per scelus sibi vindicat: nam omnia istic *indigne rapta* mox dicuntur. Plane ut Graeci *οἶκον* et *οἰκίαν* eo sensu adhibere sunt soliti. Ibid. *Quum obstinate hi regis necem defenderent*, h. e. ulciscerentur: nam rex iam caesus erat. Graecum fuit *ἀμύνασθαι*, quod non *defendere* tantum aliquem, et *populsare ab eo malum*, sed et *ulcisci* notat. Cap. 6. *Conducto concilio*, Graece *συναγαγὼν ἐκκλησίαν*, *συναχθείσης ἐκκλησίας*. Et sic cap. 8. *Senes conducit*, *συνάγει τοὺς πρεσβυτέρους*, vel *τοὺς γέροντας*. Cap. 14. *Achilles Pelei et Thetidos*, *quae ex Chirone dicebatur*: omisso in prioribus *filius*, quod Graecis, qui articulo, quo carent Latini, id designant, est frequentissimum; unde id noster quoque habuit, qui passim ita praeter morem Latinorum: sic I. 1. *Clymenae et Nauplii Palamedes*. II. 11. *Sarpedon Xanthi et Laodamiae*. IV. 18. *Helenus Priami*, atque alibi. Posteriora certe sunt graecismi, et solitae Graecis ellipseos: *ἥτις ἐκ Χείρωνος ἐλέγετο*, scil. *οὖσα*, h. e. *quae* (non ex Nereo, ut vulgo fertur, sed verius) *ex Chirone dicebatur orta*. Possis etiam ita accipere, quasi Graece fuisset, *τῆς ἐκ Χείρωνος καλουμένης* seu *λεγομένης*, *quae a Chirone cognominabatur*, h. e. dicebatur Chironis filia. Sic apud Dion. Cass. lib. 57. *τὸν Τιβέριον ἀπ' αὐτῆς ἐπικαλεῖσθαι*, *Tiberium cognominari ex ea*, seu *dici eius* Liviae *filium*. Plutarch. de Mulier. Virtute: *Lex erat Xanthiis*, *μὴ πατρόθεν, ἀλλ' ἀπὸ μητρὸς χρηματίζειν*, *ne a patre*, *sed a matre cognominarentur*, h. e. ut eorum nomini adderetur, non cuius patris, sed cuius matris essent filii. Aelian. VIII. 5. *ἀφ' ὧν αἱ δώδεκα πόλεις ἐκλήθησαν*, *a quibus XII. illae urbes appellabantur*, dum scilicet illae urbes, suo proprio nomine praeditae, vulgo etiam dicebantur illorum esse hominum. Ibid. *Medicinae artis* in hoc auctore ad graecismum potius refero, quam cum Scioppio ad archaismum. Graecis *ἰατρικὴ τέχνη* dicitur. Lib. II. 5. *Non alienos generis sui*, et VI. 7. *Assandro non alieno Pelei*. Plane uti apud Graecos cum hoc casu construitur τὸ *Ἀλλότριος*. Cap. 15. *Nihil submetuentem*, Graece *οὐδὲν ὑποδεδοικότα* vel *ὑποδείσαντα*. Cap.

24. *A bono honestoque elapsi*, Graece τοῦ καλοῦ κἀγαθοῦ ἐκπεσόντες. Ibid. *Eundem casum atque exitum utriusque custodiendum*, h. e. cavendum ipsis, siquidem quicquid ab his Graecis in Polydorum Priami F. designaretur, idem eventurum esset Menelao. Ita vere apud Graecos φυλάσσεσθαι, *custodire et cavere aliquid* Aelian. Var. Hist. I. 5. τὸ μὲν γὰρ δέλεαρ οὐχ ὑφορᾶται, οὐδὲ μὴν φυλάττεται τοῦτο, *escam non habet suspectam, neque sibi ab ea cavet.* Act. Apost. XXI. 25. φυλάσσεσθαι αὐτοὺς τὸ εἰδωλόθυτον, καὶ τὸ αἷμα, cet. *ut illi caveant sibi ab iis*, tanquam a malo. Cap. 30. *Virgo* de Chryseide, quae tamen nupta iam fuerat regi Eëtioni. Vide cap. 17. Sed sine dubio in Graeco fuit κόρη, qua voce virgo, filia, et puella, etiam nupta, notatur. Cap. 52. *Reliquis ducibus favorem attollentibus*, h. e. εὐφημίαν, *bona omina.* Quod Graeci in sacris εὐφημεῖν, hoc Latini *favere linguis* dicebant: hinc noster etiam extra sacra ubi reperit εὐφημίαν apud auctorem suum, id reddidit per *favorem.* Vide istic etiam Obrechtum. Adde his paene perpetua ex graecismo: *Legatorum Palamedes* I. 6; *Graecorum Menelaus* II. 20; *Barbarorum Hectore et Sarpedone, Graecorum Diomede* II. 32. Similiter II. 38. 43. cet. Tum, quia Graeci copulas τε καὶ sibi invicem respondentes fere semper geminant, ideo et noster passim *que et* in proximo iungit et opponit. Sic II. 29. ter uno et brevi in capite: *Qui ob amorem captivae seque et tanti numinis Deum contemtui habuisset: ac mox universi exsecrati deseruere, ob idque et memores Palamedis.* Dein: *Achilles in ore omnium ipsumque et Menelaum contumeliis lacerabat.* Similiter II. 42. *utrosque atque hostes*, τοὺς ἡμετέρους τε καὶ τοὺς πολεμίους.

XVI. Satis superque haec ex duobus tantum libris collecta declarant, quantopere graecisset noster interpres; atque adeo quam probabile sit, quod ait, ex Graeco scriptore hanc historiam se vertisse. Neque reiici ea velim, quod nonnulla ex iis etiam apud alios alicubi occurrant Latinae linguae scriptores. Nec enim singulae phrases separatim, sed tot simul ubivis apud Septimium, argumento mihi sunt ad id probandum, quod affirmavi. Sed et quod in lingua Latina ad solitam Graecae phrasin formatum, apud unum auctorem,

qui Graeca ante oculos habuit, praecipue et saepius adhibitum reperitur, nihilo minus pro graecismo haberi debet, licet apud alium quoque unum at alterum forsan, et rarius quidem, deprehendatur, quam pro Hebraismo accipitur in LXX Interpretibus et Apostolicis scriptis, quod apud illos crebro ex usu et genio Hebraei sermonis Graecis verbis est expressum, licet similis locutio, sed rarius, in aliis quoque Graecis scriptoribus investigari tandem aut ostendi queat.

XVII. Verum versio haec suo se iudicio clarius et certius proderet, si vel Graecus superesset Dictys, vel Malelas, qui ex eo historiam Troianam in suam retulit Chronographiam, fidelius eum descripsisset, nec maluisset interpolatam, et contractam, suisque verbis illam exhibere nobis historiam. Et tamen vel sic manifesta satis reperimus vestigia concurrentium simul Malelae, et qui eum sequitur, Cedreni, ac nostri Septimii, in eundem fontem et auctorem. Veluti quando Dictys noster seu Septimius ait I. 9. Helenam rogatam, *quae cuiusque esset*, respondisse, *Alexandri se adfinem, magisque ad Priamum et Hecubam, quam ad Plisthenis filios genere pertinere: Danaum enim atque Agenorem et sui et Priami generis auctores esse. Namque ex Hesiona Danai filia et Atlante Electram natam, quam ex Iove gravidam Dardanum genuisse, ex quo Tros, et deinceps insecuti reges Ilii.* Conferamus iam cum hisce, in quibus multa sunt singularia, quae apud alium non temere reperias, Malelam, qui se Dictyn in his sequi fatetur. Apud eum ergo pag. 120. Helena itidem rogata, *τίς εἴη, ἢ τίνων ὑπόγονος*, respondet, *Ἀλεξάνδρου εἰμὶ συγγενής, καὶ μᾶλλον προσήκειν Πριάμῳ καὶ τῇ Ἑκάβῃ, καὶ οὐ τῷ Πλεισθένους υἱῷ Μενελάῳ. Δαναοῦ γὰρ ἔφη καὶ Ἀγήνορος τοῦ Σιδωνίου καὶ ἐκ γένους τοῦ Πριάμου* (lege *εἶναι ἐκ γένους τὸν Πρίαμον*), *καὶ αὐτὴν ὑπάρχειν ἐκ τοῦ γένους αὐτοῦ. Ἐκ Πλησιώνης γὰρ τῆς Δακαοῦ θυγατρὸς ἐγεννήθη ὁ Ἄτλας καὶ ἡ Ἠλέκτρα· ἐξ ἧς ὁ Δάρδανος βασιλεύς, ἐξ οὗ ὁ Τρῶς, καὶ οἱ τοῦ Ἰλίου βασιλεῖς.* Videmus ex his easdem res et eandem rerum seriem, eadem fere bona et mala; iungi Danao Agenorem, qui illius erat patruus: quae coniunctio saltem verbo exponi debuisset, ut constaret, qua ratione per illos in idem genus et eandem

originem convenirent Priamus et Helena, sicuti iam, et recte, monuit Mercerus, et fecit Credenus, sed haud dubie de suo, quum Agenorem dicit *πατράδελφον*. Deinde videtur in nostro Dictye legendum non *Hesiona* nec *Pleiona*, sed *Plesiona*, unde facile formari potuit illud *Hesiona*, quod praeferunt MSti Dictyos, non hic, ubi mutilatum exhibent hoc nomen prima syllaba, leguntque tantum *Iona*, *Ona*, *Sona*, testibus Mercero et Obrechto, sed IV. 22. At antiquissima Mediol. Editio haud dubie suis etiam ex Codd. *Plesionem* hic legit, plane uti non Malelas modo, sed et Cedrenus: qui consensus non videtur temere repudiandus, quamvis ceteroqui neque *Pleiona* neque *Plesiona* neque *Hesiona* inter Danai filias memoretur ab iis, qui illas ex professo enumerant, Apollodoro et Hygino; contra ab omnibus Atlantis uxor dicatur, non Danai, sed Oceani filia, sive *Pleione* sive *Aethra* nomine. In uno autem seorsum abit a Septimio Malelas, sed haud dubie vitio memoriae vel negligentiae, quod Atlantem hunc Plesiones facit filium et Electrae fratrem, quum ex ipso Dictye nostro haud minus, quam ex omnibus aliis constet, maritum fuisse Pleiones sive Plesiones, Electrae autem patrem. Denique videmus praetermisisse eos pariter Erichthonium, qui interserendus erat inter Dardanum et Troa, huius quippe pater, illius filius. Neque omisit noster infra IV. 22. ubi plenius familiam et posteros Danai exponit. Culpa eius rei hic loci haeret haud dubie in illo ipso, qui tempore Neronis Graecum nobis Dictyn composuit, quo pariter usi Malelas et Septimius, ut ex hisce, nisi fallor, abunde patet, in eundem inciderunt errorem.

XVIII. Sequitur mox apud nostrum: *Agenoris quippe filium Phoenicem et Dymae patris Hecubae, et Ledae consanguinitatis originem dimisisse.* Quae ita Malelas expressit: *Καὶ διὰ Φοίνικα τὸν Ἀγήνορος υἱὸν, οὗ τινος ἐγένετο ἀπόγονος Δύνας βασιλεὺς ὁ Ἑκάβης πατὴρ, ἐκ τοῦ γένους δὲ τοῦ Δύνα καὶ ἡ Λήδα ἔλεγεν εἶναι.* Maxima in his, et ferme dixerim, inscita antiquorum hominum et fabularum confusio, sed quae quanto maior et quanto magis est singularis, tanto certius nobis praebet argumentum, vere Malelam et Septimium pariter ex eodem fonte, hoc est, ex Graeco Dictye, quod et ipsi fatentur,

sua hausisse. Etenim Agenores fuere plures, nempe Sidonius ille, pater Phoenicis et Cadmi, alius pater Phinei Thracis, illius ab Harpyiis vexati, de quo Valer. Flaccus Argon. IV. 444. *Non ego nunc magno quod cretus Agenore Phineus*, scil. commemorem. Denique avus Ledae, Thestii Aetoli pater. Hos omnes, aetate et patria licet diversos, in unum Sidonium contulit Dictys, dum ad illum refert originem Ledae et Hecubae: et praeterea quem Agenoris filium hic *Phoenicem* dicit, eum dein III. 5. et IV. 22. *Phineum* appellat, facitque socerum Dardani, unde reges Troiani, et ipse Dymas pater Hecubae. Ceterum ex Malela patet, nihil hic in Septimio vel Dictye mutandum. Sed et posteriora Malelae, quae tentari video a doctiss. eius editore, qui voluit *καὶ τὴν Λήδαν*, satis mihi quidem videntur integra. Saepe enim hic auctor in eadem oratione modum loquendi mutavit ex directo in indirectum, ex finito in infinitum. Respiciantur modo illa ipsa, quae proxime superiore paragrapho exhibuimus. Sensus vero est, dixisse Helenam haec ipsa: *Ex genere autem Dymae* (nam rectius ita Septimius noster, quam Malelas et Cedrenus *Dynas*) *etiam Leda se esse dicebat.* Plane ut eadem mutatione loquendi Cedrenus: *ἐκ γένους δὲ τοῦ Δύνα, καὶ Λήδα ἐστὶ μήτηρ ἡ ἐμή*: licet et istic superiora per infinitum sint exposita. Subiiciuntur hisce dein apud illos omnes, Malelam, Cedrenum et Septimium, eaedem Helenae preces, *orare, ne se, quae semel in fidem eorum recepta esset, prodendam putarent; ea secum domo Menelai, quae propria fuissent, nihil praeterea ablatum. Malelas: ᾔτησεν αὐτοὺς ὁρκώσασα μὴ προδοθῆναι, καὶ λέγουσα μηδὲν τῶν Μενελάου εἰληφέναι, ἀλλὰ τὰ ἴδια μόνα ἔλεγεν ἔχειν.* Hisce dictis Hecuba itidem apud utrumque fertur, eam complexa, omnium maxime deinceps defendisse. Adeo inter se conveniunt haec omnia, ut neminem putem negaturum, utrumque ab uno habuisse ea auctore, et quem memorant, uno Dictye: atque ita nostrum revera Graecum illum Dictyn, *ut erat*, *Latine exposuisse*, quod ipse ait, et ego probandum susceperam.

XIX. Idem vero agnoscet, quicunque cum Malela conferre etiam volet nostrum Sept. II. 18. de Polymnestore Thracum rege, ad pactionem et deditionem adacto, de Poly-

doro Priami filio Graecis tradito, quem alii plerique per avaritiam clam a Polymnestore interfectum perhibent, et de Teuthrante occiso ab Aiace, et abducta eius filia Tecmessa. Ea enim omnia non Malelas tantum, sed et Cedrenus, aeque ac Septimius, et eodem ordine, sine ulla circumstantiarum varietate nobis prodiderunt. Porro autem Hectorem per insidias caesum ab Achille, quum obviam Penthesileae prodiret: unum ex illius comitibus truncatum manibus, et ita remissum Troiam; istic re intellecta editum eiulatum tam vehementem, ut etiam aves ex aëre deciderent: Priamum mox cum Andromacha et Polyxena venisse ad Achillem, eumque orasse, ut cadaver Hectoris sibi redderet; immo obtulisse ei post impetratum iam cadaver Polyxenam, sed quam distulerit tunc Achilles: Penthesileam vero, audita nece Hectoris, redire domum voluisse, sed a Paride multo auro inductam mansisse, et mox commissa pugna, cum aciem ipsa ordinasset, et inter equites constitisset, fortiter dimicasse, sed ab Achille equo deiectam, et crinibus tractam, occisam obiectamque in fluvium Scamandrum: Graecos dein peremisse multos ex hostibus; at Amazonibus pepercisse, servituti destinatis: venisse postea Memnonem regem Indorum cum maxima manu ad suppetias Priamo ferendas: victos ab eo Graecos ad naves refugisse, quas ipsas sola nox superveniens servaverit: sorte dein ductum Aiacem Telamonium, qui postridie cum Memnone pugnaret: hic vero quum illi succumberet, Indos invasisse Aiacem; sed interim Achillem nudatum Memnonis collum hasta traiecisse, et ita eum occidisse: eum ipsum dein vicisse denuo Troianos, et captos Priami filios, Troilum et Lycaonem, iugulasse: denique quum induciae essent propter solenne Thymbraei Apollinis, et ab utrisque sacra fierent in eius luco extra Ilium, Priamum misisse Idaeum ad Achillem de Polyxena ipsi despondenda; Achillem vero separatim cum Idaeo collocutum, idque Graecos sequius accepisse: mox accessisse Paridem et Deiphobum, quorum ille Achillem, quem hic per speciem amicitiae complexus tenebat, apud aram gladio confoderit: quo facto illos alia via, quam qua venerant, luco egressos, cursu contendisse Ilium: Aiacem vero Diomedem et Ulyssem, qui extra lucum exspectabant Achillem,

cum eo acturi, quum illos aufugientes ex luco vidissent, accurrisse et invenisse istic Achillem lethaliter vulneratum: dixisse tunc Aiacem: *Fuit confirmatum ac verum per mortales, nullum hominem exsistere, qui te vera virtute superaret, sed uti palam est, tua te inconsulta temeritas prodidit.* Vel si malumus haec Graece legere ex Malela: *Ἦν ἄρα ἀληθῶς, ὅστις ἀνθρώπων* (dicuntur haec quasi per interrogationem, *Fuit ergo vere aliquis hominum, qui cet.?*) *ἠδύνατο κτεῖναί σε ἀλκῇ διαφέροντα πάντων; Ἀλλ' ἡ σὴ προπέτεια ἀπώλεσέ σε:* Respondente Achille: *Dolo me atque insidiis Deiphobus atque Alexander Polyxenae gratia circumvenere. Δόλῳ εἰργάσαντό με Πάρις καὶ Δηΐφοβος διὰ Πολυξένην.* Quae Malelae verba temere sollicitat eius editor, legens: *Δόλον εἰργάσαντό με.* Nam eadem plane habet Cedrenus, et magis conveniunt cum nostro Septimio. Posuerunt autem illi, ut liquet, *εἰργάσαντο* pro *διειργάσαντο*, h. e. *confecerunt*, *interfecerunt.* Haec ergo omnia tanto consensu, et rerum a communi sententia saepe abhorrentium, et aliquando etiam ipsarum locutionum, eodem prorsus ordine, reperies apud nostrum lib. III. et IV. qui tamen et alia minoris paulo momenti, ac minus historica, subinde aspergit, et haec ipsa plerumque pluribus aliquanto verbis exsequitur: et apud Malelam, in Teucri Telamonii narratione rerum ab Achille potissimum gestarum ad Pyrrhum huius filium, p. 156. . . . 166: denique apud Cedrenum, in serie historica sui compendii. Sequuntur dein alia, pleraque itidem singularia, et inter se tamen in hisce auctoribus congruentia: veluti de morte Paridis tribus vulneribus a Philocteta vulnerati, et insecuta Oenones morte; de prodigio infausto, quod Troianis dein obvenerit; de legatione Antenoris ad Graecos; de pactione inter Graecos et Troianos, turpiter proditos ab Antenore, et deceptos iureiurando Graecorum; de lite inter Ulyssem et Aiacem non de armis Achillis, sed de Palladio; denique de nece Aiacis noctu in tentorio suo occisi, non sua manu, sed dolo Ulyssis, qui et ideo ex castris Graecorum aufugerit in Thraciam: quae omnia iterum noster habet lib. IV. extr. et toto lib. V; Malelas autem in oratione Ulyssis ad Graecos de Palladio p. 140. . . . 144. et Cedrenus p. 130. 131. 132. Ceterum in-

dicio haec sunt, nisi valde fallor, certissimo, verissimum esse, quod ait noster Septimius, ex Graeco scriptore, qui Dictyos Cretensis nomen praeferebat, hosce libellos ab se versos, et illo quidem ipso, qui a posterioribus Graecis, ac inprimis Malela, cognitus fuit eo nomine et saepe citatus.

XX. Nam quod Barthius suspicabatur, Graecos ea, quae Dictyos nomine citant, sumpsisse ex hoc Latino Septimii opusculo, vel hoc ipsum opusculum in Graecam postea linguam convertisse, id profecto ab omni veri specie est alienissimum, quum noster sua se ipsum e Graeco vertisse, et nonnulla Graeci auctoris contraxisse, ultro profiteatur: quum tot in eo occurrant passim graecismi, ut supra ostendimus, immo et vocabula ab ipso primum ex Graeco sermone expressa et formata, quale est illud *Iovis anteaedificialis* ex Iove Ἑρκείῳ, et similia, quae versionem liquido declarant: quum noster in sex libros historiam redegerit, quam Graecus scriptor in novem vel decem libros disposuerat, teste Suida: quum Graeci ex suo Dictye multa adferant, quae in nostro non reperiuntur, veluti characteres heroum: quum deinceps Malelas, qui linguam Latinam vix intellexit, ut abunde probavit Cl. Hodius in Prolegom., ex Dictye pleraque huius historiae hausisse se tradat, et tamen nonnulla etiam accuratius et disertius expresserit, quam noster Septimius, qui aliquando circumcisis necessariis ad rei intelligentiam circumstantiis obscure quaedam et ambigue narrat. Veluti quod de Aethra et Clymena supra memoravimus: cui adde locum IV. 3. *Fugam capessunt, clausisque civitatis portis, nostri reliquos, quos fuga bello exemerat, obtruncant, feminis tantum abstinentes manus, parcentesque sexui.* Dubium enim hic relinquitur, utrum illi, qui sub Penthesilea militabant et fugerant ex acie ad urbem, clauserint ipsi dein portas, an vero Troiani, qui in urbe manserant. Prius crederet quis, qui Septimium tantum legit; at vero, qui et Malelam, deprehendet continuo, verum esse posterius. Nam Troianos dicit ille *clausisse portas*, διὰ τοὺς φεύγοντας, *propter illos fugientes*, ut repugnare scilicet Graecis cogerentur; sed et de *feminis* illis addit, fuisse Amazones, quas Graeci captas inter se diviserint.

XXI. Denique res manifesta vel maxime ex libro sexto

nostri interpretis, in quem unum se redegisse ait quatuor vel quinque volumina Graeci Dictyos, certe retulit totam historiam de reditu Graecorum. Malelas autem similiter quidem defunctus est paucis in ea historia, sed ita tamen, ut non sequatur Septimium, verum reliquis ex Graecorum reditu praetermissis, delegerit potissimum historiam Ulyssis, ac dein Agamemnonis occisi ab uxore, ut et huius filii Orestis: de quibus omnibus longe plura, licet congruentibus summis rerum ab Homericis narrationibus aliquando secedentium capitibus, refert, quam noster, et tamen ex Dictye, ut diserte identidem ait. Vide pag. 152. de Circe, quam noster nihil aliud, quam nominat, et pag. 155. 168 et 172. Clarum ex eo, habuisse Graecos posteriores illa, quae *Dictyos* nomine laudant, non ex nostro Septimio, sed ex Graeco Dictye, quem ipsum vertit Latine Septimius, et hac in parte, quae de reditu Graecorum agebat, contraxit in epitomen, et ideo minus, quod ad filum historiae et seriem rerum, cum Malela et Cedreno istic congruit.

XXII. Ista autem uberius paulo et copiosius demonstrare volui, quia in hisce consistit *τὸ κρινόμενον*, et totius controversiae nodus. Illis enim expeditis, res ipsa, tot inanibus coniecturis implicita et obscurata, in liquidam emergit lucem, et patet tandem, de Dictye Cretensi quid nobis sit statuendum. Nam si hoc constat, Septimium vertisse hosce libellos ex illo Dictye, quem Graeci scriptores et scholiastae identidem laudant; seu Graecos hosce nullum alium habuisse, novisse, designasse Dictyn, quam hunc ipsum, quem Septimius sermone Latino expressit: evadet tunc diurna luce clarius et certius, falsum ergo esse, quod Graeci illi tradiderunt diserte, quodque ideo crediderunt atque affirmarunt Vossius pater, Leo Allatius, et plerique hodie alii, scripsisse historiam de bello Troiano antiquissimum quendam Dictyn, Idomenei Cretensium reguli comitem, qui ipse bello Troiano interfuerit, et res ab se ipso visas memoriae mandaverit. Nomen eius, personam in ista expeditione, aetatem et scriptionem finxit ille, qui Graecam hanc historiam tempore Neronis composuit, et unde unice tota haec fabula de antiquissimo illo Dictye Cretensi videtur orta. Nam nullus alius un-

quam memoratur, sed et nemo in Graecia exstitit, qui ante Homerum quid scripserit, et de Troianis quidem rebus, ut satis probasse me puto ex variis auctoribus ad Aelian. Var. Hist. XI. 2. Viri doctissimi, qui hoc tempore, alius alium secuti, talem nobis Dictyn narrant, credidere alium fuisse Graecorum Dictyn, atque hunc nostri Septimii. Quod cum liquido in superioribus refutaverim, nec quisquam alius ab illo Graecorum et nostri Septimii Dictye exstiterit illius nominis, superest nihil aliud, nisi unum hoc, quod tamen nullius ferme negotii est, quum vix quenquam in eo habiturus sim refragantem, ut ostendam, neque illum nostri Dictyos auctorem, qui se finxit antiquissimum illum Dictyn comitemque Idomenei, fuisse temporibus Troianis aequalem; atque adeo falsum esse illum et mendacem, quando id per totam historiam sollicite adeo inculcat.

XXIII. Arguunt enim illum multi errores historici, partim ab ipso profecti, partim ex poetis repetiti: veluti de *Aethra*, comite Helenae, quae fuerit mater Thesei, et quae ideo Demophoonti Thesei F. extra ordinem assignata (V. 13), redierit post captam Troiam Athenas; quod a vero est alienissimum, et ideo iam a veteribus ipsis explosum: de *Castore* et *Polluce*, Helenae fratribus, adhuc viventibus extremo belli Troioni anno, III. 25: de Memnone, *Tithoni et Aurorae*, seu, ut ait VI. 10, *Hemerae* filio, qui *cum Indis atque Aethiopibus ab iugis Caucasi montis* Troiam venerit, IV. 4: tum quod Io dicit *ex Sidoniorum regione* raptam ab Argivis II. 26; quod ex Herodoto, quem lib. I. ipso in initio videas velim et cum nostro conferas, aberrans nostri auctoris memoria videtur sumpsisse: denique quod Telephum facit regem *Moesiae* in Europa, unde difficilis esset navigatio Troiam versus, nec institui commode posset nisi initio veris, quapropter et Graeci inde redierint in Boeotiam, ut ita sequenti demum anno, repetentes hanc navigationem, Troiam ipsam invaderent II. 7; quum fuerit ille rex Mysiae in Asia, regionis, quae proxima erat Troiae. Vide ibi doctiss. Mercerum, qui et alia passim annotavit, inque iis etiam male ex Homero descripta. Ut adeo certum ex hisce omnibus sit, fuisse eum non modo non socium istius expeditionis, quo pacto tam

graviter in illis errare non potuisset, sed ipso etiam Homero seriorem.

XXIV. Porro etiam quamplurima poetarum commenta, nihil veri continentia, et tamen hic, si Diis placet, pro verbo nobis venditata, auctoritatem eius, et maxime antiquitatem tantam, prorsus elevant et destruunt. Tale est Palladium, quo ablato exitium Troiae immineret: equus ligneus, cuius in urbem inducendi causa Troiani confestim primo die, quasi magnum in mora periculum esset, portas et muros urbis deiecerint: muri hi ipsi, *Neptuni atque Apollinis monumenta*, hoc est, ab illis Diis, ut fingebatur, exstructi: Hecuba Parin editura, somnians se parere facem, qua conflagraverit Troia, exceptis aedibus Antenoris et Aeneae; ideoque expositus tunc Paris: idque postea referens ipse Priamus: Helenus Priami F. fata Troiae enuncians et praedicens Graecis, monensque ut ligneum illum equum exstruant: Cassandra Agamemnoni eventura declarans: denique Cyclopes et Laestrygones, Antiphates et Polyphemus, Circe et Calypso, Penelope cum XXX procis. Haec omnia satis superque ostendunt, auctorem nostrum hausisse sua potissimum ex Homero atque aliis poetis, licet, forsan ut id dissimulet, saepe haud parum immutata; tum vero a fide historica hominis, qui rebus gestis interfuerit, easque simpliciter, ut gestae erant, narraverit, longum abire.

XXV. Sed et suo ipse iudicio antiquitatem illam, quam iactat, clarissimum in modum passim refellit. Huc pertinet, quod ubique, etiam in orationibus Graecorum ad Troianos (vide II. 22. et III. 23, et apud Malelam p. 158), hosce vocitat *Barbaros*, eoque nomine *Graecis* opponit; quum ea vox illo certe sensu tunc temporis nondum fuerit in usu. Unde observarunt iam olim Thucydides I. 3 et Strabo lib. XIV. p. 661 cet. ne Homerum quidem, qui tanto tempore post vixit, non dicam Troianos, sed neque ullos alios, appellare *Barbaros*, tantum semel Caras dicere *βαρβαροφώνους*. Oppositio autem istaec *Graecorum et Barbarorum* longe serior fuit non Troianis tantum temporibus, sed et ipso Homero. Strabo d. l. *εἶτα κατεχρησάμεθ' ὡς ἐθνικῷ κοινῷ ὀνόματι, ἀντιδιαιροῦντες πρὸς τοὺς Ἕλληνας*, *postea abusi sumus* hac

voce in alium usum, scilicet ut Barbaros quasi *communi* hoc *gentium vocabulo distingueremus a Graecis.* Ea tamen quum apud nostrum Dictyn sit frequentissima, nemo non facile intelliget, fuisse ergo illum Homero longe posteriorem.

XXVI. Similis pretii et notae est, quod *Thessaliam* memorat VI. 7. quum hoc nomen ne fando quidem auditum fuerit Troiani belli tempore. Diserte Velleius Pat. 1. 3. appellationis huius originem ad tempus demum, quod fuit post reditum Heraclidarum in Peloponnesum, refert, quum antea *Myrmidonum civitas* ea regio et gens fuerit appellata. Subiicit tunc verba hic notanda: *Quo nomine mirari convenit eos, qui, Iliaca componentes tempora, de ea regione, ut Thessalia, commemorant, quod quum alii faciant, tragici frequentissime faciunt, quibus minime id concedendum est: nihil enim ex persona poetae, sed omnia sub eorum, qui illo tempore vixerunt, dixerunt. Quod si quis a Thessalo Herculis F. eos appellatos Thessalos dicit, reddenda erit ei ratio, cur nunquam ante insequentem Thessalum ea gens id nominis usurpaverit.* Liquet ex his abunde, longe seriorem Troianis temporibus esse illam appellationem. Sed et qui eam ab Thessalo Herculis F. derivabant, non tamen illius tempore coeptam, sed aliquanto post ab illius Thessali posteris ortam, et regioni ab se occupatae in honorem progenitoris sui impositam tradebant. Vide Strab. lib. IX. extr. Adde autem iis Velleii etiam ea, quae mox memorat idem de *Corintho*, *multo* etiam *post Ilium captum* sic nominata, et tamen a nostro Dictye saepius solo hoc nomine designata. Sed et huc refero, quod *Corcyram Melaenam* ab Aenea *constitutam* ait V. 17. *civitatem his, qui secum navigaverant.* Etenim *Corcyrae* nomen necdum habuit tunc ne praecipua quidem istius nominis insula, saepissime licet ab Homero memorata, sed dicta ab eo *Σχερία* et *Φαιάκων νῆσος*; at postea demum, immo demum postquam Corinthii eam tenuerunt, si fides Cononi, *Κερκύρας* seu *Corcyrae* nomen accepit. Vide Palmerii Graec. Antiq. II. 10. Quod si maior insula necdum id nomen tunc temporis habuit, neque minor illa et interior in Adriatico mari habuisse videtur. Certe epitheto distinctionis, ut diceretur *Corcyra Nigra* seu *Μέλαινα*, opus non fuit, quando

nulla alia erat insula, quae istoc nomine designaretur. Adde iam, Strabonem tradere, urbem istius insulae non ab Aenea, sed a *Cnidiis* conditam, lib. VII. p. 315.

XXVII. Porro autem quam ineptum est et alienum a Troiani temporis scriptore, quod memorat *de literis Punicis, ab Cadmo Danaoque traditis*, quibus in conscribenda hac historia usus sit; et de *diversitate sermonis* inter Graecos, immo et ipsos Cretae, unius insulae, incolas. Nam *literas* utique diversi generis non habuerunt antiquissimi Graeci, quippe quos inter rarus omnino erat literarum usus. Acceperant eas ex Phoenicia, quas auctor *Punicas* ideo dicit, et praeter quas nullas illi alias habebant aut norant. Quocirca quid opus erat, sui temporis homines, quorum tamen ratio maxime habetur a scriptoribus, monere, se iis literis usum, quae solae tunc illis erant notae? Nonne ineptus esset hodie, qui doceret lectores, se librum suum edidisse, arte typographica excusum, quae inventa sit ante hos ducentos et quinquaginta ferme annos? Sed satis, opinor, patebit cuilibet, inculcari haec non Troiani temporis hominibus, sed illis, qui multis seculis post vixerunt tempore Neronis, ut scilicet rationem quandam haberent, quare haec historia, in lucem tunc prodiens, sermone fuerit Graeco composita, et tamen Punicis literis quae tunc multum diversae erant a Graecis, scripta. De *sermone* vero quod ait, sumptum id est ex Homero Od. XIX. 175. ubi de Cretae incolis ait, *Ἄλλη δ' ἄλλων γλῶσσα μεμιγμένη, alia aliorum est lingua inter se permixta.* Verum haec de dialectis exiguae prorsus discrepantiae in pronunciando, qualis etiam hodie inter proximas unius gentis urbes plerumque reperitur, sunt intelligenda, ut ipse censet Eustathius. Neutiquam ergo debebant Graeci propterea dici *diverso inter se sermone agere*, aut haesitatio oboriri homini istius temporis aliquid publice scripturo, qualem praefert noster lib. V. cap. 17. usum se *oratione ea* testatus, *quam maxime inter tam diversa loquendi genera consequi ac comprehendere potuerit*, quum utique ex omni Graecia homines tunc fuerint diu in unam expeditionem coniuncti, et alter alterum facillime intellexerint, ut homines unius linguae solent. Longe maior fuit discrepantia elocutionis Graecae, in varias tunc dialectos

distinctae, quando Graeci iam erant sparsi non per totam modo Graeciam, in latissimos tandem fines diffusam, sed et in Asiam minorem, in Italiam et Siciliam. Neque tamen ita tunc haesitavit Herodotus, historiam suam editurus, Ionica licet dialecto uteretur inter Athenienses et Thurios. Sed haud dubie affectavit Dictys noster obsoletas et antiquatas iam, forte et peregrinas locutiones, ut ita speciem antiquitatis suae daret scriptioni: earum autem rationem in linguam antiquissimi temporis, ut plane incertam, voluit referre hac excusatione, quae tamen ipsa magis iterum idonea est ad docendos non Troiani temporis homines, sed longe posteriores, quos antiqui moris et linguae ignaros non vult *mirari* hanc haesitationem.

XXVIII. Denique ut absolvam, cui non suspectum erit, qui animum attendet, anxium illud et quaesitum adeo studium reddendi toties rationem, unde haec omnia cognoverit? Etiam vulgo fertur, eos, qui se studiose nimis identidem excusant, ipsos se accusare. Ita vero suspectus quoque est malae fidei, qui sollicite adeo suam fidem toties praedicat et commendat, ut noster facit minimum ter ex professo in exiguo hoc libello, inculcans identidem, se interfuisse rebus gestis, quod nemo tunc, in patria certe eius, ignorare potuisset. Vide I. 13, V. 17, VI. 10. Sed et hoc sine dubio aspersum est unice ad faciendam novo et supposito operi tam antiqui auctoris, cuius nomen prae se ferebat, fidem, speciem et auctoritatem.

XXIX. Quis ergo verus istius historiae auctor fuerit, si quis me roget, ego vero vix dubito, quin *Praxis* ille Cretensis vel *Eupraxides*, qui *Neroni* hosce libros obtulit, eos etiam composuerit. Ille enim quum sciret Neronem, Principem vanissimum, Graecis artibus et fabulis mirifice deditum, videtur historiam hanc eo animo partim de suo finxisse (nam multa profecto habet prorsus singularia, in quibus ipsi ego certe haud multum fidei tribuerim), partim ex poetis atque aliis scriptoribus antiquis collegisse, ut Neroni eam offerret, et ita a prodigo et stolido homine lautum consequeretur praemium. Quod et ita evenit. Nam quum Nero in Achaiam venisset, oportunissimo tempore hoc opus ad eum detulit,

et plurimis ab illo muneribus vicissim donatus dicitur. Verum ut existimationem operi et auctoritatem adderet, fecit, quod artifices tunc facere solebant, qui, ut pretium operibus novis et suis maius invenirent, *Praxitelis* aut *Myronis* nomen iis inscribebant, teste Phaedro: eadem ergo ratione et ille *Dictyos Cretensis* nomen suo operi praescripsit, eumque finxit Idomenei Cretensium reguli fuisse comitem in expeditione a Graecis in Troiam suscepta. Ut vero opus, hoc tam specioso nomine ornatum, etiam aetatem antiqui adeo auctoris ipsis veluti oculis ingereret, scripsit illud *literis Punicis*, quales tunc erant Poenis iu usu, et qualibus credebat antiquissimos Graecos olim usos, quia illos literas ex Phoenicia per Cadmum accepisse norat, licet Punicae Neroniani temporis literae multum sane haud dubie mutatae iam essent ab illis, quas olim Cadmus in Graeciam intulerat. Praeterea scripsit illud in *philyris* seu *tiliis*, hoc est: vel in tabellis tiliaceis, de quarum antiquo et frequenti usu ante inventam papyrum et membranam pergamenam egimus ad Aelian. Var. Hist. XIV. 12; vel in voluminibus ex libro, seu interiore tunica inter corticem et lignum tiliae, formatis, in quibus et ipsis scripserunt vel maxime antiquissimis temporibus. Vide Vossium de Arte Gammat. I. 36. Denique finxit inventos esse hos libellos in sepulchro illius Dictyos, quod terrae motu, quem senserat tunc Creta, collapsum et apertum fuerit. Neque caruerunt successu suo hae artes et fraudes, siquidem non ipse tantum Praxis unctius ab Caesare retulit caput, sed et ipsum hoc opus literis Graecis seu Atticis descriptum, tanquam genuinum *antiqui viri*, *qui apud Ilium fuerat*, *monumentum*, in publicam tunc fuit receptum bibliothecam, et ita vulgatum deinceps, ut Graeci multum eo fuerint usi, et pro vero antiquissimi Dictyos habuerint fetu, unde, ut ait Prologus operis, *verior Troiani belli textus innotuerit.*

XXX. Nec minus magnifice de eo sensit Septimius, qui idcirco *avidus*, ut ait, *verae historiae*, illud Latine versum suo stylo explicuit, si fides Epistolae huic versioni praemissae est habenda. Eam vero derogat illi Ios. Mercerus, eamque Epistolam *omnino* affirmat *nuperi esse et imperiti grammaticuli*, quum quod ad alteram Praefationem seu Prologum, *non*

dubitet, quin sit ab ipso operis scriptore, quem id opus non ex Graeco vertisse, sed Latino sermone composuisse contendit. Posterius hoc abunde et copiose confutavimus in posterioribus. De illo autem Prologo, quem solum in suis ait reperiri MStis Codicibus, lubens iverim in sententiam Ampliss. Obrechti, qui illum Graece primitus scriptum, et Graeco Dictyi praemissum fuisse arbitratur. Ita vero et ille ex Graeco debuit sermone in Latinum esse translatus, non tamen a Septimio, quippe a quo in quibusdam in diversa abit, et cuius idcirco tempore nondum exstitisse videtur, certe non in omnibus exemplaribus, neque adeo in iis, quae in Septimii manus devenerunt. Patet inde quam male igitur eum Leo Allatius pro illius quoque Prologi auctore habeat, et ideo sibi incaute nimis adversari, in Prologo scil. et Epistola, putet, de Pat. Homeri p. 59. Ego vero Prologum hunc ab ignoto nobis homine, et incerto tempore ut formatum primo, ita dein ab alio etiam versum Latine crediderim, quia plura ad historiam inventi operis pertinentia continebat, quam Septimii illius Epistola. Quae et causa forsan fuit, quare in quibusdam Codd. non repariatur, in aliis vero eiectae Septimii Epistolae sit substitutus.

XXXI. Ceterum interpres ille, quisquis fuit, accommodasse tamen eum videtur ad Latinam hanc Dictyos versionem, siquidem auctorem ipsum in *sex* tantum *volumina*, quot sunt huius versionis, historiam digessisse ait, quum Graecus Dictys illius Praxeos in novem fuerit vel decem volumina divisus, ut ex Septimii Epistola et Suida constat. Sed et erravit auctor illius Prologi in eo, quod ait, *iussisse* Neronem *in Graecum sermonem ista transferri*, quasi alio fuissent sermone conscripta. Rectius Septimius *orationem fuisse Graecam* affirmat, *literis* tantum *Punicis conscriptam*, quod ipsum utique ipse etiam auctor operis prae se fert lib. V. p. 17. An ergo voluit Prologus, quia forsan obsoleto et barbaro ferme sermone historia haec consulto fuit a Praxide composita, redactam eam iussu Neronis, sublatis illis obsoletis et peregrinis, in nitorem linguae tunc usitatum, aeque ac Punicae literae commutatae sunt Atticis? Id paene credidissem, quia ceteroquin ille Prologus diserte nimis auctori suo adversatur,

nisi verba essent nimis simplicia et aperta, ac iam antea Dictyn etiam *vocis Phoenicum* dixisset *peritum*, quod non alia videtur ratione istic expositum, quam ut inde intelligeremus, non tantum literis, sed et voce ac lingua Punica hoc opus a Dictye illo fuisse scriptum, unde *in Graecum sermonem transferri* debuerit. Et forsan crediderunt id posteriores Graeci tanto facilius, quia stylus Graeci Dictyos, prout ad illos pervenit, non praeferebat tantam antiquitatem, quantam iactabat auctor operis.

XXXII. Frivola autem sunt, quae Septimii Epistolae opponit Mercerus. *Non exstitit in* eius *Codd.* at reperitur in aliis, et in iis, unde expressa est prima omnium Editio, a quibus vicissim tunc abest ille Prologus. Dein *seriem seu nexum Prologi et operis ipsius turbat:* at Prologus ille non est ab auctore operis, sed ab alio, ut ex eo ipso liquet, incertum quo et quando compositus, ut adeo nulla hic sit genuina series. Porro *Q. Arcadio inscripta in Rufinum desinit:* at unus idemque fuit homo *Q. Aradius* (non *Arcadius*) *Rufinus.* Denique *Ephemeridem nominat hunc librum minus proprie:* at ille fuit verus libri, seu ipsius Graeci Dictyos, titulus, ut ex Suida constat, quem bona itaque fide servavit Septimius. Graecis autem ἐφημερὶς notabat proprie diurnos historiae commentarios, deinde vero etiam omnem historiam, quae perpetuo temporis ordine progreditur, unde, ut notavit iam Ampliss. Obrechtus, etiam Caesaris *commentarios ἐφημερίδας* illi dixerunt. Malelas tamen laudat Dictyn titulo ῥαψῳδιῶν, sed qua voce designantur singula huius operis volumina. Ita certe pag. 172. *Ταῦτα Δίκτυς ἐν τῇ ἕκτῃ αὐτοῦ ῥαψῳδίᾳ ἐξέθετο.* Nihil ergo in illis est, quo minus genuina haec habeatur et antiqua ipsius interpretis Epistola. Quod et esse eam vere, etiam inde liquet, quod ad *Q. Aradium Rufinum* est scripta, hominem satis suo tempore illustrem, non ita tamen cuilibet etiam post sua fata notum, ut *nuperus et imperitus grammaticulus* eius potissimum videatur arrepturus nomen ad Epistolam talem fingendam.

XXXIII. Maior vero est difficultas in *Septimio*, eius Epistolae auctore et operis huius interprete, reperiundo, seu in declarando, quis fuerit ille Septimius, et quando proprie

vixerit. Nulla habemus vestigia, quae in eo indagando et eruendo sequamur, nisi quae nobis una *Q. Aradii Rufini* mentio praebet. Ea enim sola uti debemus ad constituendam Septimii aetatem. Sed illius quoque aetas aliquantulum incerta, quia plures fuerunt istius nominis homines. Nec enim, quod viri docti videntur existimasse, unus fuit, et qui iam sub Diocletiano Praefectus urbis primum fuit, et qui LX annis post ab Iuliana factus est Comes Orientis apud Ammianum Marcell. XXIII. init. Neque etiam putem, Aradium hunc Rufinum esse illum in lapidibus memoratum *P. Aradium Rufinum Valerium Proculum*, ut censet Onufrius in Fastis an. MLXVIII., quem tamen in eo sequuntur omnes, quos vidi. Nam ille unico nomine, vel paucis, si designaretur, dicendus erat potissimum *Valerius Proculus*, vel tantum *Proculus*, more istius temporis, quo ex pluribus nominibus semper ultimo maxime, tanquam sibi potissimum proprio, appellabantur homines. Ita Imperator *M. Messius Quintus Traianus Decius* ab omnibus, Trebellio Pollione, Eutropio, Victore, Orosio, Sulpicio Severo cet. passim simpliciter *Decius* vel *Traianus Decius* dicitur. Eius autem sive filius sive gener, *C. Valens Hostilianus Messius Quintus*, simpliciter *Quintus*, sicuti Augusta illius temporis, *Gnaea Seia Herennia Sallustia Barbia Orbiana*, breviter *Barbia Orbiana* vocatur. Sed et hic ipse *Q. Aradius Rufinus Valerius Proculus* in corpore ipso Inscriptionis I. p. 362. apud Gruterum omnibus quidem hisce nominibus ita exprimitur, at in eius vastigio lapis iste positus scribitur tantum *Valerio Proculo V. C. Praesidi Provinciae Byzacenae.* Neque aliter *L. Aradius Valerius Proculus* apud Gruterum pag. 361. in duobus carminibus maiori titulo, qui omnes eius honores continet, subiectis, tantum *Proculus* dicitur. Quae ipsa carmina etiam ad Q. Ar. Ruf. Val. Proculum Onufrius male retulit, licet is Consul, certe ordinarius, nunquam fuisse videatur.

XXXIV. Quid ergo? Familiam hanc sic ego ordinaverim, sed ex coniectura, ut puto tamen probabili. Primus in ea vir illustris fuit *Q. Aradius Rufinus*, Praefectus urbi anno MLVI et MLXII., qui male in libello Praefectorum urbis modo *Eraclius Rufinus*, modo *Heraclius Ruf.* et ideo ab Onu-

frio etiam peius *Heraclius Rufinus* nominatur. Vide Iuretum ad Auctarium Symmachi Ep. I. Idem Consul videtur fuisse anni MLXVIII., non autem ille *Q. Ar. Ruf. Val. Proculus*, ut vult Onufrius, et alii. Nam Consul iste ab Eusebio, Cassiodoro cet. non *Proculus*, sed *Rufinus* simpliciter dicitur. Denique hic est ille *Aradius Rufinus*, quem his nominibus celebrat Symmachus Pater in Auctario Ep. I. addens ad extremum,

Principibus, quorum viguisti tempore, doctus
Aut calcaria ferre bonis, aut fraena tyrannis.

Intelligit autem omnes illos Principes et Caesares, qui fuerunt inter Diocletianum et Constantinum Magnum, quorum omnium tempore viguit revera hic homo, *ex ruina* idcirco *proximae aetatis*, quam patrem suum istis carminibus *illuminare* ait Filius Symmachus, ab illo patre, qui floruit sub Constantio et Iuliano, repetendus. Huic Rufino proxima necessitudine iunctus fuisse videtur *Valerius Proculus*, ille ipse, quem ei iungit Symmachus Pater, et praemittit *Anicio Iuliano* ac *Petronio Probiano*, Consulibus anni MLXXIV., quos sequitur istic unus *Verinus*, qui Praefectus urbis fuit proximis annis MLXXV. et MLXXVI. Quum ergo videatur in istis quinque hominibus ratio aetatis servata, inde colligo, fuisse ergo hunc Valerium Proculum, quem a priscis Valeriis *Publicolis* repetit Symmachus, aetate proximum Aradio Rufino, reliquis vero superiorem, atque adeo diversum quoque ab illis Aradiis Val. Proculis, qui paulo post exstiterunt, et quos ferme crediderim fuisse eius iam tunc aetate provecti Anic. Iulianum et Petr. Probianum Consules (senes autem illo tempore plerumque iam erant privati homines, qui ad Consulatum, supremum etiam tunc honorum fastigium, et ideo in titulo L. Aradii Val. Proculi ultimo loco memoratum, producebantur, unde et *honorem senilem* vocat Symmachus lib. I. Ep. 1.) filios. Nempe Proculus iste habuit, ut reor, in matrimonio Aradii Rufini sororem, et ex eo matrimonio nati sunt *Q. Arad. Ruf. Val. Proculus*, Praeses provinciae Byzacenae anno MLXXIII. et *L. Arad. Val. Proculus*, Praef. urb. MLXXXIX, Consul. MXCII. et multis aliis honoribus insignis; quos memorat marmor apud Gruterum p. 361 et 363. Solebant au-

tem istis temporibus, qui diversarum gentium nomina ita iungebant, nisi ex ea adoptione haberent, ex materna filia, maxime si illustris esset, potissimum sumere, et paternis addere vel praemittere. Ipsius vero Q. Aradii Rufini filium vel nepotem puto illum *Aradium Rufinum*, qui anno MCXVI. ab Iuliano Comes Orientis est factus.

XXXV. Ita vero plures iam habemus istius nominis viros, ex quibus primum censeam esse hunc Septimii nostri amicum, quia eodem tempore duos reperio illustres itidem *Septimios*, alterum *Bassum*, tertio decimo anno post Arad. Rufinum, alterum *Acindynum*, XI. anno ante Ar. Rufinum, urbis Praefectos. Posterioris huius filius, ut opinor, collega etiam fuit in Consulatu L. Ar. Val. Proculi anno MXCII. Ex illis, Basso et Acindyno patre, alterutrum crediderim fuisse nostrum Septimium. Nam certe, qui hanc versionem tam familiariter misit ad Q. Ar. Rufinum, virum adeo illustrem, eiusque favorem quasi iure suo exegit, ut scriberet *Tu, Rufine mi, ut* PAR *est, fave coeptis*, eum oportet itidem fuisse fortunae et dignitatis haud multo inferioris hominem. Verum uter illorum, immo etiam an plane quispiam ex illis, Dictyn hunc Latina ornaverit locutione, quia incertum est, relinquemus in medio.

XXXVI. Hoc certius arbitramur ex aetate Q. Aradii Rufini, *Septimium* hunc, quisquis fuit, vixisse et versionem hanc confecisse tempore Diocletiani aut circiter, atque adeo paulo ante, quam Christianismus in imperium Rom. fuit tandem publicee receptus. Quin, quum huic Christianismo adversos etiam postea fuisse plerosque illustres urbis Rom. senatores, vel ex Symmacho constet, idcirco suspicer ferme, libellum hunc, qui tantam prae se ferebat antiquitatem, et in quo varia historicae fidei praetextu memorentur oracula, vaticinia, prodigia, eventu suo firmata, multa etiam vindictae Deorum Ethnicorum in impios et sui contemptores exempla, veluti in Agamemnonem, qui Dianae capram iaculis confixerat; in Graecos, Chrysen sacerdotem Apollinis aspernantes; in Parin, qui Achillem ad aram Apollinis occiderat; in Graecos iterum, omnia sacra incendio Troiano violantes: illum ergo libellum a Septimio tunc eo potissimum animo versum, ut veluti antiquissimi temporis historia, ab homine omnium re-

rum teste et arbitro conscripta, ac Deorum Ethnicorum maiestatem et potentiam tot exemplis asserens, historiae sacrae et Christianis in Italia ac urbe Roma opponeretur. Ac nescio an tale quid in fine Epistolae Septimianae exstiterit, quod librarii deinceps Christiani consulto omiserint. Certe aliquid istic exstitisse videtur, quod *in legendo Dictym* Septimius Rufinum et alios lectores potissimum notare voluerit.

XXXVII. Quapropter haud ita facile accesserim Vossio, qui Septimium *seculis aliquot post Constantini aevum vixisse censet*, sed nullis plane rationibus in medium allatis. Ios. Mercerus *post Constantinum* quoque scripsisse putat, sed futili prorsus argumento, quia scil. in Prologo liber hicce tempore Neronis inventus *ad Cretae Consularem* perlatus dicitur, quae *Consularium* in provinciis appellatio a Constantino sit profecta. Sed falsum hoc esse multis probavit Merceri gener Claudius Salmasius ad Spartiani Hadr. cap. 22. et iam ante hunc Guido Pancirollus ad Notitiam Imper. Orient. cap. 155.

XXXVIII. Longe autem turpius se dedit hac in re Gasp. Scioppius Parad. Lit. Ep. 5. ubi hanc Dictyos historiam *ad Cornelium Nepotem et eius styli similitudinem proxime accedere* ait, *et omnino Velleii, Valerii Maximi et Curtii aetate ab elegantis ingenii homine scriptam* contendit. Videtur ergo et ille existimasse, non esse versam ex Graeco, sed Latine primitus compositam, id quod iam satis supra confutavimus. Verum de stylo quod ait, indecorum est, ita vivam, viro, qui latinitati tantopere attendit. Quid enim? An ad Nepotis stylum, an ad Velleii aevum accedunt: *Contestari* eodem sensu, quo nunc vulgo dicunt *protestari*: *Testari brevi ultionem*, h. e. minari, denunciare: *Adhospitavere sibi Deos*, ex Graecismo ἐπὶ ξενίᾳ καλεῖν: *Reformare diem*: *Quum nullo remedio Mederi posset*, passive: *Funus*, pro ipso cadavere et sepulchro: *Cuncta extrema Ratus experiri*: *Redarmare manus*: *Coniuges Principalium*, quod frequens sequioris aevi scriptoribus: *Alter Echinadibus Imperator, Agapenor Arcadiae*: *Desinere pernoctando humi*: *Quanti mortales, quinam et quanti Pelopidae*, h. e. quot, quod usitatissimum fuit Septimiano aevo: *Delutare*: *Is Agamemnoni Insinuans, quae circa filiam eius evenissent, animum atque ornatum regis*

reformavit, h. e. comiter et modeste significans: *Super quae iuvenis aliud tempus, alium locum Tractatumque fore respondit. Et indignatus, nondum sibi a Priamis super his, quae secum tractaverat*, *Mandatum*, h. e. nunciatum: *Rumorem in Verum traxerant: Solito*, absolute: *Coadunare: Quietum disceditur*, h. e. cubitum: *Relatum differt in proximum diem*, h. e. renunciationem legationis suae: *Sullapsum coelo*, h. e. delapsum: *Super qualitate eorum exertius*, h. e. acrius, *disserturum: Impossibilia postulare: Placitum confirmat*, h. e. conventum pactum: *Iovis Anteaedificialis: Forma Perlaudabilis.* Haec et similia quis tandem Latinae elegantiae haud imperitus dixerit illius esse aetatis, qua maxime isthaec lingua floruit? Vide etiam Ol. Borrichium et Gronovium Patrem Obss. Eccles. cap. 25.

XXXIX. Neque tamen negaverim Scioppio, quod addit, *nonnullis locis* Dictyos *aliquid mali a mala esse obiectum manu.* Nec enim dubito, quin multis in locis etiam librariorum culpa scriptor hic foeda sit stribiligine vitiatus, et complura eius generis etiam nunc supersint. Eorum nonnulla nostrae animadversionis hic proferemus. Sic I. 4. *Positis etiam ex divisione, quae in tali negotio tempus patiebatur, navem ascendere facit.* ubi sine haesitatione legendum censeo *impositis.* Ita V. 12. *Graeci, ubi cuncta navibus imposita sunt, ad Sigeum secedunt.* et VI. 1. *Postquam impositis, quae singuli bello quaesiverant, ascendere ipsi.*

I. 6. *Non se ignorare ait, quantis mortalibus tam atrox facinus indignationem incuteret.* Deceret haec confessio Priamum aut Troianum quemquam, neutiquam vero legatum Graecorum accusantem id facinus. Quapropter malim sane *non posse ignorari*, vel si velis, *ignorare*, scil. eos, ad quos verba facit. Sic II. 23. *Neque ignorare quenquam, si tam atrox iniuria probanda sit, fore* cet.

Ibidem respondet Priamus: *Iniquum videtur insimulari eum, qui absit, maxime quum fieri possit, ut quae criminose obiecta sunt, praesenti refutatione diluantur.* Quis, ubi animum adtendit, non videat legendum *praesentis?*

I. 8. *Reguli repente concilium* (vel *consilium*: erat enim non populi, sed *senum*, quos rex *conduxerat*, h. e. coegerat,

et *consulebat.*) *irrumpunt*, *atque inconditis moribus malum singulis minitantur.* Scio equidem etiam *inconditos mores* dici, etiam ab auctore nostro: sed et memini hosce ipsos regulos paulo ante *lingua moribusque barbaros* vocari. Nihilo tamen minus huic loco et hisce comminationibus longe videtur oportunius *inconditis clamoribus*, quomodo et infra III. 10. loquitur.

I. 9. *Rex hortatu Hecubae ad Helenam adit.* Hic vero legendum videbatur *regis hortatu Hecuba.* Nam ut taceam, magis decorum esse, ut Helenam recens advenientem adierit regina socrus, quam solus rex socer, emendandum ita videbatur vel maxime, quia statim post hocce colloquium cum Helena subiicit auctor: *igitur Hecuba*, *complexa Helenam*, *ne proderetur*, quod Helena in colloquio rogaverat, *summis opibus adnitebatur.* Sed tamen Malelam quum confero, tum vero explicandus videtur potius hic locus ex eo in hunc sensum, ut rex cum Hecuba, huius hortatu, Helenam adierit. Utrumque enim ille ait pariter egisse cum Helena. Vide eum pag. 120 et 121.

I. 11. *Ulysses contestandi magis gratia*, *quam aliquid ea oratione profuturus.* Nescio unde in usum Delphini editum sit *promoturus*. Propius et probabilius mihi videtur *profecturus.* Sic Hirtius B. Alex. cap. 12. *quantum parvulis navigiis profecissent*, *sentiebant.*

II. 9. *Is namque summoesto ac luctu obsito Agamemnoni.* Ita edidit, ut credi par est, ex MStis vel Mercerus primum vel Obrechtus, quum aliae Edd. legant *is namque diu moesto luctu obsito Ag.* Ego MStorum vestigia secutus malim *summe moesto*, *ac luctu obsito Ag.* Nam *summoestus* non tantum insolens est vocabulum, sed et a summo revera Agamemnonis luctu alienum, quum vocula *sub* in compositis minuere soleat significationem simplicium. *Summe* autem usitatum etiam classicis est auctoribus. Cic. Fam. IV. 3. *omnium doctrinarum summe studiosus.* et IV. 7. *summe diffidere.* Plautus Mil. Glor. 4. 4. 29. *summe cupiens.*

II. 13. *Macandriorum.* Videtur sane legendum *Neandriorum.* Forsan etiam paulo ante *Neandriensium* pro *Mentorensium.* Nam nulli fuere in Troade Maeandrii, nulli Mentorenses. Et solum *Neandrum* urbem Troadis in hac Cygni

historia memorant Malelas et Cedrenus. Quod autem Neandrii hic *fideles atque amicissimi Graecis ad hoc tempus permansisse* dicuntur, id intelligendum tunc foret ab eo tempore usque quo se Graecis dediderunt. Et videntur his verbis respici sane superiora, *civitatem innoxiam et paulo post* FIDAM *sibi.* Paulo ante filios Cygni *Coben et Cocarcum* nominat Malelas, filiam vero aeque ac noster *Glaucen.*

II. 15. *Ob amorem ducis in exercitum.* Lege omnino *exercitu*, ut paulo ante de eodem *vir optimus acceptusque in exercitu*, ubi male et sine causa Vindingius *acceptusque exercitui:* quum et infra cap. 29. de eodem dicatur *quem gratum acceptumque in exercitu.* Ceterum hoc loco agitur de *amore*, non quo Palamedes exercitum prosequebatur, sed quo exercitus ipsum, *regi ab eo cupiens, et tradendum ei imperium palam loquens.* Hic amor eum Agamemnoni suspectum et invisum reddebat.

II. 21. *Quod amice impetrare nequitum est.* Ipsa syntaxeos grammaticae ratio postulat, ut legamus *impetrari.* Vide omnino Festum in *Nequitum*, ubi praeter Pacuvii et Plauti loca etiam haec Catonis prisci verba nostris similia plane reperies: *Id* fanum *nequitum exaugurari.* Adde Plaut. Rud. 4. 4. 20. *ut nequitur comprimi.*

II. 26. *Egregie hercule actum nobis est.* Borrichius hoc explicat *actum nobiscum*, et inter indicia sequioris aetatis refert. Ego vero librariorum hanc esse culpam arbitror, non Septimii ipsius, qui scripsit opinor *actum vobis*, pro, a vobis, haud dubie quia repererat in Graeco: καλῶς, μὰ Δία, πέπρακται ὑμῖν. Sed et Latini solent dativum ita iungere passivis. Sueton. Aug. 1. *Ara Octavio consecrata.*Caes. 19. *opera optimatibus data est.* Tacit. Ann. XIV. 14. *quod regibus factitatum memorabat.*

II. 31. *Cuncta extrema ratus experiri*, h. e. certus. Sed putem scripsisse Septimium *paratus.*

II. 41. *Campo, qui reliquus non pugnae oportunus erat.* Videtur legendum *qui reliquus*, *nec pugnae oportunus erat.*

II. 42. *Quos primus hostis incesserat.* Lege omnino *primos.* Sequitur enim mox, *iamque fusis, qui in medio erant,* scil. inter primos et postremos.

II. 46. *Ut quemque sors conglobaverat.* et *ad postremum, uti quidque sors dederat, praeripiunt.* Notarunt omnes, ab Septimio diligenter lectum esse Sallustium atque expressum. Ille vero hunc in sensum passim et ubique *fors* exhibet: Iug. 51. *fors omnia regere.* cap. 78. *uti fors tulit.* cap. 97. plane ut hic, *catervatim, uti fors conglobaverat, in nostros incurrunt.* Noster etiam infra V. 12. *caedere eos, quos fors obiecerat.* Sed et in plerisque aliorum auctorum, et his ipsis Sallustii locis, *sors* olim male fuerat editum, at ex MStis *fors* restitutum. Vide Gronov. Pat. ad Liv. I. 9.

II. 47. *Troiani ex muris respectantes.* Mirum, ni scripserit *despectantes*, hic aeque ac III. 13. *qui muris despectantes, postquam nostros paratos proelio vident.* et cap. 20. *quum super murum despectantes Troiani, comitatum regis oculis prosequerentur.* Ita vero et Livius XXXVI. 25. *regionem ea maxime despectat oppidum, qua breve intervallum videtur, et omnia in conspectu sunt.*

III. 1. *At Troiani cum auxiliaribus laxiores militia, neque circa exercitium solliciti, socordius agitare.* Certum mihi est scripsisse Septimium *laxiore militia.* Solent enim ita veteres, et maxime Sallustius et Tacitus. Sall. Iug. 25. *Legantur in Africam maiores natu, nobiles, amplis honoribus*, ubi contra MStos addiderant editores *usi.* cap. 61. *facile Numidae persuadet, cum ingenio infido,* scil. homini, *tum metuenti,* ne cet. cap. 63. *novus nemo tam clarus, neque tam egregiis factis erat.* cap. 94. *cupidus voluptatum, sed gloriae cupidior, otio luxurioso esse.* lib. 4. Hist. *regnum Persidis inclytis divitiis,* quod male mutant Faërnus apud Ciacconium et Douza in *inclytum* vel *inclytae.* Sed et nihil mutandum in Tacito Hist. I. 8. *Cluvius vir facundus, et pacis artibus, belli inexpertus,* ubi neque subaudio *expertus* cum Rhenano, neque addiderim *clarus* cum Faërno et Ursino, neque deesse quid puto cum Mureto; sed expono: homo artium pacis, seu cuius artes erant artes pacis. Ita idem II. 3. *simulacrum Deae, non effigie humana, continuus orbis.* Vide et Gellium V. 8. Ut vero hic *laxiore militia*, sic *laxiore imperio habere milites* apud Sall. Iug. 64.

III. 5. *Ac mox cognito per universum exercitum proelium in ea parte, reliqui duces confirmati, ubi quisque pugnaverat, undique eo confluunt.* Sic edidit Ampliss. Obrechtus, in aliis Edd. legitur *proelio.* Quod si illud ex MStis, sive a Mercero sive ab Obrechto, est haustum (ut auguror; certe enim Mercerus scribit, multas se mendas Codd. suorum ope detersisse, quarum omnium rationem in Notis non sit redditurus), vix dubito, quin legi debeat *cognito per univ. ex. proelium esse in ea parte.* Solet enim ille participii ablativus ita cum infinito construi. Sic VI. 15. bis. *Ita credito, Telegonum ad inferendam vim regi adventare.* dein, plane ut hic, *Telegonus, cognito parentem esse.* Tacit. Ann. IV. 36. *comperto ficta in eum crimina.* Liv. XXVIII. 17. *haud cuiquam dubio, opprimi posse.* Mox legendum omnino cum Barthio et Vindingio *confirmatis.* Sic paulo ante *dispositis satis strenuis, ubi pugnabat.* et cap. 10. *relicto, ubi pugnabat.*

III. 13. *Neque multo post ex alio: abnuentibus iam Barbaris, ac sine ulla difficultate versis.* Nullum habet sensum satis commodum istud *abnuentibus.* Putem manum Septimii fuisse *abeuntibus.* Primum enim Troiani, quum aliquamdiu oppugnassent frustra vallum, et Graeci iam erumperent ex una parte, ultro abire incipiebant, sed mox ab erumpentibus ex alia quoque parte in fugam facile sunt versi.

III. 14. *Reliquias* Patrocli *in urnam collegerat* Achilles, *decretum quippe animo gerebat, secum in patrium solum uti adveheret, vel si fortuna in se casum mutaret, una atque eadem sepultura cum charissimo sibi omnium contegi.* Integrum exscripsi locum, quia ex nexu et oppositione rerum liquere satis puto, legendum esse *maturaret.* De morte enim agitur, quam obiturum quoque Achillem, serius aut citius, certum erat; sed id incertum, an moriturus esset, antequam rediret *in patrium solum. Casus κατ᾽ ἐξοχὴν* et per *εὐφημίαν* ponitur hic pro novissimo casu, h. e. morte: plane ut de ea dicere solebant veteres *si quid sibi accideret.* Ita Sueton. Aug. 101. et Calig. 3. Noster infra de hoc ipso Achille IV. 13. *deflentibus cunctis casum tanti viri,* h. e. mortem. Et sic passim alii.

III. 21. *Quippe hi fisi regno per iuventutem, quum sem-*

per cupiditates animi quoquo modo explere gestiunt, ultro sibi mihique perniciem machinati sunt. Solita syntaxeos analogia postulat, ut scribatur hic *gestiant.*

III. 25. *Namque hi* fratres Helenae *exsecrati facinus eius, ne in militiam quidem nobiscum coniuraverunt, scilicet ne quam audire incolumem nollent, ei per se reditum in patriam quaererent.* Nemo, opinor, negabit, qui modo animum attendet ad loci nexum, et *reditum*, de quo agitur, quin et in prioribus restituendum sit *redire incol.*

IV. 12. *Dein plurimos, uti quemque intra telum, ferit,* scilicet habebat. Sed durior est haec ellipsis, et ideo videtur legendum *uti quisque.* Sic II. 2. *uti quisque in manus venerat.* Vel: *unumquemque intra telum*, scil. existentem.

IV. 18. *De cuius oraculo imminentia Troianis mala cum cognovisset, ultro supplicem ad eos decurrere.* Refert priora haec Anna ad *senem parentem*, hoc est, Anchisem et eius filium Aeneam; posteriora nescio utrum ad Aeneam quoque, an ad Helenum. Sed certissimum est, excidisse ante haec verba aliquid, et mentionem quidem Apollinis, ea vero deinde Heleno tantum intelligenda, qui ex *oraculo* Apollinis, cuius erat vates, *mala Troianis imminentia cognoverat*, et ideo *ultro ad Graecos decurrebat.*

VI. 13. *Ut sermo hominum ferebatur.* Legerim vel *ferebat.* Sic Liv. I. 45. *Fama fert, id esse factum.* Cic. Off. III. 9. *Aeneum equum, ut ferunt fabulae, animadvertit.* Fam. I. 9. *ut mea opinio fert.* Vel *sermone.* Ita Liv. I. 42. *ut posteri fama ferrent conditorem Servium.* Sall. Cat. 8. *Res Atheniensium aliquanto minores fuere, quam fama feruntur.*

XL. Neque vero mirum, haec et similia a librariis passim vitiata, quum etiam viri doctissimi, qui Notas in hunc auctorem scripsere, multa latinissime dicta temere prorsus sollicitaverint. Magna eorum seges ex Cl. Vindingii notulis colligi posset, nisi iam absolvere hanc Dissertationem animus ferret. Speciminis tamen loco sequentia habe.

I. 20. *Agamemnon affectione paternae pietatis motus, an ne tam illicito immolationis sceleri interesset, fugam parat.* ubi pro *an* vult legi *ac.* Et IV. 4. *permoti querelis Rho-*

diorum, an cupidine diripiendarum rerum. ubi legit *permotine.* Scilicet ferre nequit simplex illud *an.* At elegantissimum id est: Liv. I. 53. *discrimine recti, an perperam facti, confuso.* Sueton. Vesp. 1. *Centurio, an evocatus.* Cic. Fam. VII. 8. *Cn. Octavius, an Cn. Cornelius, terrae filius.* XIII. 29. *non plus duobus, an tribus mensibus.*

II. 1. *Neque versis his, atque in fuga, parcere.* Legit *neque versis his in fugam.* Immo vero solet ita concise loqui Sallustius, et cum eo noster. Syntaxis est: versis his, atque in fuga, scil. exsistentibus. Sall. Iug. 54. *Multa oppida temere munita, aut sine praesidio, capit.* cap. 66. *milites palantes, inermes, ac sine imperio, aggrediuntur,* scil. existentes.

II. 14. *Quisque partium ad eum venerat.* Emendat ut *quisque,* sed male. *Quisque* ponitur pro quicunque. Plaut. Curcul. 4. 2. 17. *Tum genu ad quemque iecero, ad terram dabo.* et Mil. Glor. 2. 2. 1. *Nisi hercule defregeritis talos, posthac quemque in tegulis videretis alienum, ego vestra faciam latera lorea.* Liv. I. 24. *cuiusque populi cives in eo certamine vicissent,* ubi vide Gronov. Patr.

II. 30. *Ille enim perspicere se originem morbi.* Ad haec Vindingius: aut hic addendum *ait,* aut delendum *se.* At neutiquam delendum *se,* sed neque opus, ut addamus *ait.* Solent enim hoc per ellipsin omittere. Sall. Iug. 109. *Tum rex post diem decimum redire iubet, ac nihil etiam nunc decrevisse, sed illo die responsurum.* Phaedr. fab. 29. *Repressit iram, et, facilis vindicta est mihi, sed inquinari nolo ignavo sanguine.* et fab. 37. *venit per auras cornix, et propter volans, opimam sane praedam rapuisti unguibus,* cet. Ubique in his intelligitur *dixit.* Vide et meas ad Sanct. Min. Notas lib. IV. cap. 5.

III. 3. *Quae res eo habere fidem videbatur, quoniam* cet. Lege *ideo,* ait Vindingius. At vero frequens est apud optimos auctores, ut *eo* ponatur pro *ideo.* Sall. Cat. 52. *eo respublica in extremo sita est.* et *eo fit, ut impetus fiat.* Iug. 42. *nobilitas noxia atque eo perculsa.* Et ita passim Livius, Tacitus, Sulpicius Severus, qui aeque, ac noster, Sallustium imitari solet.

III. 10. *Alter Echinadibus imperator.* Vindingius: lege *Echinadum.* Quod miror, quum ipsi Septimio usitatum sit, talia cum Dativo construere. Ita mox cap. 14. *hi Larissaeis, Asius Sesto regnantes.* Plane ut Ennius apud Festum v. *Quadrata: Romae regnare quadratae.*

III. 15. *Gens bellatrix, et ob id ad finitimos indomita.* Etiam hic iubet *apud* pro *ad* legi, quamvis hoc pro *apud* passim occurrat. Liv. I. 3. *celebre ad posteros nomen flu-vio dedit.* cap. 26. *ingrati ad vulgus iudicii.* cap. 36. *ut es-set ad posteros miraculi eius monumentum.* Plaut. Prol. Capt. v. 49. *Hic manet in servitute ad suum patrem.* Stich. 3. 1. 35. *Iubebo ad Sagarinum coenam coqui.* Possis etiam exponere *quod ad.* Sic Mela II. 3 *urbes pares ad famam.*

III. 26. *Tantum se in Hecubae filiarumque recordatione cruciari.* Tolli in his iubet particulam *in.* At ita Plaut. Stich. 1. 1. 54. *In cogitando moerore angeor.* Trinum. 2. 1. 1. *Multum in cogitando dolorem indipiscor.* Cic. Fam. 1. 6. *quem dolorem in rebus tuis capio.* et VI. 2. *nihil esse cui-quam dolendum praecipue in eo, quod accidat universis.* Sue-ton. Vesp. 16. *Sola est, in qua merito culpetur, pecuniae cu-piditas.* Patet ex his, quam male etiam mox cap. 8. *non iam dolor in casu Memnonis*, legi velit *ex casu.*

IV. 1. *Qui inclyta per gentes fama.* Hic legendum *in-clytus*, ait: quod turpe est viro, quum utique in hac ipsa periodo sequatur de eodem Hectore, quod fuerit in pace *praeclara pudicitia*, non *praeclarus.* et mox cap. 4. de Memnone, *magna fama.* De hac autem constructione vide quae notavi §. superiore ad III. 1.

IV. 8. *Qui peterent eorum, qui in bello ceciderant, hu-mandi veniam.* Notat: forte legendum *eos*; licet addat: et alios priori modo loquendi usos. Nihil ergo erat istic tentandum, quum locutio sit proba et usitata. Vide hic Mercerum, et maxime Sanct. Min. III. 8.

Ibid. *At Graeci lautum bene cadaver Antilochi, iustisque factis, Nestori tradunt.* Vindingius: dele *que.* Male. Sensus est: tradunt cadaver Nestori, postquam illud bene laverant, et iusta ei fecerant. Saepe autem ita res diversae constructionis per copulam iunguntur. Supra II. 29. *Agamemnonem*

universi deseruere, ob idque et memores Palamedis, quem cet. Mox cap. III. *re maxima, et super vota omnium, perfecta.* cap. 13. *cum viro egregio ne honestam quidem mortem, aut aliter quam in obscuro, oppetere licuerit.* Vide et me ad Sanct. Min. I. 18. Neque vero opus, ut in sequentibus, *aequo animo ferret fortunae bellique adversa*, ea vocula inducatur, quod istic itidem voluit Vindingius.

IV. 14. *Genitus Achille ex Deidamia.* Sic Liv. I. 3. *quacunque genitus matre, certe natum Aenea constat.* Tacit. Ann. III. 76. *Catone avunculo genita.* Nulla ergo ratio legendi cum Vindingio contra MStos *Achilli.*

V. 2. *Neque inferendo bellum quidquam prius temeratum ab his, quam* cet. *Temerare* dicitur de quibuscunque rebus, quae corrumpuntur aut violantur. Sic *temerare* alterius uxorem Tacit. Ann. I. 53; *castra infausta temerataque*, per seditionem scilicet, Ann. I. 30; *eadem lascivia vigilias et cetera militiae munia temerare* Hist. I. 48; *vitio gentium temeratus est ille mos* Pomp. Mela III. 5. *Temerare vittas* dicitur virgo Vestalis apud Ovid. Fast. VI. 457. Quid igitur opus, legere hic *tentatum*, aut *temere actum*, quod ille censet?

V. 4. *Itaque cum quibus antea, ad confirmanda, quae tempus monebat, secedunt.* Putat forte legendum *cum quibusdam.* Sed recte Anna exponit; cum iisdem, quibus antea. Saepe enim omittitur, si ex rerum nexu intelligi possit, substantivum, ad quod refertur pronomen, quod sequitur. Sic paulo ante: *At lucis initio, quibus imperatum erat, ad naves veniunt.* Vide et hic Sanct. Min. II. 9. et quae ego istic notavi.

VI. 3. *Huiusmodi numine armatus*, h. e. illo oraculo confirmatus ad audendum aliquid. Sic Corn. Nep. Hannib. 10. *Neque aliud quicquam egit, quam regem armavit et excitavit adversus Romanos.* Cic. Fam. XII. 23. *Philosophia me contra omnes fortunae impetus armat.* Plin. Paneg. 12. *Ferae gentes non telis magis, quam suo coelo, suo sidere, armantur.* Sulpic. Sev. lib. II. extr. *Si hominem acrem sacerdotali auctoritate armassent.* Satis ex his, ni fallor, patet, male Vindingium maluisse *animatus.*

XLI. Sed desino plura, quum pleraeque breves illae notulae Vindingii, quae tantum legi aliter aut tolli voculam quandam iubent, nulla nitantur idonea satis ratione, saepe etiam declarent, non satis intellexisse eum auctoris sui mentem, verbis nihil vitii habentibus expressam. Sic II. 22. *An vos soli ignoratis, ut affectae sint vicinae atque amicae vobis civitates, vel quae in dies residuis praeparentur?* Sensus est clarissimus. Nondum enim omnes erant vastatae, quaedam erant *residuae*, sed quibus eadem vastatio imminebat. Ille tamen legendum censet *residuos*.

II. 39. *Dein signo dato conflixere acies compositae, Graecis ac singulis per distributionem, imperia ducum exsequentibus.* Ita haec distinguenda, et ita nihil hic haesitationis superest. Ille tamen legi vult *Graecorum singulis*.

IV. I. *Queis animo ita haeserat, nulla spe impetrandi cadaveris, ipsumque* Priamum, *et qui cum eo fuissent, retiner a Graecis.* Ille vero, lege, ait, *Queis animo inhaeserat nulla spes impetr.* cet. Immo quia nulla ipsis erat spes impetrandi cadaveris, ideo animo eorum haeserat, Priamum retineri a Graecis. Nam quod ait geminata copula, *ipsumque et qui cum eo fuissent*, graecismus est auctori nostro frequens. Vide supra §. 15.

IV. 14. *Quum insidiis tantum perfecerit, quantum ne in certamine auderet quidem.* Vult dicere, in certamine proelii adigi homines ad aggrediendos hostes, et tamen Paridem in illo certamine haud dubie vitaturum fuisse Achillem, nec ausurum eum aggredi, quod per insidias extra necessitatem certaminis feliciter fecerit. Frigidi aliquid et inepti forsan inest in hoc sensu; sed id in tota etiam est laudatione Paridis, quam eo nomine fecisse dicuntur Troiani: et multo magis friget, nec Latinum satis est, quod volebat Vindingius, *quantum ne in cert. auderet quidam.*

Cap. 15. *Ceterum sibi eo leviorem dolorem esse, quod non in certamine, neque in luce belli, Achilles interfectus esset, quo fortiorem ne optasse quidem quemquam exsistere nunc, vel in praeteritum, excepto uno illo Hercule.* Vindingio substituendum videtur *graviorem*, sed perperam. Nam sententia loci, inepte forsan gloriosa, haec est: leviorem sibi esse do-

lorem necis paternae, quod non aperto marte ab adversario validiore sit victus et occisus: ita enim mansisse eum invictum ab omnibus: ita constare, non exstitisse quenquam fortiorem ipso, nisi unum Herculem; immo neminem ausum fuisse cum eo in certamen congredi. Quae omnia secus se habuissent, si in certamine et luce belli interfectus fuisset, nam ita validiori succubuisset adversario.

V. 11. *Quem offerri donum Minervae, maxime omnium ore agitabatur.* Legit *maximum*, et ita ediderunt alii. Sed nihil eo opus, modo distinguas, ut feci, quando sensus est perspicuus.

VI. 1. *Postquam impositis, quae singuli bello quaesiverant, ascendere ipsi.* Quid magis planum, minus impeditum dari potest? *Ipsi* homines opponuntur *rebus* in naves *impositis.* Et tamen, quod mireris, delendum *ipsi* pronunciat.

Corrigenda.

Praefat. p. 10. l. 10: Ianuariis. — P. 39. l. 19: hortatus. — P. 45. l. 30. adde: Cf. Gloss. — P. 46 l. 24: quacum. — P. 49. l. 23: comminatae. — P. 52. l. 25: crapula. — P. 57. l. penult: quos modo. — P. 59 l. 7: Gaio. — P. 63. l. 36: sententiae. — P. 64. l. 14: ἀγχόνῃ. — P. 68. l. 3: et alterum. — P. 70. l. 30. dele commata. — P. 71. l. 10: deciderint. — P. 81. l. 20: reperiatur. — P. 93. l. 14: *ut*. — P. 96. l. 16: retineri.

In Ephemeride p. 38. l. 7: profectionem. — P. 59. l. 10: arreptis. — P. 95. l. 9: ex Ad. — P. 181. l. 3: hostis. — P. 214. l. 5: unius eiusd. — P. 225 l. 13 fin dele comma.

Not. crit. p. 16. l. 5: Ed. Merc. — P. 23. l. 12. post *Phineum* dele punctum. — P. 41. l. 8: Mil. Glor. — P. 58. l. 9: patiens. — P. 92. l. 4: carum. — P. 94. l. 15: quam haec. — P. 96. l. 15: citat. — P. 110. l. 11: Pylaem. — P. 142. l. 2: *En*. — P. 171. l. 10: Ceteiisque. — P. 179. l. 3: volvère. — P. 195. l. 5: et S. Gall. — P. 201. l. 6: maxime. — P. 216. l. 15: non *at rex*. — P. 225. l. 9: Menestheus. — P. 226. l. 12: Infra Bern. et S. Gall.

Glossar. p. 286. l. 13: Durae. — P. 291. l. 33. pro *Wopkens* lege: ad VI. 11. — P. 305. l. 19: habens. — P. 314. l. 35. post σοι pone comma. — P. 361. l. 9: supra.

Obss. Hist. p. 402. l. 14: elegisse atque. — Ibid. l. 20: ex Mysia. — P. 405. l. 10: 1832. — P. 417. l. 9: ἥρωες. — P. 419. l. 15: φύλοις. — P. 439. l. 8: non tu. — P. 464. l. 31: prodigiis. — P. 469. l. 26: praetermisit. — P. 474. l. 8: eius deposuisse. — P. 497. l. 18: ita purgavit. — P. 499. l. 7: ἰδίως. — P. 501. l. 29: coactus.

Alia permulta, ob erroris perspicuitatem corrigendique facilitatem a me haud enotata, in his contra interpunctionem in not. crit. praesertim, atque etiam contra accentum graecum passim peccata, lector benevolus ipse corrigat velim.

DICTYS CRETENSIS

SIVE

LUCII SEPTIMII

EPHEMERIDOS BELLI TROIANI

LIBRI SEX.

L. SEPTIMIUS
Q. ARADIO
S. D.

Ephemerida Belli Troiani Dictys Cretensis, qui in ea militia cum Idomeneo meruit, conscripsit lit-

---

L. Septimius Q. Aradio) Prima editio, quae A. C. MCDLXXVII. Mediolani prodiit, et cui debetur haec epistola, sub isthac inscriptione illam exhibet: *Septiminus Q. Aradio S. D.*; ea vero, quam XXII. post annis Franciscus Faragonius Venetiis procuravit: *Septimius Q. Aradio S. D.* Ipse vero Faragonius in iis, quae de suo adiecit, *virum Romanum eloquentissimum* vocat: unde in ceteras editiones labes fluxit, ut *Septimius Romanus* diceretur. *Lucii* praenomen ex Arg. Cod. restituimus, in quo *Epistola* quidem deest, sed libro quinto praescriptum legitur: *L. Septimii Ephemeridos liber quartus explicit: incipit liber quintus.* Itemque libro sexto: *L. Septimii Ephemeridos Dictis liber quintus explicit: incipit sextus.* Obrechtus. Deest epistola in MSS. meis, Merceri, Argent. Obrechti et Ed. Princ. Praenomen Septimii in Ed. Crat. et Merc. est *Quintus.* Scripturam Ed. Mediol. *Septiminus* viderat etiam Eudocia, quae s. v. *Δίκτυς* scribit: *Σεπτημῖνός τις Ῥωμαῖος.* Plenum Aradii nomen est *Q. Aradius Rufinus. Rufine* hunc hominem alloquitur Septimius ad finem Epist. *Aradius* nominatur etiam in Ed. Crat.; in Merc. *Arcadius.*

Ephemerida) Ita edidit ex Mediol. Obrechtus, graeca terminatione, ut in casu patrio *Ephemeridos.* Al. *Ephemeridem.* — In Prologo bis *Annalium* nomen tribuitur Dictyis historiis: Malelas p. 172. et Chronographus MS. apud Leon. Allat. de patr. Hom. in Thes. Antiq. Graec. T. X. p. 1743. laudant Dictyn titulo *Ῥαψῳδιῶν.* Inscripsisse Dictyn libros suos *Ἐφημερὶς τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου*, vel ex hoc Epist. loco liquet. Cf. Suidas v. *Δίκτυς· ἔγραψεν ἐφημερίδα — Τρωϊκοῦ διακόσμου.* Eudocia: *συνέθηκεν ἐφημερίδα τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου.* De significatione harum appellationum vide disputata ab Obrechto ad h. l. et Perizon. Diss. §. XXXII. — Ex prolatis refellitur Meursius,

teris Punicis, quae tum Cadmo et Agenore auctoribus per Graeciam frequentabantur. Dein post multa secula conlapso per vetustatem apud Gnoson, olim Cretensis regni sedem, sepulcro eius, pastores quum eo devenissent, forte inter ceteram ruinam loculum stanno affabre clausum offendere: ac thesaurum rati, mox dissolvunt; non aurum, nec aliud quicquam prædæ, sed libros ex philyra in lucem prodituri. At ubi spes frustrata est, ad Praxim dominum loci eos deferunt: qui commutatos litteris Atticis, nam oratio Græca fuerat, Neroni Romano Cæsari obtulit; pro quo plurimis ab eo donatus est. Nobis quum in manus forte libelli venissent, avidos veræ historiæ cupido incessit, ea uti erant, Latine disserere: non magis con-

---

qui (Cret. IV. 11.) ex Syriano, Dictyn *ἐν ταῖς ἐφημερίσι* laudante, Suidae loco plur. numero scribendum affirmat *ἐφημερίδας*. *Ephemeridem* Caesaris memorat Servius ad Aen. XI. 743. et aliorum alii. — Quum Suidae verba alii aliter tentarint, in transcursu hic moneo, recte totum locum ex mea quidem sententia legisse et distinxisse Obrechtum. Cf. Perizon. Diss. §. VI.

Cretensis regni) Ed. Crat. *regis.* et paulo post *a fabro clausum.*

philyra) Sic Ed. Crat., non *philira.* Graec. *φίλυρα.* In Prolog. *invenerunt tilias.* Vid. Perizon. Diss. §. XXIX.

in lucem prodituri) Sic edidit Obrechtus, legitque ex vet. Cod. Burmannus ad Val. Flacc. VIII. 17. *condita letiferis prodit medicamina cistis.* ubi al. *profert*, ex glossa; plane ut nostro loco ex interpretatione al. *producturi.*

avidos) Totus locus recte legitur et distinguitur in Ed. Obr. In cett. *avidis.* cui labi adhaerens etiam Wopkens. p. 1. in sequentibus requirere syntaxin ait: *non magis confisis ingenio.* Male videlicet vir doctus retulit *nobis avidis cupido incessit.* Syntaxis haec est: quum libelli *nobis* in manus venissent, *nos avidos* verae historiae cupido incessit. Scribendum igitur potius fuit *confisos.* Sed et hoc non opus esse, abunde ostendunt allata ab ipso Wopkensio ex Sulpicio Severo et Iustino exempla. Cf. Horat. Serm. I. 4. 18. *Di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis.* ubi citra necessitatem Bentleius corrigit *loquentem.* — Ad sententiam aliter Eudocia: *οὗ* (Neronis) *τῷ προστάγματι Σεπτημῖνός τις Ῥωμαῖος, σοφὸς ἑκατέραν τὴν γλῶτταν, εἰς τὴν Ῥωμαϊκὴν φωνὴν μετήνεγκεν.* Paulum Bolduanum, ex lingua Punica

fisi ingenio, quam ut ociosi animi desidiam discuteremus. Itaque priorum quinque voluminum, quae bello contracta gestaque sunt, eundem numerum servavimus: residua quatuor de reditu Graecorum in unum redegimus, atque ad te misimus. Tu, Rufine mi, ut par est, fave coeptis.

Septimium Dictyis libros in Latinam transtulisse tradentem, erroris convincit Leo Allatius l. l. p. 1745.

non magis — quam) Ed. Crat. om *non* et *quam*.

voluminum, quae bello contracta gestaque sunt) Depravata, nisi fallor, sunt haec, sensuque idoneo carent. Quid si *quae de bello conscripta digestaque sunt?* vel *queis bella contenta digestaque sunt?* Wopkens. p. 2. Correxeram primum *quae bello contracto acta gestaque sunt*. Cognatione litterarum in contiguis vocabulis excidere potuit *acta*. *Contractum bellum* dicit Lucret. II. 574; *contractum certamen* Liv. XXVIII. 6. Formula *acta gestaque* Septimio familiaris. v. Praefat. p. LIII. Deinde levem medicinam adhibendam censueram hanc: *quae bello contracta gestaque continentium, numerum serv.* Attamen nihil videtur mutandum. Ellipsis enim, licet durissima, tamen non durior est, quam aliae in Septimio. Intelligas: voluminum, continentium ea, quae in ipso bello gesta sunt. *Contrahere* autem non rarum verbum apud optimos scriptores notione conficiendi, paciscendi, transigendi v. Forcellin. Lex.

residua quatuor) Sic correxi. v. Praefat. p. XV. Ed. Obr. *res. quinque*. In cett. *res quidem*.

fave coeptis) Adiecta in Ed. Obr. sunt verba *atque in legendo Dictym* * * *. Perizonius Diss. §. XXXVI. suspicatur, Septimium odio Christianae religionis, ut haberet, quae historiae sacrae opponeret, Latinam Dictyis versionem adornasse, nescitque, an quid tale in fine huius Epist. exstiterit, quod librarii deinceps Christiani consulto omiserint. Assentior equidem Fabricio, qui Bibl Graec. I. 5. 12. not. haec respondet viro summo: „Sane nullus facile erit, qui lecto fabulosissimo opere vel peius de Christianismo sentiat, vel magis faveat gentium Diis.“ Ut controversa verba sive Septimium sive quem alium habeant auctorem, potius exordium ea esse tritae exceptionis artissimae amicitiae perennisque favoris existimaverim.

PROLOGUS.

Dictys, Cretensis genere, Gnoso civitate, iisdem temporibus, quibus et Atridæ, fuit, peritus vocis ac litterarum Phœnicum, quæ a Cadmo in Achaiam fuerant delatæ. Hic fuit socius Idomenei, Deucalionis filii, et Merionis ex Molo, qui duces cum exercitu contra Ilium venerant; a quibus ordinatus est, ut annales belli Troiani conscriberet. Igitur de toto bello novem volumina in tilias diges-

---

Prologus) Diximus de hac inscriptione in Praefat. p. XII. In Ed. Crat. inscribitur *Vita Dictys Cretensis per Septimium Romanum*. Cui hoc debetur, is sequentis narrationis Septimium habet auctorem. Dictyn scripsisse, Septimium latine vertisse, in Praefat. probatum dare enisus sum.

Cretensis genere) Ed. Merc. *genere Cret.* Bern. om. *genere*.

Gnoso civitate) Ita St Gall. uterque, Ed. Princ. et Crat. Al. *de Gn. civ.* et *de civ. Gn.* Coniicies *Gnosius civ.*

Atridae) Bern., Ed. Crat. et Merc. *Atrides*. Syntaxis loci est: Dictys iisdem temporibus fuit, quibus et Atridae fuerunt. *Fuit* i. e. vixit; de qua notione Heins. ad Ovid. Her. XVII. 192.

litterarum) Libri *litteris*.

in Achaiam) i. q. Graeciam. Epist. *quae — per Graeciam frequentabantur*. v. Lips. ad Tacit. Ann. I. 76. — Mox. S. Gall. opp. *dilatae*.

ordinatus est) i. e. destinatus, constitutus, electus. Posterior latinitas. Iustin. XVII. 1. *filius, quem in successionem regni ordinaverat*. Sulpic. H. S. I 50. 2. *Sacerdotes omnes ad celebranda sacrificia ordinavit*. Dares c. 16. *regnum suum vivus Telepho tradidit, et eum regem ordinavit*. cf. Oudend. ad Sueton. Vesp. 23.

de toto bello) Ex S. Gall. sec IX. et Ed. Princ. delevi *hoc*, quod

sit Phœniceis litteris: quæ, iam reversus senior in Cretam, præcepit moriens, ut secum sepelirentur. Itaque ut ille iusserat, memoratas tilias in stannea arcula repositas eius tumulo condiderunt. Verum secutis temporibus, tertio decimo anno Neronis imperii, in Gnoso civitate terræ motus facti cum multa, tum etiam sepulcrum Dictys ita patefecerunt, ut a transeuntibus arcula viseretur. Pastores itaque prætereuntes quum hanc vidissent, thesaurum rati, sepulcro abstulerunt: et aperta ea invenerunt tilias incognitis sibi litteris conscriptas, continuoque ad suum dominum, Eupraxidem quendam nomine, pertulerunt: qui agnitas, quænam essent, litteras Rutilio Rufo, illius insulæ tunc consulari, obtulit. Ille cum ipso Eupraxide ad

---

addunt cett. S. Gall. opp. *decreto hoc bello.* Ed. Crat. *de Troiano bello in quo et ipse militavit.*

novem volum.) De hac mea emendatione dixi in Praefat. p. XV.

praecepit moriens) Sall. Iug. 14. *Micipsa pater meus moriens praecepit.*

stannea arcula) Bern., S. Gall. opp. et Ed. Princ. *stagnea.* Ed. Crat. *plumbea arc.* At in Epist. *loculum stanno affabre clausum.* Malel. p. 322. et Chronographus apud Leon. Allat. l. l. *ἐν κασσιτερίνῳ κιβωτίῳ.*

tumulo condiderunt) Val. Flacc. V. 198. *tumulo conditus.* cf. ad lib. IV. 8.

tertio decimo anno) Malelas l. l. *τῷ ιγ ἔτει τῆς βασιλείας τοῦ αὐτοῦ Κλαυδίου Καίσαρος.* Suidas: *ἐπὶ Κλαυδίου.* Chronographus ap. Allat. *ἐπὶ Κλαυδίου καὶ Νέρωνος.* Eudocia: *ἐπὶ Κλαυδίου, οἱ δὲ ἐπὶ Νέρωνος.* De errore horum Graecorum, Claudium pro Nerone introducentium, disputant Obrecht. ad h. l. et Perizon. Diss. §. IV et V. — Ed. Crat. *videlicet tertio dec. an.*

Gnoso) Ed. Princ. ubique *Gnosso.* et mox *terrae motu facto.* Ed Crat. *cum multis.*

Dictys) Formam Genitivi *Dictys* hic et ubique constanter retinent libri scripti et editi. — Infra Ed Crat. *quum eam vidissent.*

thesaurum rati) Eadem verba in Epist. Malelas: *νομίζοντες τὸ αὐτὸ κιβώτιον θησαυρὸν εἶναι.*

ad suum dominum) Crat. *ad eius loci dominum.* ex Epist. *ad Praxim dominum loci eos deferunt.*

Rutilio Rufo — consulari) Ita libri scripti, non *praesidi,* ut im-

Neronem oblata sibi transmisit, existimans quædam in his secretiora contineri. Hæc igitur quum Nero accepisset, advertissetque Punicas esse litteras, harum peritos ad se evocavit: qui quum venissent, interpretati sunt omnia. Quumque Nero cognosset antiqui viri, qui apud Ilium fuerat, hæc esse monumenta, iussit in Græcum sermonem ista

---

periti correctores vulgaverant. MERCER. MSS. mei, Ed. Princ. et Obr. *consulari*. Scioppio Parad. Lit. Epist. V. contra Mercerum clamanti, alios libros scriptos atque ex his editos habere *praesidi*, silentium iubet Gronovius Obss. Eccles. c. 21, cui *consulari* in MS. Cod. Isaaci Vossii patuit. At vero scripturam *praesidi*, quae est etiam in Ed. Crat. et ex hac in Edd. Basil. posterioribus, corruptam esse ex *proconsuli*, quod scribae concise *procos*. exarare solebant, paene adducor ut credam. Eo proclivior animus est ad hanc opinionem, quia etiam nomina *consularis* et *proconsul* passim in MSS. confunduntur, ut Caes. B. C. I. 5.; atque quod desidero nunc quidem testimonium, ex quo Creta Neronis tempore administrata a *consulare* fuerit (nullum certe norunt Pancirollus ad Notit. Imp. Orient. c. 156. in Thes. Antiq. Rom. Graev. T. VII. p. 1762, Gronovius l. l., Meursius Cret. IV. 6. aliique): a *proconsulibus* autem eam insulam tum temporis rectam fuisse testatur Tacitus Ann. XV. 20. Proconsulem Cretae dederat Augustus, qui Cretam cum Cyrenaica unam provinciam fecerat; atque diu hic magistratus in ea insula permansit: Tiberio enim, Nerone et Hadriano imperantibus nominantur ibi proconsules. v. Panciroll. c. 137. p. 1673, Meurs. l. l. — Quid differant proconsules et consulares, fuse docet Salmas. ad Spart. Hadr. c. 22. Adde Panciroll. c 99. p. 1598. et Oudendorp. ad Sueton. Domit c. 1. p. 893. sq. — Munere consularis Neronis tempore functus est, teste Septimio, *Rutilius Rufus:* de quo viro lubens iverim in sententiam Obrechti, eundem eum esse censentis cum *C. Iulio Rufo*, qui cum Fonteio Capitone tertio decimo Neronis anno, eodem quo Dictys fertur repertus, consul nominatur in Fastis. Thes. Antiq. Rom. Graev. T. XI. p. 218 et p. 352. cf. Henric. Noris in Epist. Consul. ibid. p. 421. et Oberlin. ad Tacit. Hist. I. 7.

cum ipso Euprax.) *Ipso* revocavi ex S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. Antea omittebatur.

oblata) Crat. *oblatas,* scil. literas. De generis enallage v. ad II. 26. In seqq. S. Gall opp. *in his q̄ dicta secretiora cont.* Bern. et Ed. Merc. *Haec autem quum Nero*. Crat. *Has autem*. Eadem infra *Phoeniceas esse litt.*

peritos ad se evocavit) S. Gall. opp., Bern. et Ed. Merc. *vocavit*. Ed. Crat. *interpretes ad se vocavit.* om. *harum peritos*. Infra uterque S. Gall. *cognosset*, non *cognovisset.*

qui ap. Il. fuerat) Uterque S. Gall. *fuerant*. Ed. Crat. *qui proelio ap. Il. interfuerat.* Alio ordine Ed. Princ. et Obr. *antiqui viri*

transferri: e quibus Troiani belli verior textus cunctis innotuit. Tunc Eupraxidem muneribus et Romana civitate donatum ad propria remisit. Annales vero, nomine Dictys inscriptos, in Græcam bibliothecam recepit: quorum seriem qui sequitur textus ostendit.

---

haec esse monumenta (ed. Princ. *monim.*), *qui ap. Il. fuerat.* Infra Ed. Crat om. *ista.*

textus cunctis innotuit) Revocavi ex S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. vocem *cunctis*, quam ceteri editi et scripti libri ignorant.

muneribus et Rom. civ. don.) MSC. Arg. *muneribus e Rom. civitate:* male. Ita sub idem plane tempus iudices quoque suorum certaminum remuneratus fuerat Nero. Sueton. c. 24. *Decedens Achaia provinciam universam libertate donavit: simulque iudices civitate Romana et pecunia grandi.* Obrecht. Ed. Crat. *muneribus donatum, ex Rom. civit. ad propr. rem.*

in Graecam bibliothecam recepit) De hac Sueton. Aug. 29. *Templum Apollinis in parte Palatinae domus excitavit. Addidit porticus cum bibliotheca Latina Graecaque.* Obrecht. Malelas: *ἐκέλευσε — ἐν τῇ δημοσίᾳ βιβλιοθήκῃ ὑποτεθῆναι αὐτά.*

DICTYS CRETENSIS

EPHEMERIDOS

BELLI TROIANI

LIBER PRIMUS.

I. Cuncti reges, qui, Minois Iove geniti pronepotes, Graeciae imperitabant, ad dividendas inter se Atrei opes Cretam convenere. Atreus namque ex Minoe, postrema sua ordinans, quidquid auri atque argenti, pecorum etiam fuit, nepotibus, quos filiae genuerant, ex æquo dividendum reliquerat, excepto civitatum terrarumque imperio: haec quippe Idomeneus cum Merione, Deucalionis Idomeneus, alter Moli, iussu eius seorsum habuere. Convenere autem Clymenae et Nauplii

---

I. *Atrei — Atreus*) Quod contra librorum fidem rescripsit Mercerus *Cretei — Creteus*, quodque placuit Annae Daceriae et Munkero ad Hygin. fab. 12., neque sprevit Burmannus ad Vell. Pat. I. 1. 2.; recte hoc damnavit Meursius Cret. III. 3. p. 138.: sed et huic, scribendum affirmanti *Catrei — Catreus*, hic loci subscribere non possum. Licet enim verum huius regis nomen apud Cretenses fuerit *Catreus* (vid. Obrecht ad h. l., Heyn. ad Apollod. III. 2. 2., Sylburg. ad Pausan. VIII. 53. in Not. ad Amasaci vers. Lat. p. 720.), tamen omnium Codd. et edd. vett. lectio *Atrei — Atreus* satis comprobatur argumentis, quae disposuit Welckerus Trilog. p. 130. not. 171. et Ind. v. *Κατρεύς*.

Palamedes et Oeax: item Menelaus, Aeropa et Plisthene genitus, a quo Anaxibia soror, quae eo tempore Nestori denupta erat, et Agamemnon maior frater, ut vice sua in divisione uteretur, petiverant. Sed hi non Plisthenis, ut erant, magis quam Atrei dicebantur: ob eam causam, quod, quum Plisthenes, admodum parvis, ipse agens in primis annis vita functus, nihil dignum ad me-

---

Nauplii) Bern. *Naupli.*

Oeax) MSS. mei et Ed. Princ. *Aiax.* Crat. *Aeas.* Post hanc vocem vulgo inserebatur *Dictys ex Cretae Ida.* S. Gall. sec. IX. *dictys ex creta eida.* alter *dictis ex creta eida.* Bern. *dictus ex cretae Ida.* Merceri librorum unus *dictus ex Creteida.* alter *Dictys ex Creteida* Argent. Obrechti *dictis ex Cretae Ida.* Ed. Princ. *dyctus ex Cretae Ida.* Quod scripsit Mercerus *dicti Creteidae*, et huius exemplo Meursius Cret. IV. 4. p. 141. *dicti Catreidae*, locum habere non posse, cum MSS. auctoritate modo probaverimus (verum enim nomen apud nostrum est *Atreus*), tum vero Palamedem et Oeacem a materno avo nomen duxisse, praetermissa paterna haud ignobili origine, haud veri simile videtur, atque etiam a nemine illos *Creteidas* vel *Catreidas* vocatos invenio. Procul dubio primitus scriptum fuit *dictus ex Cretae Ida*, non ab ipso Septimio, sed a scholiasta; quorum genus etiam in nominum propriorum originibus libenter periclitatur. „Cretenses nimirum — verba haec sunt Obrechti — dialecto sua colles praeruptos ἄξους vocarunt: inde δαξις, et quod idem est, οἴαξις, χωρίον Κρητικὸν ὑψηλόν apud Etymologum, ac κατ' ἐξοχήν praecipuos Cretae montes Dictam atque Idam notavit. A quorum altero Oeacis nomen derivat Septimius, sive, quod potius reor, scholiastes quidam Septimii. Pertinent huc etc.“ Vid. ipse Obrecht. Cf. Lennep. ad Coluth. v. 101. Animadv. p. 66. Quam etymologiam scholiastes vel inter lineas vel ad marginem scripserit, unde a librario in textum recepta, ex Cod. in Cod. propagata, et ab imperitis hominibus varie corrupta est, ut denique ipsius *Dictyis* nomen exierit.

Nestori denupta) S. Gall. sec. IX. et Ed Princ. *Nestoridi nupta.* At ipsi Nestori nupserat. v. Obss. De verbo *denubere* cf. Gloss.

hi non Plisth., ut erant) Bern., S. Gall. opp. et Ed. Princ. *erat* (scil. res), et in praecedentibus om. *non.*

admodum parvis) MSS. et Edd. (etiam Burm. ad Ovid. Fast. II. 385.) *parvus*, praeter S. Gall. opp. et Periz., in quibus *parvis*; quod rescripsit Obrechtus. Legerim, ait Wopkens, p. 2. *his admodum parvis:* nec multo aliter est in Cod. Periz., ubi *iis adm. parvis*, quod placuit Oudendorpio ad Apul. Met. V. p. 347. Debetur illud *iis* interpreti orationis duritiem minuturo. Etiam in Ed. Obr. expressum esse *iis*, ut dicit Oudendorp., contra verum est. Expedit locum Obrechtus.

moriam nominis reliquisset, Atreus miseratione aetatis secum eos habuerat, neque minus quam regios educaverat. In qua divisione singuli pro nominis celebritate inter se quisque magnifice transiere.

II. Ad eos re cognita omnes ex origine Europae, quae in ea insula summa religione colitur, confluunt, benigneque salutatos in templum deducunt. Ibi hostiarum multarum immolatione more patrio celebrata, exhibitisque epulis, largiter magnificeque eos habuere: itemque insecutis diebus. At reges Graeciae etsi ea, quae exhibebantur, cum laetitia accipiebant, tamen multo magis templi eius magnifica pulchritudine pretiosaque operum exstructione afficiebantur, inspicientes repetentesque memoria singula, quae ex Sidona a Phoenice, patre eius, atque nobi-

---

inter se — transiere) Vulgg. Edd. *inter se — transegere.* intell. vitam, tempus; qualia ab aliis scriptoribus addi solent. Cf. Sall. Cat. 2. Ut haec lectio ex MSS. vestigiis profecta sit, tamen aliam plane eiusdem generis formulam ex optimo Cod. S. Gall. sec. IX. Septimio restituendam arbitratus sum. Ab integra huius libri scriptura parum differt S. Gall. opp. et Ed. Princ. *in se — transiere,* item Bern. *in se — transire:* in quibus *in* corruptum est ex *inter,* plane ut initio c. 18. Cf. Gloss.

II. *host. mult. imm. m. p. cel.*) Hic in libris scriptis et Ed. Princ. verborum ordo est, non *mult. host. m. p. imm. cel.*

itemque insec. diebus. At reges Graeciae) Ex corrupta MS. Argent. lectione *itemque ins. diebus Atrei gratia,* ut est etiam in tribus meis et Ed. Princ., hanc probam concinnavit Obrechtus. Ed. Crat. et Merc. *Itemque ins. diebus reges Graeciae.*

quae exhibebantur) Crat. adiicit *magnifice.* quod ex antecedente *largiter magnificeque,* et sequente *magnifica pulchrit.* huc irrepsisse palam est.

cum laet. accipiebant) Bern. *excipiebant.* Ed. Crat *suscipiebant.* Utrumque ex interpretatione profectum. Cf. Gloss.

repetentesque) Bern. *reponentesque.*

Sidona a Phoenice, patre eius) Ablativum casum *Sidona* (a Nom. *Sidona, ae*), quam tuentur uterque S. Gall. et Ed. Princ., praetuli hic et IV. 4. aliorum librorum lectioni *Sidone* ex rationibus ad

libus matronis transmissa, magno tum decori erant.

III. Per idem tempus Alexander Phrygius, Priami filius, Aenea aliisque ex consanguinitate comitibus, Spartae in domum Menelai hospitio receptus, indignissimum facinus perpetraverat. Is namque ubi animadvertit regem abesse, quod erat Helena praeter ceteras Græciæ fœminas miranda specie, amore eius captus, ipsamque et multas opes domo eius aufert; Aethram etiam et Clymenam, Menelai affines, quae ob necessitudinem cum Helena agebant. Postquam Cretam nuncius venit, et cuncta, quae ab Alexandro adversum domum Menelai commissa erant, aperuit, per omnem insulam, sicut in tali re fieri amat, fama in maius divulgatur: expugnatam quippe domum regis ever-

---

c. 5. allatis. Ed. Crat. *Sidona Phoeniciae patria eius.* De Europae genere v. Fuchs. Quaest. p. 20.

III. *Aenea aliisque*) Ed. Crat. *cum Aenea*, quae duo verba absunt a Bern., et Codd. suorum auctoritate expungit Mercerus. Obrechtus corrigit *fratribus aliisque*. Recte se habet lectio Argent., utriusque S. Gall. et Ed. Princ., quam edendam curavi. Paridi quippe comes adiungitur Aeneas etiam apud Daret. Phryg. c. 9. eiusque sectatores Ios. Iscan. III. 185 et Henric. Brunsvig. c. 28. fol. 45.; item, quod gravissimum est, in carminibus cypriacis teste Proclo ἡ Ἀφροδίτη Αἰνείαν συμπλεῖν αὐτῷ (Paridi) κελεύει. Cf. Obss.

Aethram) Libri ubique *Aetra*, cum tamen Graecum nomen sit Αἴθρα.

ob necessitudinem cum Hel. agebant) Oudendorpius ad Sueton. Octav. c. 62. in Addend. p. 1022. ex MSS. Leidensibus praefert *necessitatem*. Accesserim viri summi rationibus (cf. Scheffer. ad Suet. l.), nisi Merceri et Obrechti librorum meorumque consensus in edita lectione me acquiescere iuberent. In iisdem libris, aeque ac duobus Oudendorpii ad Apul. Met. I. p. 67. est *agebant*. Recte. v. Gloss. Al. *degebant*.

cuncta quae) Ed. Crat. *cuncta ei quae*, scil. Menelao: sinistra interpolatio.

fieri amat) Ed. Crat. *solet*. Correctores ita edidisse monet Mercerus. Cf. Gloss.

fama — divulgatur) In Cod., quem Heinsius consuluit, teste

sumque regnum, et alia in talem modum singuli disserebant.

IV. Quis cognitis Menelaus, etsi abstractio coniugis animum permoverat, multo amplius tamen ob iniuriam affinium, quas supra memoravimus, consternabatur. At ubi animadvertit Palamedes, regem ira atque indignatione stupefactum consilio excidisse, ipse naves parat atque omni instrumento compositas terrae applicat. Dein pro tempore regem consolatus, impositis etiam ex divisione, quae in tali negotio tempus patiebatur, navem ascendere facit: atque ita, ventis ex sen-

---

Burmanno ad Sueton. Caes. c. 33. erat *divulgat*. Sed haudquaquam hoc alteri praeferendum. Sall. Iug. 13. *Ceterum fama tanti facinoris per omnem Africam brevi divulgatur*. Wopkens. p. 2.

disserebant) Burmannus l. l. coniicit *differebant*; quod verbum saepe divulgare, disseminare denotare docet. Librorum lectionem Septimio vindicarunt Wopkens. p. 3. et Oudendorp. ad Apul. Met. VII. p. 451.

IV. *permoverat*) S. Gall. opp. *permoveret*.

consternabatur) Crat. *consternebatur*.

At ubi animadv.) MS. Perizon. a m. pr. *Quod ubi animadvertit; regem.* quod perperam placuit Oudendorpio ad Apul. Met. III. p. 201. Ratio patet.

stupefactum) Bern. *sic stup.*

consolatus) Ed. Princ. *consolatur*.

impositis etiam ex div.) Libri scripti et editi *positis*. „Sine haesitatione legendum censeo *impositis*. Ita V. 12. *Graeci, ubi cuncta navibus imposita sunt, ad Sigeum secedunt.* et VI. 1. *Postquam impositis, quae singuli bello quaesiverant, ascendere ipsi.*" Sententia est Perizonii Diss. §. XXXIX. Placet haec emendatio Wopkensio p. 3. Recte. Cum enim propria sit scriptoribus formula *imponere in navem* vel *naves*, ut ostendit Oudendorp. ad Caesar. B. C. III. 14, ubi in MSS. confunduntur *positis* et *impositis*; tum vero etiam *imponere*, sine addito *navi* vel *in navem*, proprium esse rei nauticae verbum docuit Burmann. ad Ovid. Art. Am. II. 430.

quae in tali negotio tempus patiebatur) Bern., S. Gall. opp. et Ed. Merc. *quae in tali negotio patiebantur*. unde Vindingio placet *quae — partiebantur*, Wopkensio p. 3. *quae — poscebantur*. Ed. Crat. *quibus in t. neg. potiebantur*. Vera haud dubie lectio est, quam exhibent S. Gall. sec. IX., Ed. Princ., Obr., Perizon. Diss. §. XXXIX. et Cort. ad Sall. Iug. 49. 6. Lib. II. 42. *quae tempus anni patiebatur*. III. 6. *quantum acies hostium patiebatur*.

ventia flantibus, paucis diebus Spartam pervenere. Eo iam Agamemnon et Nestor omnesque, qui ex origine Pelopis in Graecia regnabant, cognitis rebus confluxerant. Igitur postquam Menelaum advenisse sciunt, omnes in unum coeunt. Et quanquam atrocitas facti ad indignationem ultumque iniurias rapiebat, tamen ex consilii sententia leguntur prius ad Troiam Palamedes, Ulixes et Menelaus: hisque mandatur, uti, conquesti iniurias, Helenam et quae cum ea abrepta erant, repeterent.

V. Legati paucis diebus ad Troiam veniunt: neque tamen Alexandrum in loco offendere. Eum namque, properatione navigii inconsulte usum, venti ad Cyprum appulere. Unde sumptis aliquot

---

ventis ex sent. fl.) Bern., S. Gall. opp. et Ed. Merc. *ex sent. vent. fl.*

omnesque) Bern. *omnisque*. quam antiquam formam sprevi, quia unico loco solus Cod. Bern. eam exhibet.

Ulixes) Ita hic et ubique in libris meis hoc nomen scribitur. Quam antiquam formam, Apuleio et Gellio amatam, atque aliis quoque scriptoribus haud inusitatam, etiam Henricus Brunsvigensis, Germanus Guidonis interpres, ubique extulit, multisque Septimii locis se invenisse testatur Oudendorpius ad Apul. Met. I. p. 46. Edd. vulgg. semper *Ulysses*.

abrepta) Bern. *arepta*.

V. *neque tamen*) Ita uterque S. Gall., Ed. Princ. et Crat., non *neque tum*, ut legitur etiam Gronov. Obss. Eccles. c. 25. Scilicet *tamen* a librariis scribebatur *tam̄*, ut hoc ipso loco in S. Gall. sec. IX., quod male acceptum est pro *tum*.

Eum n., p. nav. inc. usum, venti ad Cypr. app.) Vulgatam lectionem, etiam in MS. Bern. a me visam, *Tum n. prop. nav. inc. usi ventis*, varie tentarunt Anna et Barthius: illa *Tum n. p. n. inc. usus ventis ad Cypr. appulerat*; hic *Dum n. propera itione nav. inc. usi ventis Cyprum appulere*. S. Gall. opp. *tum n. p. n. inc. usi venti*. Ed. Princ. *Eum n. p. n. inc. usi ventis*. Lectio unice vera servata est in S. Gall. sec. IX., quam ego edidi, iamque restituerunt Septimio Obrechtus et Gronovius (l. l.), ductus ille librorum suorum vestigiis, hic proprio ingenio. Diverse tamen uterque distinxit et intellexit locum. Obrechti explicationem, ad *usum* ex *venti* subintelligentis *ventis*, recte damnat Wopkens. p. 4., amplexus Gronovianam,

navibus Phoenicem delapsus, Sidoniorum regem, qui eum amice susceperat, noctu insidiis necat, eademque, qua apud Lacedaemonam, cupiditate universam domum eius in scelus proprium convertit. Ita omnia, quae ad ostentationem regiae magnificentiae fuere, indigne rapta ad naves deferri iubet. Sed ubi ex lamentatione eorum, qui, casum domini deflentes, reliqui praedae aufugerant, tumultus ortus est, populus omnis ad regiam concurrit. Inde, quod iam Alexander, abreptis quae cupierat, ascensionem properabat, pro

---

de qua v. Gloss. — An iusta sit mota mihi in Obss. de verbis *ad Cyprum* dubitatio, et probanda coniectura *Aegyptum*, ex rationibus ibi expeditis diiudices.

noctu insidiis) S. Gall. opp. *nocte infidus*. i. e. insidiis. Bern. et Ed. Me c. *nocte insidiis*. Recte habetur in S. Gall. sec. IX., Ed. Princ. et Crat. *noctu insidiis*. sic enim loqui amat Septimius. v. Gloss. Ed. Obr. *noctu per insidias*.

Apud Lacedaemonam) Ed. Crat. *Lacedaemoniam*. quam lectionis varietatem notat etiam Duker ad Flor. II. 7. 12. Usitatae fuerunt posteriore tempore formae adiectivae *Lacedaemonia*, *Babylonia*, *Sidonia*, pro Lacedaemon, Babylon, Sidon. v. Grauert. ad Trogi Prolog. XXV. Sed quartum casum *Lacedaemonam* agnoscunt hic et cap. 12 libri, Ed. Merc. et Obr., ut sextum *Lacedaemona* cap. 17. Bern. et Ed. Merc. Atque haec quoque forma scriptoribus posterioribus propria erat, pariter atque *Crotona*, *Elida*, *Chalcida*, pro Croton, Elis cet. Cf. Salmas. ad Trebell. Poll. in Gallien. duob. c. 8. p. 203. a, Duker. et Salmas. ad Flor. IV. 21. 4, Oudendorp. ad Caesar. B. G. III. 20. Quam ipse amat Septimius: cap. 2. et IV. 4. *Sidonâ*. cap. 17. 18. II. 10. *Aulidam*. cap. 17. *Salaminâ*, *Methonâ*, *Colophonâ*. VI. 4. (cf. Dares. c. 3. 5. et alibi) *Salaminam*. Nostro loco et c. 12. de urbe agitur, non de regione; c. 17. intelligenda est regio, Laconia: potuitque ibi *Lacedaemonia* correxisse, qui antiquissimis temporibus Lacedaemonem non solam urbem, sed omnem Laconiae regionem significasse ignoraverit. Cf. Hom. Il. II. 581.

proprium) Bern. *propriam*. et mox *Itaque*.

deferri) Bern. *deferre*. Ed. Crat. *differri*.

reliqui praedae) Hanc librorum meorum et Argent. lectionem vulgatae *reliquae* dudum praetulerunt Vindingius, Obrechtus et Wasseus ad Sall. Cat. 29. extr. Bern. *reliqui qui praedae*.

ad regiam) S. Gall. opp. *reginam*.

quod iam Al. abreptis) Bern. *quoniam Al. areptis*, m. sec. *arreptis*. Mox S. Gall. opp. et Ed. Princ. *cupiebat*.

ascensionem properabat) scil. navium. Rei, quae agitur, multo

tempore armati ad naves veniunt; ortoque inter eos acri proelio, cadunt utrinque plurimi, quum obstinati hi regis necem defenderent, hi, ne amitterent partam praedam, summis opibus adniterentur. Incensis deinde duabus navibus, Troiani reliquas strenue defensas liberant, atque ita, fatigatis iam proelio hostibus, evadunt.

VI. Interim apud Troiam legatorum Palamedes, cuius maxime ea tempestate domi bellique consilium valuit, ad Priamum adit: conductoque concilio, primum de Alexandri iniuria conqueritur, exponens communis hospitii eversionem. Dein monet, quantas ea res inter duo regna simultates

---

convenientior haec lectio est, quam quae exprimitur in Ed. Crat. *abscessionem,* ut exhibent etiam Forcellin. Lex. s. v. et Ol. Borrich. de var. L. L. aetat. p. 12. Praeterea S. Gall. opp. *praeparabat.*

pro tempore) Bern. et Ed. Crat. *parvo temp.* v. Wopk. p. 4. et Gloss. ad. c. 4.

partam praed.) S. Gall. opp., Bern. et Ed. Merc. om. *partam.*

fatigatis) Nescio unde Borrichius l. l. sumserit *sagittatis,* quod defendit.

VI. *ea temp.*) Ed. Dacer. *in ea temp.* Mox. Bern. et Ed. Merc. *domique bellique.*

ad Pr. adit) Cap. 9. *ad Hel. adit.* II. 29. *ad Ag. adeunt.* VI. 3. *ad or. adit.* Ed. Crat. ubique *adiit* omissa praepos. *ad.* De formula *adire ad* v. Ruhnken. ad Terent. Andr. II, 1. 15. Dictat. p. 41. Schopen.

conductoque concilio) S. Gall. opp., Ed. Princ. et Merc. *consilio.* Notum utriusque vocabuli discrimen post Gronovium ad Liv. XLIV, 2. Cf. Ernest. Clav. Cic. s. v. *consil.,* et Brem. ad Nep. Epam. 3. 5. Quum autem apud bonos scriptores utriusque promiscuum saepe usum reperias, atque in primis recentiores raro accurate distinguant, amantes *concilium,* tamen illi discrimini plurimis Septimii locis optimi libri suffragantur. Quare quemadmodum nihili est iudicium Vindingii, ubique scribendum *consilium* censentis, atque haud probanda Merceri ratio critica, qui semper et ubique edidit *consilium,* ita etiam damnandum ubique fere expressum in Ed. Crat. *concilium.* Restitui Septimio *concilium* ex MSS. hic, II. 33, III. 20 (ubi de eodem agitur concilio) IV. 18. cet.; atque sic correxi infra, ubi MSS. et Edd. *qui in eo consilio aderant,* et *consilium dimittitur,* cum tamen his locis de eodem *concilio* sermo sit, quod initio cap. convocatur.

monet) Bern. *movet.*

concitatura esset, interiaciens memoriam discordiarum Ili et Pelopis aliorumque, qui ex causis similibus ad internecionem usque gentium pervenissent. Ad postremum belli difficultates contraque pacis commoda astruens, *non se ignorare*, ait, *quantis mortalibus tam atrox facinus indignationem incuteret: ex quo auctores iniuriae, ab omnibus derelictos, impietatis supplicia subituros.* Et quum plura dicere cuperet, Priamus, medium eius interrumpens sermonem, *parcius, quaeso, Palamede,* inquit: *iniquum etenim videtur, insimulari eum, qui absit, maxime quum fieri possit, uti, quae criminose obiecta sint, praesenti refutatione diluantur.* Haec atque alia huiusmodi in-

---

aliorumque qui) Immerito haec verba tentat Wopkens. p. 4., cui magis placeat *aliarumque quae.*

usque gentium) Bern., S. Gall. opp. et Ed. Merc. *gentium usque.*

astruens) S. Gall. sec. IX. *adstruens.* Ed. Princ. *asstruens.*

non se ignorare) Decere hanc confessionem Priamum aut Troianum quemquam, neutiquam vero legatum Graecorum, accusantem id facinus, adnotat Perizonius Diss. §. XXXIX; quare mavult *non posse ignorari*, vel *non posse ignorare* scil. eos, apud quos verba facit.

quantis mort.) i. e. quam multis, quot. v. Gloss. Quam significationem non capiebat Anna, cum omnino legendum esse pronuntiaret *quantam — indignationem.*

Palamede) Ita recte libri, non *Palamedes.* Lib. II. 23. *apud eos, Ulixe, verba facis.*

etenim) S. Gall. opp. *enim.*

videtur insimulari) Ed. Crat. *insimulare*, ut legit etiam Cort. ad Sall. Iug. 64. 5. Ed. Dacer. *videretur insimulare.* In iisdem mox sequitur *ut si quae* (Crat. *qua*) *obiecta sint*, consentientibus Cortio et Wopkensio p. 8. Recte, quoad modum coniunctivum *sint;* sed *uti quae* cum libris meis, Ed. Merc., Obr. et Perizon. l. l. retinendum putavi. — Bern. *quae crim. obiectas refut. del.*

praesenti refutatione) Libri mei et Merc. om. *praesenti.* Perizonii l. l. correctionem *praesentis* nimis festinanter probat Wopkens. p. 5. Imitatur Septimius Sall. Iug. 29. ac *pauca praesenti consilio locutus*, i. e. consilio, in quo Iugurtha ipse praesens aderat Plaut. Amph. 1. 1. 93. *ego fui illic in re praesenti*, i. e. praesens fui in certamine. Pariter *refutatio praesens* est refutatio, quam Alexander praesens ipse peragit. Ablativo defendendo sunt etiam allata ab ipso Wopkensio. — Bern. et S. Gall. opp. *deluantur.*

ferens, differri querelas ad adventum Alexandri iubet. Videbat enim, ut singuli, qui in eo concilio aderant, Palamedis oratione moverentur; ut taciti, vultu tamen admissum facinus condemnarent; quum singula miro genere orationis exponerentur, atque in sermone Graeci regis inesset quaedam permixta miserationi vis. Atque ita eo die concilium dimittitur. Sed legatos Antenor, vir hospitalis et praeter ceteros boni honestique sectator, domum ad se volentes deducit.

VII. Interim paucis post diebus Alexander cum supradictis comitibus venit, Helenam secum habens. Cuius adventu tota civitas quum partim exemplum facinoris exsecrarentur, alii iniurias in

---

inferens) S. Gall. opp. *inserens*.

vultu tamen) Ed. Crat. *vultu tantum*. v. Gloss.

miserationi vis) Hanc Ed. Obr. lectionem defendo et explico in Gloss. Ceteri editi et scripti libri *miserationis vis*.

Atque ita eo die) Oudendorpius ad Apul. Apol. p. 521. ex MS. legit *Atque in eo die*. Sed scripta et edita exemplaria quae vidi omnia, ut et Cod. Heinsii ad Ovid. Met. XII. 535. *ita eo die*.

concilium dimittitur) *Dirimitur* vet. codex, non *dimittitur*. Nihil usitatius veteribus scriptoribus. Heinsius l. l. Etiam Ed. Crat. et Obr. *dirimitur*. Sed tres mei MSS., Ed. Princ. et Merc. *dimittitur*, gravissimo consensu. Cf. Gloss.

VII. *venit*) Edd. Basil. et Dacer. *revertitur*. ab interprete. v. Gloss.

Cuius adventu tota civitas quum p. exemplum f. exsecrarentur, alii) Haec S. Gall. sec. IX. lectio haud dubie vera est. Cum singularis numerus *tota civitas* sequente verbo *exsecrarentur* plurali numero offensionem praeberet, mutatum est *Cuius adventu in tota civitate q. p. exemplum f. exsecrarentur*, quam Argent. et Ed. Princ. lectionem amplexus est Obrechtus, et quasi ipse ita corrigens Wopkens. p. 5. Omitti poterat praepos. *in*, ut consimili loco Apul. Apol. p. 587. *Cognitum hoc est tota civitate. Rufinum omnes exsecrati, me laudibus tulere.* Sed nihil erat movendum: nam ipse Septimius I. 16. *quum iuventus partim — alii — festinarent*. Offensum est etiam in vocibus *cuius adventu* i. e. qui cum advenisset: quem loquendi morem, quamvis usitatum (Caesar B. G. VIII. 18. *Quorum adventu*. Liv. I. 58. *Adventu suorum lacrimae obortae*. Similia ex aliis ipsoque Septimio collegit Wopkens. p. 6.), cum non caperent, correxere *cuius adventum*; quam correctionem, ut staret oratio, sequi debuit altera *exemplo*. Hinc nata est lectio *Cuius adventum tota civitas*

Menelaum admissas dolerent, nullo omnium adprobante, postremo cunctis indignantibus, tumultus ortus est. Quis rebus anxius Priamus filios convocat, eosque, quid super tali agendum negotio videretur, consulit: qui una voce *minime reddendam Helenam* respondent. Videbant quippe, quantae opes cum ea advectae essent: quae universa, si Helena traderetur, necessario amitterent. Praeterea permoti forma mulierum, quae cum Helena venerant, nuptias sibi singularum iam animo destinaverant: quippe qui, lingua moribusque barbari, nihil pensi aut consulti patientes, praeda atque libidine transversi agebantur.

---

q. p. exemplo f. exsecrarentur, quae habetur in Bern., S. Gall. opp. et (teste Oudendorpio ad Apul. Met. III. p. 185.) MS. Voss. Atque cum numerum singularem *civitas* postulare autumarent eiusdem numeri verbum, exiit denique *Cuius adventum tota civitas q. p. exemplo f. exsecraretur*, ut est in Ed. Merc. et Crat. exaraturque in MS. Perizon., nisi quod hic retineat *exemplum* (teste Oudend. l. l.). — Ex MSS. Voss. et Perizon. emendandum ratus est Oudendorp l. l. et ad Sueton. Vesp. 4. *Cuius ad adventum tota civitas q p exemplum f. exsecrarentur.* Sic sane Spartian. Hadr. 22. extr. *Ad adventum eius pluit.* Sed Ablat. *adventu* optimorum Codd., ut dixi, auctoritate nititur.

Quis rebus) Ed Merc. *Queis.*

agendum negotio) Hic verborum ordo est in libris meis et Ed. Merc., non *neg. ag.*

vid. quippe) Ed. Princ. *enim.*

advectae) Haec librorum meorum lectio est; quam ex MS. Perizon. a. m. sec. et Ed. Obr. praefert etiam Oudendorp ad Sueton. de Ill. Gram. c. 19. *a Caesare puerum Romam advectum.* ubi Cort. mavult *adductum.* Ed. Crat. et Merc. *adductae.* in cuius favorem nequidquam exempla congerit Wopkens. p. 40. Ovid. Her. VII. 150. *et advectas Pygmalionis opes.* al. *adductas.* Eadem confusio deprehenditur lib. II. 41. IV. 4. V. 14.

consulti patientes) Ita MSS. mei, Merceri, Argent. et Ed. Princ. In Ed. Mediol. et Crat. est *facientes.* Ex Sallustio (v. Gloss.) Mercerus scribi iubet *habentes.* „At hic *παρῳδιάζει*, non exscribit Sallustium Septimius, ita ut vim phraseos non parum intendat. Nam si barbari, qui *nihil pensi aut consulti habent*, quanto magis, qui nec *patiuntur.*" Verba sunt Obrechti.

atque libidine) Ita S. Gall. sec. IX., Ed. Princ. et Crat., non *ac lib.*

VIII. Igitur Priamus, relictis his, senes conducit, sententiam filiorum aperit: dein cunctos, quid agendum esset, consulit. Sed priusquam ex more sententiae dicerentur, reguli repente consilium irrumpunt, atque inconditis moribus malum singulis minitantur, si aliter, quam ipsis videretur, decernerent. Interim omnis populus *indigne admissam iniuriam*, atque in hunc modum multa alia cum exsecratione reclamabant. Ob quae Alexander, cupidine animi praeceps, veritus, ne quid adversum se a popularibus oriretur, stipatus armatis fratribus impetum in multitudinem facit, multos obtruncat: reliqui interventu procerum, qui in consilio fuerant, duce liberantur Antenore. Ita infectis rebus populus contemtui habitus non sine pernicie sua domum discedit.

IX. Dein secuta die rex hortatu Hecubae ad Helenam adit, eamque benigne salutans, bonum

---

VIII. *agendum esset consulit*) Bern., Ed. Merc. et Obr. *sit*. v. Gloss.

consilium irrump.) Ita recte S. Gall. opp. et Ed. Merc., non *concilium*. Cf. Perizon. Diss. §. XXXIX. Infra consentiunt libri in *qui in consilio fuerant*. Cf. ad c. 6 ut et II. 31. 49.

inconditis moribus) Perizonius l. l. legendum arbitratur *inc. clamoribus*. Orellio (in collatione Cod. S. Gall. sec. IX.) in mentem venit *inc vocibus*.

populus — reclamabant) Ita Bern., S. Gall. opp. et Ed. Merc., item MSS. Voss. et Periz. teste Oudendorpio ad Apul. Met. II. p. 164 (*populus aestuant*), ad quem l. alia affert vir celeberrimus. In cett. libris *reclamabat*. Cf. ad II. 30.

Ob quae) Ed. Princ. *quem*.

a popularibus oriretur) Singularis omnino haec loquendi ratio. Forsitan dederat *adv. se populares molirentur*. ut III. 3. *veritus ne quid adversus se aut in supradictos reges moliretur*. Sic lib. II. 25. VI. 4. et alibi. WOPKENS. p. 6.

infectis rebus) S. Gall. opp. *insectis*. Bern. *imperfectis*. Forsan recte. v. Gloss. ad c. 11.

domum discedit) Ed. Crat. *discessit*. Eadem Sallustii loco, quem imitatur noster (v. Gloss.), variatio obtinet.

IX. *ad Hel. adit*) Vid. ad c. 6.

animum uti gereret, hortatur; quae cuiusque esset, requirit. Tum illa *Alexandri se affinem* respondit, *magisque ad Priamum et Hecubam, quam Plisthenis filios genere pertinere*, repetens ordinem omnem maiorum. *Danaum enim atque Agenorem et sui et Priami generis auctores esse. Namque ex Hesiona, Danai filia, et Atlante Electram natam, quam ex Jove gravidam Dardanum genuisse: ex quo Tros et deinceps insecuti reges Ilii. Age-*

---

bonum animum) Hoc ordine S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ., non *an. bon.* Recte. v. Gloss.

Tum illa) S. Gall. opp. et Ed. Princ. *Tunc.*

ordinem omnem) Ed. Merc. et Crat. *originem omnem.* Dacer. *omnium.* Legimus sane lib. III. 5. *originem propriam memoria repetebant.*

auctores) Bern. *actores.*

ex Hesiona Danai filia) Vulg. *ex Pleiona* et *Pleione.* Quod profectum ex veteribus iudico, qui fere omnes Electram Pleionae ex Atlante (non Danao, ut Dictys retulit) fuisse filiam produnt. Ex Ed. Mediol. scriptura *Plesione*, et potissimum ex Malela, qui p. 120. easdem res eandemque rerum seriem ex Dictye petiit, et consentientem habet Cedrenum, Perizonius Diss. §. XVII. legendum contendit *Plesiona.* Sed permulta nomina hominum propria vel ab ipso Malela corrupta esse, vel ab interpretibus ea menda dissimulata fuisse et silentio praetermissa, abunde docuit Bentleius in Epist. ad Millium, Malelae (ed. Chimeald.) adiecta, p. 73: atque Malelam in nominibus propriis etiam a Dictye, licet exscripsisse manifestum sit, saepissime discrepare compertum habeo passimque adnotare haud omisi. Cedrenus, pariter *Plesionam* nominans, debilis testis est, qui Malelam expilaverit. Bern. *ex iona danai filia.* Merceri Codd. unus *Jona*, alter *Ona.* Argent. *Sona.* Ed. Princ. *exsona.* Quae nihili sunt. Verum nomen in unico, quod sciam, Cod. S. Gall. sec. IX. servatum est, qui diserte habet *ex Hesiona.* Atque rectissime ita edidisse iam Obrechtum, ex lib. IV. 22. patet, ubi eadem origo repetitur his verbis: *Hesionam quippe Danai filiam Electram genuisse.* Isto quoque loco vulg. *Pleionam.* Bern. *Plionam.* S. Gall. opp. *esione.* Sed *Hesionam* exhibent S. Gall. sec. IX., Ed. Princ., libri Merceri et Obrechti, nec non MSS, quos vidit Oudendorp. ad Apul. Met. II. p. 97. Nihil igitur certius, quam Septimii manum fuisse, atque Graecum etiam Dictyn scripsisse *ex Hesiona*; quae quidem scriptura praeterea confirmatur ex Schol. Apollon. Argon. I. 230. *Ἡσιόνης δὲ τῆς Δαναοῦ καὶ Διὸς γίνεται Ὀρχόμενος.* et ex Schol. Eurip. Phoen. 1129. *Ἠλέκτραν τὴν Ἄτλαντος καὶ Ἡσιόνης.*

reges Ilii) Libri mei et Ed. Merc. *reges alii.*

noris porro Taygetam: eam ex Jove habuisse Lacedaemonem, ex quo Amyclam natum, et ex eo Argalum, patrem Oebali, quem Tyndari, ex quo ipsa genita videretur, patrem constaret. Repetebat etiam cum Hecuba materni generis affinitatem. *Agenoris quippe filium Phoenicem et Dymae, patris Hecubae, et Ledae consanguinitatis originem divisisse.* Postquam memoriter cuncta retexuit, ad postremum flens orare, *ne, quae semel in fidem eorum*

---

eam ex Jove) Ita libri mei, non *eamque.*

Lacedaemonem, ex quo) Libri mei *Lacedaemonam, ex qua.*

Amyclam) S. Gall. sec. IX. *Amyclum.* In cett., ut et Merceri-anis *Amiclum.* Ed. Merc. et Obr. *Amiclam.* Crat. *Amictum Musculum.*

et ex eo Arg.) Ed. Obr. om. *et.*

patrem constaret. Rep.) Bern. *pat. ita const.* S. Gall. opp. *pat. ita const. ut repet.*

Ag. q. filium Phoenicem) Haec vulgata lectio confirmatur librorum auctoritate Merceri meorumque. Nam S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *filiam Phoenicen.* S. Gall. opp. et Bern. *filiam Phoenicem.* Obrechtus edendum curavit *Ag. q. Phineum;* et Mercerus scriptum fuisse putat *Ag. q. Phineum. et Phoenicem.* In sequentibus S. Gall. uterque et Ed. Princ. *et Dymae patris Hec.*, ut etiam Obrechtus editum voluit. Unus librorum Merceri *et Dime*, alter, ut et meus Bern. *de Dime:* unde Mercerus vult *et inde patres Hec.;* cui prope accedit lectio Argent. *deinde patris H.* et Ed. Crat. *et deinde patris H.* Rectissime se habere, quae excudimus, perspicuum est ex Malela p. 121, qui sic ex Dictye retulit: *Καὶ διὰ Φοίνικα τὸν Ἀγήνορος υἱὸν, οὗ τινος ἐγένετο ἀπόγονος Δύνας βασιλεὺς, ὁ Ἑκάβης πατὴρ, ἐκ τοῦ γένους δὲ τοῦ Δύνα καὶ ἡ Λήδα ἔλεγεν εἶναι.* Nomen Phinei falso huc ex lib. III. 5. et IV. 22. translatum est. Cf. Obss. — Dixi habere S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *Phoenicen.* Non aliter idem S. Gall. cap. 16. Accusativo in *en* a nominibus propriis varii generis, quae casu nominativo in *es* exeunt, saepe usi sunt Latini. Sed exemplum, quale est *Phoenicen* a *Phoenix*, insolentius esset, mihique ignoratur. Praeterea MSS. et Edd. lib. II. 34. unanimiter *Phoenicem.* Cf. ad II. 48. et VI. 6.

divisisse) Ita libri mei et Merceri. Cf. Virgil. Aen. VIII. 142. *Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno.* Ed. Obr. et Perizon. Diss. §. XVIII. *dimisisse. Dividere* et *dimittere* mutant etiam Sueton. Octav. 24. et saepe in MSS. Cf. Burmann. ad Phaedr. IV. 24. 18. et Ovid. Met. III. 381.

Postquam mem.) Ed. Crat. *Quae postq.*

ne, quae semel in f. eorum) Sic scribendum putavi ex MSS. meorum lectione *neque* (S. Gall. sec. IX. a. m. sec. *neve*) *semel in f. eorum.* Ed. Princ. et cett. Edd. quas vidi exhibent *ne se, quae se-*

recepta esset, prodendam putarent. Ea secum domo Menelai adportata, quae propria fuissent, nihil praeterea ablatum. Sed utrum immodico amore Alexandri, an poenarum, quas ob desertam domum a coniuge metuebat, ita sibi consulere maluerit, parum constabat.

X. Igitur Hecuba, cognita voluntate, simul ob generis coniunctionem, complexa Helenam, ne proderetur, summis opibus adnitebatur: quum iam Priamus et reliqui reguli non amplius differendos legatos dicerent, neque resistendum popularium voluntati; solo omnium Deiphobo Hecubae assenso, quem, non aliter atque Alexandrum, Helenae desiderium a recto consilio praepediebat. Itaque quum obstinate Hecuba nunc Priamum, modo filios deprecaretur, modo complexu eius nulla ratione divelli posset, omnes, qui aderant, in voluntatem suam transdu-

---

mel in f. eorum vel *illorum.* Facile subintelligitur *se;* vel potius *eam.*

prodendam) Bern. *perdendam.*

domo M. adportata) Ita tres MSS. mei. MS. Voss. (teste Oudendorpio ad Apul. Met. VIII. 548.) *asportata.* Ed. Crat. et Merc. *apportata.* Ignorat verbum Ed. Princ. illudque expunxit Obrechtus, duce opinor Cod. Argent., qui persaepe cum illa mea Ed. conspirat. Atque ego quoque paene eliminassem, quia ex *ablatum* bene hic subintelligi potest *ablata sunt*, et quia id genus ellipses nostro sunt frequentes. Cf. c. 22. Gloss.

an poenarum) Vulg. *poenarum metu.* in quo scholiastae additamento frustra coniecturis se defatigat Wopkens. p. 6, cum recte absit a libris Merceri, Obrechti meisque. v. Gloss.

ita sibi) Bern. et Ed. Merc. om. *ita.*

maluerit) Praestare vides *voluerit;* neque enim *maluerit* referri ad quidpiam aliud potest, quod minus vellet Helena. Wopkens. p. 6. Praetulit Helena nuptias Alexandri.

X. *adnitebatur*) Bern. et S. Gall. opp. *adniteretur.*

modo complexu eius nulla ratione div.) S. Gall. opp. *in amplexu.* Ed. Crat. *nec a complexu eius ullo modo, ulla ratione div.*

in voluntatem suam transduxit) Bern. et S. Gall. opp. *voluntate eius transd.* Ed. Merc. *in voluntate eius traduxit. Traduxit* de-

xit. Ita ad postremum bonum publicum materna gratia corruptum est. Dein postero die Menelaus cum suis in concionem venit, coniugem et quae cum ea abrepta essent, repetens. Tunc Priamus inter regulos medius adstans, facto silentio optionem Helenae, quae ob id in conspectu popularium venerat, offert, si ei videretur, domum ad suos regredi. Quam ferunt dixisse, *neque se invitam navigasse, neque sibi cum Menelai matrimonio convenire.* Ita reguli, habentes Helenam, non sine exsultatione ex concione discedunt.

XI. His actis Ulixes, contestandi magis gratia, quam aliquid ex oratione profecturus, cuncta, quae

---

fendit Vindingius, contra quem cf. Cort. ad Sall. Iug. 11. 4. et Oudendorp. ad Sueton. Caes. 20.

Dein postero die) S. Gall. sec. IX. et Bern. *Deinde postremo die.*

adstans) Ed. Princ. et Crat. *astans*. Cf. ad II. 14 et 41.

optionem) Bern. *optioni.*

in conspectu — venerat) Sic ex Argent. legit Obrechtus: suffragatur Ed. Princ. mea: laudat et exemplis probat Burmannus ad Phaedr. V. 1. 15. Quicquid contra moverit Wopkens. p. 7, posthabendam nihilominus putavi trium MSS. meorum ceterarumque Ed. lectionem *in conspectum*, cum etiam Caesari familiaris sit formula *in conspectu venire* (v. Clark. et Oudendorp. ad B. G. IV. 12. et Oudend. ad Sueton. Caes. 35), atque Septimius cum optimis scriptoribus similia amet. Cf. Gloss. ad V. 10.

ad suos regredi) Crat. *regrediendi.*

neque se invitam navigasse, neque sibi) Ita S. Gall. sec. IX. et Ed. Obr. In ceteris MSS. et Edd. video *neque se patriam regredi velle, neque sibi.* S. Gall. opp. post *ad suos regredi* transilit verba *quam ferunt dixisse, neque se patriam regredi.* Oudendorpius ad Apul. Met. I. p. 24. MSS. habere dicit: *neque se invitam navigasse, neque se in patriam regredi velle, neque sibi.* Manifestum est, verba *neque se in patriam regredi velle*, scholiastae fabricam esse.

discedunt) Bern. *disceditur.*

XI. *contestandi m. gratia*) S. Gall. sec. IX. a m. pr. om. *gratia.* Tentaveram aliquando *contrastandi.* Sed vide disputata in Praefat. p. XLII sq.

ex oratione profecturus) Tres mei MSS. et Ed. Merc. *ex oratione profuturus.* Ed. Princ. et Obr. *ea or. profuturus.* MS. Heinsii *in or. profuturus*: volebat tamen *profecturus*; et sic locum adscri-

ab Alexandro contra Graeciam indigne commissa essent, retexuit: ob quae ultionem brevi testatus est. Dein Menelaus ira percitus, atroci vultu exitium minatus, concilium dimittit. Quae ubi ad Priamidas perlata sunt, confirmant inter se clam, uti per dolum legatos circumveniant. Credebant quippe, quod non frustra eos habuit, si legati imperfecto negotio revertissent, fore uti adversum se grande proelium concitaretur. Igitur Antenor, cuius de sanctitate morum supra memoravimus, Priamum convenit, coniurationemque factam conqueritur: *filios quippe eius non legatis, sed ad versus se insidias parare*: *neque id se passurum.* Dein non multo post legatis rem aperit. Ita exploratis

---

pserat ad Caes. B. C. III. 15. teste Oudendorpio. *Profecturus* malebat etiam Perizonius Diss. §. XXXVIII, cum nondum sciret, MS. suum in Bibl. Leid. a. m. pr. habere *ea oratione promoturus*; ut refert Oudendorp. ad Apul. Apol. p. 390. Etiam Ed. Crat. *ea oratione promoturus*. Dacer. *ex or. promoturus*, ut legit Oudendorp. ad Apul. Met. I. p. 13. et II. p. 170, cum ad Apol. p. 390. scribat *ea or. promoturus*. Verbum *promovere* notione proficiendi et assequendi aliquid frequentissimum esse Apuleio, docuit Oudendorp. ad Met. VII. p. 496. (*sic asseverans nihil quidquam promovebat.*): atque illud a librariis Septimii interpretibusve, quod optimis scriptoribus minus usitatum sciverint, potuisse loco moveri bene sentio. Sed unus MS. Periz., licet suffragante Ed. Crat., non tanti Oudendorpio valere debuit, quanti tot Codd. consensus in *profuturus*; quam scripturam etiam in ceteris, quibus usus est, MSS. Bibl. Leid. deprehendisse videtur: alioquin enim notasset varietatem. Hanc autem lectionem levi menda purgarunt Heinsius et Perizonius, facientes *profecturus*, de cuius verbi vi praeter hos viros doctos consulas Wopkensium.

indigne commissa) Bern., S. Gall. opp. et Ed. Merc. *indigna*.

brevi testatus) Non damnem: malim tamen *ultionem regi test.* Absentes enim iam regis filii erant. *Regi* pro coram rege. Wopkens. p. 8. Bern. *breviter*.

concilium dim.) Cap. 10. *concionem vocat*. S. Gall. opp. et Ed. Merc. *consilium*.

per dolum) Wopkens. p. 10. ex Ed. Dacer. *dolos*.

frustra eos habuit) Ed. Crat. *eos habuit consilium*. Superfluum additamentum.

omnibus, adhibito praesidio, quum primum opportunum visum est, inviolatos eos dimittit.

XII. Dum haec apud Troiam aguntur, disseminata iam per universam Graeciam fama, omnes Pelopidae in unum conveniunt, atque interposita iurisiurandi religione, ni Helena cum abreptis redderetur, bellum se Priamo inlaturos confirmant. Legati Lacedaemonam redeunt, de Helena eiusque voluntate narrant: dein Priami filiorumque eius adversum se dicta gestaque; grande praeconium fidei erga legatos Antenoris praeferentes. Quae ubi accepere, decernitur, uti singuli in suis locis atque imperiis opes belli parent. Igitur ex consilii sententia opportunus locus ad conveniendum, et in quo de apparatu belli ageretur, Argi, Diomedis regnum, deligitur.

XIII. Ita ubi tempus visum est, primus omnium ingenti nomine virtutis atque corporis Aiax Telamonius advenit, cum eo Teucer frater: dein haud multo post Idomeneus et Meriones, summa

---

inviolatos) Bern. *insublatos.*

XII. *Dum haec*) S. Gall. opp. *Cum.* Infra pro *abreptis.* Bern. *arreptis.*

Lacedaemonam) Ed. Crat. *Lacedaemona.* v. ad c. 5.

dein Priami) Bern. et Ed. Princ. hic et ubique in Septimio *Deinde.* Mox pro *filiorumque.* Bern. *sociorumque.*

praeconium fidei — praeferentes) Malim *Antenori praebentes*, ut *praeconium alicui tribuere* dixit Cic. Fam. V. ep. 12. Stare tamen *Antenoris* possit, si *fidei* in Dativo acceperis. Neque enim infrequens iste ordo *fidei erga legatos Antenoris*, pro *fidei Antenoris erga leg.* Vell. Pat. II. 29. *sub adventum in Italiam Sullae.* Ad Iustinum plura. Wopkens. p. 8 sq. Omnia sana sunt. v. Gloss.

decernitur) Ed. Princ. et Obr. *decernunt.*

consilii) Ed. Obr. *concilii.* Cf. ad c. 4.

opportunus locus) Cort. ad Sall. Iug. 62. 5. extulit *idoneus locus.* De loci syntaxi v. Gloss.

XIII. *cum eo*) Cap. 14. *cum his Euryalus.* Utroque loco Crat. et *cum*; ut IV. 5. *cum his Troiani*, al. *cumque.*

Meriones) Bern. *Merion.* Infra Ed. Princ. *reliqua.*

inter se iuncti concordia. Eorum ego secutus comitatum, ea quidem, quae antea apud Troiam gesta sunt, ab Ulixe cognita, quam diligentissime retuli: et reliqua, quae deinceps insecuta sunt, quoniam ipse interfui, quam verissime potero, exponam. Igitur post eos, quos supra memoravimus, Nestor cum Antilocho et Thrasymede, quos Anaxibia susceperat, supervenit: eos Peneleus insecutus cum Clonio et Arcesilao, consanguineis; itemque Prothoenor et Leitus, Boeotiae principes: dein Schedius et Epistrophus, Phocenses; Ascalaphus et Jalmenus, Orchomenii: tum Diores et Meges, ex Phyleo genitus; Thoas ex Andraemone, Eurypylus Euaemonis, Ormenius, et Leonteus.

---

memoravimus) S. Gall. opp. *commemoravimus*.

quos Anaxibia susceperat) Ita tres mei MSS. et Ed. Princ., non *ex Anax*.

supervenit) Ed. Crat. *supervenire*, pro *supervenere*, ut lego in Edd. Basil. meis, quae ex Crat. expressae sunt. Pluralem numerum, quem etiam Burmannus ad Ovid. Met. I. 320. ex MSS., ut ait, praetulit, libenter amplexus essem, cum praesertim hoc loquendi modo nihil sit apud nostrum frequentius; nisi reluctarentur tres mei MSS., Merc. et Obr.

cum Clonio et Arcesilao) S. Gall. sec. IX. *cum Clytio*. opp. *cum Clytio et Archesilao*. Bern. *cum Clycio et Arthesilao*. *Clytius*, Laomedontis filius (v. IV. 22.), huc nihil pertinet; pertinet autem *Clonius*, quem extulere Merc. et Obrecht. Omnino nomina propria, hoc capite in MSS. et Edd. vett. varie corrupta, uterque vir sanarunt, ut promere librorum varietates supersedere possim. Ed. Crat. *cum Leito et Archesilao*. et post *Dein Prothenor et Clonius*. ubi igitur transmutatus est nominum ordo. Ed. Princ. *cum Ditio et Archesilao*.

Itemque Prothoenor — Dein Sched.) Ita editum volui. Antea *Dein Prothenor et L. B. principes. Itemque Sched.* Omnes enim, Peneleus, Clonius, Arcesilaus, Prothoenor, Leitus, erant Boeotiae principes. Cf. Hom. Il. II. 494 sq. et Septim. c. 17. Etiam consanguinitate omnes erant coniuncti, ut docemur a Diodor. Sic. IV. 69. et Eustath. apud Heyn. ad Apollod. III. 10. 8. not. cr. p. 321.

ex Phyleo) Abest *ex* praepos. a Bern., S. Gall. opp. et Ed. Princ. Bene.

XIV. Post quos Achilles Pelei et Thetidis, quae ex Chirone dicebatur. Hic, in primis adolescentiae annis, procerus, decora facie, studio rerum bellicarum omnes iam tum virtuteque et gloria superabat; neque tamen aberat ab eo vis quaedam inconsulta et effera morum impatientia. Cum eo Patroclus et Phoenix, alter propter coniunctionem amicitiae, alter custos atque rector eius. Tlepolemus dein Herculis: eum insecuti sunt Phidippus et Antiphus, insignes armorum specie, avo Hercule: post eos Protesilaus Iphicli cum Podarce fratre. Affuit et Eumelus Pheraeus, cuius pater Admetus quondam vicaria morte coniugis fata propria protulerat: Podalirius et Machaon, Triccenses, Aesculapio geniti, adsciti ad id

---

XIV. *quae ex Ch. dicebatur*) Ed. Princ. *docebatur*. Crat. *qui imbutus bellis ex Chirone dicebatur*. Scholiastes videlicet sciebat, Achillem a Chirone res bellicas doctum.

virtuteque et gloria) Ita edidit Artopoeus, puta ex scriniis Obrechti et Cod. Argent.; nec aliter locum produxit Cort. ad Sall. Iug. 6. 1. S. Gall. sec. IX., Bern. et Ed. Princ. *virtute atque gloria*, forte pro *virtuteque et gl.* Al. *virtute et gloria*. De particularum *que — et* geminatione nostro cum Sallustio frequentissima agit Perizon. Diss. §. XV. Crebro Septimii MSS. habere *que — et*, Graec. τε - καὶ, adnotat Oudendorp. ad Apul. Met. II. p. 128: attamen ad Sueton. Tib. 62. hunc locum laudat *virtute et gloria*. Cf. c. 3. II. 29. — Totam periodum, in qua mendum suspicabantur viri docti (quare varie tentarunt. v. Wopkens. p. 9.), recte defenderunt alii. v. Gloss.

et effera) Libri mei om. *et*. Ed. Merc. *fera*.

Tlepolemus dein Herculis: eum ins.) Ed. Crat. *Tlep., dein Eutraphates. Insec.* Ignotum nomen *Eutraphates*, quoniam in nonnullis libris etiam cap. 17. legitur, eundemque hominem Malelas p. 136. *Sorthen* appellat, haud temere reiiciendum existimo. Forte scriptum fuit, quale hoc est: *Tlepolemus dein Herculis ex Rhodo; tum secuti Eutraphates, Phidippus et Antiphus*.

Iphicli cum Podarce) Etiam hoc capite varie corruptorum in MSS. et Edd. vett. nominum propriorum emendatio debetur Mercero et Obrechto.

affuit) Ed. Princ. *adfuit*.

fata — protulerat) Ed. Princ. *facta*. Crat. *pertulerat*. v. Gloss.

bellum ob solertiam medicinae artis: dein Poeantis Philocteta, qui, comes Herculis, post discessum eius ad deos sagittas divinas industriae praemium consecutus est: Nireus pulcher: ex Athenis Mnestheus, et Aiax Oilei ex Locride: ex Argis Amphilochus et Sthenelus, Amphiarai Amphilochus, Capanei alter; cum his Euryalus Mecistei: dein ex Aetolia Thessandrus Polynicis: postremi omnium Demophoon et Acamas. Fuere cuncti ex

---

medicinae artis) Ita libri mei, Merceri et Obrechti. Suffragantur Burmann. ad Virgil. Aen. VII. 761. n. 43. et Wass. ad Sall. Iug. 12. Vulg. *medicae*. v. Gloss.

discessum eius ad deos) Libri scripti et editi *a diis* (S. Gall. sec. IX. *a dis*). Verum non a diis, sed ab ipso Hercule sagittas nactus est mercedem pro ministerio in pyra praestito. Veterum hac de re testimonia apud Ciofan. ad Ovid. Met. IX. 229. Librorum lectionem non potest firmare locus Sulpicii Severi H. S. I. 2. 5. *Enoch — qui ob iustitiam translatus a Deo traditur.* quod interpretantur viri docti: ad Deos. Est potius: translatus a Deo e terra in coelum. Cod. Argent. *adeos.* unde Septimio genuinam lectionem *ad deos* restituit Obrechtus, postquam ita iam correxerant Vindingius et Tollius ad Auson. Idyl. IV. 4. p. 309. Etiam Ciofanum ad Ovid. l. l. ita legisse, indicat hic verbis his: „Dictys Cretensis Philoctetem, cum *ad Deos* rediret Hercules, eius tela dono accepisse memorat." Praeterea Tollius scribit *excessum.* v. Gloss.

Nireus pulcher) Addidamentum *ex Syme*, quod in nonnullis Edd. recentioribus legitur, huc translatum ex cap. 17 (*tres Nireus ex Syme*). Ed. Crat. hic et ubique (IV. 17 et 18.) exhibet *Nereus;* atque *Νηρεύς* idem homo vocatur a Malela p. 135.

Mnestheus) Sic hic, cap. 17. et VI. 2. constanter optimi libri. Al. *Menestheus.*

ex Argis Amphil. et Sthen. cet.) Ita S. Gall. sec. IX. et Ed. Obr. Ceteri libri mei: *Argus Amphilochus, Cappani alter.* omissis *et Sthenelus; Amphiarai Amphilochus.* Ed. Crat. et Merc. *Ex Argis Amphilochus Amphiarai, et Sthenelus Capanei.*

cum his Euryalus Mecistei) S. Gall. sec. IX. *Eurypylus Mnesthei.* opp. *Euripilus Mnestei.* Bern. *Euripilus Mnesthei.* Ed. Princ. *Euryalus Menesthei.* Corruptum igitur utrumque nomen est. Praeterea Crat. *et cum his.* Cf. ad cap. 13.

Postremi omnium) Ita scripsi auctoritate utriusque MS. S. Gall. et Ed. Princ. Antea *Postremo omnium* edebatur.

Acamas) Corrumpitur in MSS. et Edd. vett. Acamantis nomen hic, II. 35. V. 13. VI. 2. plerumque in *Achamas* et *Athamas.* Ed. Crat. *Achamis.* Heinsius ad Virgil. Aen. II. 262. fere semper in scripto Cod. apud Dictyn se offendisse dicit *Achamas.* Omnino fre-

origine Pelopis. Sed eos, quos memoravimus, plures alii ex suis quisque regionibus, partim ex regum comitibus, alii ipsius regni participes, insecuti sunt: quorum nomina singillatim exponere haud necessarium visum est.

XV. Igitur ubi omnes Argis convenere, Diomedes hospitio cunctos recipit, necessariaque praebet. Dein Agamemnon, grande auri pondus Mycenis adportatum per singulos dispartiens, promptiores animos omnium ad bellum, quod parabatur, facit. Tum communi consilio super conditione proelii iusiurandum interponi hoc modo placuit. Calchas, Thestoris filius, praescius futu-

---

quentissimus hic apud veteres error. Cf. Heins. ad Sabin. Epist. II. 23. — Aliter locum distinxi. Antea enim: *Acamas fuere, cuncti ex* cet.

singillatim) Sic scribitur haec vox in libris meis et Ed. Obr. Al. *sigillatim*. MS. Voss. *singulatim*, teste Oudendorp. ad Apul. Met. VII. p. 501. Eadem varietas deprehenditur in MSS. apud Caesar. B. G. III. 2. V. 4. et Sueton. Octav. 9. 57. Tib. 63. Claud. 29. Ner. 15. ubi ex optimis MSS. *singillatim* praetulit Oudendorpius.

necess. visum) S. Gall. opp. om. *visum*.

XV. *omnes Argis convenere*) Ed. Princ. *Argi*, pro *Argis*, ut edidit ex libris suis Obrechtus, (omisso tamen *omnes*), exaraturque in optimo S. Gall. sec. IX. In cett. MSS. et Edd. video *Argos*. Cui Accusativo sane favent lib. II. 9. *Argos ab omnibus convenitur*. V. 10. *omnes in aedem Minervae conveniunt*. Dares c. 14 et 15. (ubi itidem Graecorum conventus habetur) *Athenas convenerunt*. Sed utrumque dici posse, quis nescit?

recipit) Ed. Princ. *recepit*.

dispartiens) Cap. 16. *dispartiant*. II. 3. *dispartiunt*. quam restitui his locis formam ex Cod. Bern., Ed. Crat. et Merc. Cett. libri mei et Ed. Obr. *dispertire*. Nulla varietate lib. II. 9. *dispartiunt*. IV. 4. *dispartiant*. Usitata posteriore tempore haec forma fuit. Tacit. Ann. XIII. 37. *dispartit vires*. qui pariter atque Apuleius saepe *impartire*. Cf. Oudend. ad Met. I. p. 16. Apud Sall. Iug. 46. 7. plures MSS. habent *dispartiverat*. Iug. 59. 1. *dispartit*. quibus ex locis videtur forma eiecta esse anxietate hominum, quibus in optimis scriptoribus rarius occurrerit.

conditione proelii) Crat. *belli*. v. Gloss.

Thestoris) Libri mei (praeter S. Gall. sec. IX.) et Merceri *Nestoris*.

rorum, porcum marem in forum medium afferri iubet; quem in duas partes exsectum orienti occidentique dividit; atque ita singulos nudatis gladiis per medium transire iubet. Dein mucronibus sanguine eius oblitis, adhibitis etiam aliis ad eam rem necessariis, *inimicitias sibi cum Priamo* per religionem confirmant: *neque prius se bellum deserturos, quam Ilium atque omne regnum eruissent.* Queis perfectis pure lauti, Martem atque Concordiam multis immolationibus sibi adhospitavere.

XVI. Dein in templo Junonis Argivae rectorem omnium declarari placuit. Igitur singuli in tabellis, quas ad deligendum belli principem, quem cuique videretur, acceperant, Punicis litteris Agamemnonis nomen designant. Ita consensu omnium secundo rumore summam belli atque exercitus in se suscipit: quod ei et propter germanum, cuius

---

atque ita singulos) Revocavi *ita* ex Bern., Ed. Crat. et Merc., cum absit a ceteris. Lib. II. 20. *atque ita Polydorum regi traderent.* IV. 7. *atque ita confodere laxatos.* V. 13. *atque ita Neoptolemo Andr. — obvenere.*

Queis perfectis) Idem lib. II. 33. ex consensu Ed. Merc. et Obr. Tres mei MSS. et Ed. Princ. *quis.* Centum locis Mercerus edidit *queis*, permultis Obrechtus, uterque ex libris suis, opinor. Quae antiqua forma persaepe legitur in Bern.; in S. Gall. opp. et Ed. Princ. duobus tantum vel tribus locis, atque in longe praestantissimo MS. S. Gall. sec. IX. uno tantum loco lib. III. 10. Alias uterque S. Gall. et Ed. Princ. semper *quis*, faventibus passim MSS. Oudendorpii et Cod. Heinsii. Attamen formam *queis*, scriptoribus Historiae Augustae, nec non Gellio, Suetonio, Ammiano Marcellino aliisque passim usitatam, Sulpicio autem Severo et Hegesippo adamatam, illis locis recipiendam putavi, quibus vel Mercerus et Obrechtus, vel cum altero librorum aliquis meorum consentiunt. In ceteris secutus sum MSS. auctoritatem. Ed. Crat. plerumque *quibus.*

lauti) Ed. Princ. *loti.* Cf. ad III. 25.

XVI. *in templo*) S. Gall. opp. *templum.* Infra Ed. Princ. *eligendum* Edd. *nomen Agamemnonis.*

summam) S. Gall. opp. *summum.* Mox Ed. Crat. om. *et,* Dacer. om. *ei.*

gratia bellum id parabatur, et propter magnam opum vim, quibus praeter ceteros Graeciae reges magnus atque clarus habebatur, merito acciderat. Dein duces praefectosque navium Achillem, Aiacem et Phoenicem destinant. Praeponuntur etiam campestri exercitui Palamedes cum Diomede et Ulixe, ita ut inter se diurnas vigiliarumque vices dispartiant. His peractis, ad parandas opes atque instrumenta militiae singuli sua in regna discedunt. Interim belli studio ardebat omnis Graecia: arma, tela, equi, naves, atque haec omnia toto biennio parantur: quum iuventus partim sua sponte, alii aequalium ob gloriam, aemulatione, munia militiae festinarent. Sed inter haec summa

---

acciderat) Reposuerat aliquis *accidit*. v. Wopkens. p. 11.

Phoenicem) S. Gall. sec. IX. *Phoenicen*. Cf. c. 9

Praeponuntur) Ita libri mei, Ed. Merc. et Obr.; item tres MSS. Oudendorpii ad Apul. Met. III. p. 224. et Burmannus ad Ovid. Met. I. 320. Al. *Praeponitur.*

dispartiant) Al. *dispert*. v. ad c. 15.

alii aequalium ob gloriam, aemulatione, munia militiae festinarent) Vulgata lectio, quam servant etiam Bern. et S. Gall. opp., est: *alii aeq. ad gloriam aem. ad munia mil. festinarent* (S Gall. opp. *festinaret*). Alteram praepos. *ad* ante *munia*, licet defendat Wopkens. p. 11., neque tantam habeat offensionem, quantam quis existimaverit (Trebell. Poll. Claud. 6. *epistola missa ad senatum legenda ad populum*, et permulta id genus recentiores.), tamen auctoritate MS. S. Gall. sec. IX., Ed. Princ. et Obr. delere non dubitavi; ut *festinare munia* eleganter dicatur, velut lib. III. 1. *festinare cuncta*: delevitque iam Vindingius. Abest praepos. etiam a MS. Perizon.; sed alia ibi est varietas Etenim ex MS. Periz. Oudendorpius ad Apul. Met. III. p. 185. legit: *aeq. ad gl. aem. communis militiae*. Atqui vocem *munia* corruptam esse cum persuadere mihi, ob formulae *munia militiae* frequentiam (Tacit. Hist. I. 48.), vix possim, tum vero *festinarent* absolute positum nemini, opinor, hic loci placebit. Quid denique male olentia verba *aequalium ad gloriam aemulatione?* Expedire possis: ex aemulatione ad gloriam aequalium, i. e. aequalium gloriam aemulantes. Tu vero levi emendatione scribe *aequalium ob gloriam*, i. e. ad aequalium gloriam aequiparandam. *Aemulatione* interpretationis indole praeditum est, minusculisque interpunctionibus distinxi. Sententia loci est: festinabat iuventus munia militiae, partim *sua sponte*, alii *aemulationis studio*. Atten-

cura magna vis navium praecipue fabricatur: scilicet ne multa milia exercituum, undique versus in unum collecta, incuria navigandi tardarentur.

XVII. Igitur peracto biennio ad Aulidam Boeotiae, nam is locus delectus fuerat, singuli reges pro facultate opum regnique instructas classes praemittunt: ex quis primus Agamemnon ex Mycenis naves centum; aliisque sexaginta, quas ex diversis civitatibus, quae sub eo erant, contraxerat, Agapenorem praefecit: Nestor nonaginta navium instructam classem: Menelaus ex omni Lacedaemona naves sexaginta: Mnestheus Athenis quinquaginta: quadraginta Elephenor ex Euboea: Aiax Telamonius Salamina duodecim: Diomedes Argis

---

das velim oppositionem. — In Ed. Princ. omittuntur *iuventus* et *festinarent*. Numerus singularis *festinaret*, qui habetur in S. Gall. opp., ex eodem fonte manavit, ex quo supra cap. 6. *exsecraretur*.

tardarentur) Bern. et S. Gall. opp. *tardaretur*.

XVII. *ad Aulidam*) Cap. 18. *Aulidam confluunt*. II. 10. *Aulidam — veniunt*. Ita his locis tres mei MSS., Ed. Princ. et Merc. Qui Accusat., a Nom. *Aulida, ae*, comprobatur exemplis collatis a Munckero ad Hygin. Vid. Bentl. ad Horat. Serm. I. 1. 100. Cf. nos ad c. 5 et VI. 7. Ed. Obr. et Crat. ubique *Aulida*.

ex quis) Ed. Merc. *queis*. Infra pro *aliasque*, quod est in MSS. et Edd. vett., certatim *aliisque* correxere viri docti. Pro *contraxerat* Ed. Crat. *construxerat*.

Lacedaemona) Ita Bern., Ed. Merc. et Vindingius. In cett. *Lacedaemonia*. Crat. *Lacedaemone*. Vid. ad c. 5.

Mnestheus Athenis quinquaginta: quadraginta Eleph.) In libris: *Mnestheus ex Athenis* lxi. *Elephenor ex Euboea*. Scribe: *ex Athenis quinquaginta. quadraginta Elephenor ex Euboea*. MERCERUS. Argent. *quadraginta Flenus ex Euboia*. Ed. Mediol. *Eupherus ex Euboea XXXX*. OBRECHTUS. Scripsit Obrechtus: *Mn. Athenis quinquaginta: Elephenor ex Euboea quadraginta*. S. Gall. sec. IX. *Mn. Athenis LX L. elenor ex Eub.* opp. *Mn. Athenis LXL. Elenor ex Eub.* Eodem modo Bern., nisi quod habeat *ex Athenis*. Mixti sunt numeri ex L et XL, et ille Mnestheo, hic Elephenori tribuendus: ob quam confusionem mutilati aut depravati numeri in alios libros transierunt. Nam Ed. Princ. *Menestheus Ath. quadraginta: Elenus ex Eub.* Vulg. *Elephenor ex Eub. triginta*. Homerum nostrum sequi, iam monuerunt alii. Cf. Obss.

Tel. Salamina) Crat. *ex Salamina*. Dacer. *ex Salamine*: et infra *ex Argis*.

octoginta navium classem: Ascalaphus et Jalmenus, Orchomenii, naves triginta: Oileus Aiax quadraginta: itemque ex omni Boeotia Arcesilaus, Prothoenor, Peneleus, Leitus, Clonius naves quinquaginta: quadraginta ex Phocide Schedius et Epistrophus: dein Thalpius et Diores cum Amphimacho et Polyxeno Alide aliisque civitatibus regionis eius naves quadraginta: Thoas ex Aetolia naves quadraginta: Meges ex Dulichio et ex insulis Echinadibus quadraginta: Idomeneus cum Merione ex Creta classem navium octoginta: ex Ithaca Ulixes duodecim: quadraginta Prothous Magnes: Tlepolemus Rhodo aliisque circa eam insulis novem: undecim Eumelus Pheris: Achilles ex Pelasgico quinquaginta: tres Nireus ex Syme: Podarces et Protesilaus Phylaca aliisque, qui-

---

Oileus Aiax quadraginta) In Ed. Crat. Aiax Telamonius ducit naves XL, Oileus XII. Et miror librariorum oscitantiam, a quibus etiam in utroque MS. S. Gall. et Ed. Princ. Oileo tribuuntur naves XII, qui est navium numerus Telamonii.

Clonius nav. quinquaginta: quadrag. ex Ph.) MSS. mei *naves LXI. ex Phoc.* Eadem hic numerorum mixtio, quam supra deprehendimus. Recti enim numeri sunt L et XL, quorum ille ad Boeotiae, hic Phocidis principes pertinet. Neglecta haec distinctio est in Ed. Princ., ubi legitur *naves sexaginta unam: ex Phoc.*

Alide aliisque civ.) *Alide* pro Elide. Restitui Septimio doricam formam ex corrupta MSS. meorum et Ed. Princ. lectione *elide aulide aliisque.* Eandem formam Plauto (Capt. Prol. 9. 26.) reposuit ex MSS. Turnebus, cum al. *Aulide.* Praeterea lib. III. 5. *Diorem et Polyxenum Alios*, pro Elios. Ed. Merc. et Obr. *Elide.* Crat. *ex Elide.*

Meges ex Dul. et ex ins.) MSS. *Meges et Dulichius ex ins.* Ed. Princ. *et Ulichius.*

Prothous Magnes) Libri mei et Merceri *Protheus Magnus.*

Rhodo aliisque circa eam ins. novem) Ita libri Merceri et nostri, idemque navium numerus est in Ed. Mediol. Obrechti. Cod. Argent. et Ed. Crat. exhibent numerum VIII. Praeterea Ed. Mediol. et Crat. *quae circa eam erant insulis.* Crat. *ex Rhodo.*

quinquag.: tres Nireus) Bern. *LIII. Nireus.* Attende et hic numerorum confusionem, pro *L: III Nireus.*

ex Phylaca — naves quadrag.) MSS. et Ed. Princ. *naves undecim*: qui numerus depravatus est negligenti scriptura XI (ut est in Bern.), pro XL.

bus praeerat, locis naves quadraginta: triginta Podalirius et Machaon: Philocteta Methona aliisque civitatibus naves septem: Eurypylus Ormenius quadraginta: viginti duas Guneus Perrhaebis: Leonteus et Polypoetes ex suis regionibus quadraginta: triginta ex insulis congregatis cum Antipho Phidippus: Thessandrus, quem Polynicis supra memoravimus, Thebis naves quinquaginta: Calchas ex Acarnania viginti: Mopsus Colophona viginti: Epios ex insulis Cycladibus triginta. Easque magna vi frumenti aliorumque necessariorum

---

Methona) Crat. *ex Methone*.

Ormenius quadrag.) S Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *Orchomenius undecim.* S. Gall. opp. et Bern. *Orchomenius XI.* Verus numerus erat XL. *Orchomenius* erat etiam in libris Merceri. Ed. Crat. *Orchomeneus* xlij. *Guneus XX.* pro *Orchom. XL*: *Guneus XXII.* vel *XXII. Guneus.*

Leonteus — quadrag.) Libri mei *undecim.* Ortus scil. pravus numerus etiam hic ex mala scriptura XI, pro XL.

triginta ex insulis congregatis cum Ant. Ph.) Ita libri nostri et Merceri. Parum diverse Argent. *trig. ex ins. congregatas.* Ed. Mediol. habet *ex ins. eutaphrates XXX.* Ed Venet. et quae ex ea excusa est Crat. *ex ins. Nisyro, Caprate, Coo, Eutraphrates, Antiphus et Ph. XXX.* Mercerus librorum suorum lectionem edidit; Obrechtus: *trig. ex ins. Co, Crapatho et aliis cum Ant. Ph.* Dacer. *ex ins. Nisyro, Crapatho, Co, Caso et Calydnis XXX.* Homericas insulas (Il. II. 676 sq.) frustra intrusisse viros doctos, iam adnotavit Mercerus. Certius mihi visum, MSS. sequi consensum. Fateor autem me urgeri nomine *Eutaphrates* vel *Eutraphrates*, cum non temere illud sit in Edd. hic et supra cap. 14., idemque ignotus homo, quod maxime respiciendum, coniunctus cum Antipho et Phidippo, in navium catalogo apud Malelam *Σώρθης* nuncupetur. Nomen *Sorthes* Fuchsius Quaest. p. 72. ex *Diores*, Bentleius ad Millium p. 75. ex insula *Crapatho* corruptum esse iudicant. Nonne forte scriptum fuit: *trig. ex ins. suis congregatis Eutaphrates et cum Ant. Ph.?*

Thessandrus, quem Pol. sup.) Bern. et S. Gall. opp. *Thessandrusque Polynicis quos sup.* Ed. Merc. *Thessandrus Polynicis cum iis quos sup.* Crat. *Thessandrus Polynicis, quem sup.*

Thebis) Ed. Crat. *ex Thebis.* Infra pro *ex Acarnania* eadem *ex Arcadia*; et *ex Colophona.* Ed. Merc. et Obr. om. *ex* ante *Acarn.*

Epios) Heinsius ad Virgil. Aen. II. 264. esse apud Dictyn in vulgatis exemplaribus *Epios* dicit, sed in scripto apud se Cod. *Epeos*, quod praefert. Atqui MSS. mei, Ed. Princ., Merc. et Obr. hic, lib. V. 10 et 11. *Epios.* Crat. *Epeus.*

cibi replent. Quippe ita ab Agamemnone mandatum acceperant: scilicet ne tanta vis militum necessariorum penuria fatigaretur.

XVIII. Igitur inter tantum classium apparatum equi atque currus bellici ob locorum conditionem multi, sed pedestres milites pars maxima; ob eam causam, quia per omnem Graeciam, multo maiore pabuli egestate, equitatus usus prohibetur. Praeterea fuere multi, qui ob artis peritiam necessarii nautico apparatui credebantur. Per idem tempus Lycius Sarpedon neque pretio neque gratia Phalidis, Sidoniorum regis, inlici quivit, uti

---

aliorumque necessariorum cibi) Merceri uterque liber et meus Bern. *aliis quoque necessariorum cibi.* ut exhibent etiam Vinding. ad c. 23. et ex Ed. Dacer. Wopkens p. 11.; nihilque aliud invenerat corrector et interpolator, de cuius manu in Ed. Crat. transiit *aliis quoque necessariis cibi gratia.* Duplex notandus esset Graecismus: *alia necessariorum* (τὰ ἄλλα τῶν ἐπιτηδείων. quae confert Mercerus), et *necessaria cibi.* De hoc cf. Gloss. Nescio tamen an praestet lectio utriusque MS. S. Gall., Ed. Princ. et Obr., quam edidimus. Cap. 23. *aliaque cibi necessaria.*

XVIII. *inter tant.*) Bern. *in tant.*

ob locorum conditionem) Ed. Obr. *pro loc. conditione.* Crat. loc. *conditione*, om. praepos. Varie scilicet scholiastae locum interpretati sunt et corruperunt. Lectio, quam edidi, debetur Ed. Dacer. Vid Gloss. Haec ante duos annos scripseram, MSS. destitutus: et recte iudicaveram; nam tres meos MSS., Ed. Princ. et Merc. in editam a me lectionem conspirare video.

pedestres milites) Ed. Princ. et Crat. *pedestris militis.* Cf. ad II. 4

quia — egestate pab., equit. usus prohibetur) Vulgo exsulat *quia.* pro quo Bern. et Ed. Crat. *quod.* Heinsius ad Ovid. Met. XII. 6, allatis multis Septimii locis (II. 34. III. 4. V. 17. VI. 2. 15), in quibus amata legitur formula *aliqua re prohibere aliquem,* coniicit *equitatus usu prohibentur.* Egregia coniectura, nec tamen necessaria, ut ostendit Wopkens. p. 12. S. Gall. sec. IX. *egestate pabuli equitatus usus egestatis usu prohibetur.* Ed. Princ. *usus equitatus egestatis usu proh.* Scil. male habuit scholiasten loci sensus, qui, licet duritiem incurrerit Septimius, est clarissimus. Vid. Gloss.

nautico apparatui) Ed. Crat. *navium app.* Bern. *apparatu.* Hoc unico loco in solo Cod. Bern. haec antiqui Dativi forma occurrit; quare derogo fidem.

Phalidis Sidoniorum regis) Lectio haec a correctoribus est, qui

societatem militiae nostrae adversum Troianos sequeretur: quippe quem iam Priamus donis amplioribus, eisque postea duplicatis, fidelissimum sibi retinuerat. Omnium autem classium numerus, quem ex diversis Graeciae regnis contractum supra exposuimus, toto quinquennio praeparatus instructusque est. Ita quum nulla iam res profectionem, nisi absentia militis retardaret, cuncti duces, veluti signo dato, una atque eodem tempore Aulidam confluunt.

XIX. Interim in ipsa navigandi festinatione Agamemnon, quem a cunctis regem omnium declaratum supra docuimus, longius paulo ab exercitu progressus, forte conspicit circa lucum Dianae pascentem capream, imprudensque religionis,

---

legerant infra lib. IV. *Phalam Sidonium.* Librorum unus *frigio*, alter *frigie*; ut videatur *Phrygis.* Mercerus. Cod. Arg. *Phrygii.* Glossema id puto: sed quod ad veram lectionem viam monstrat. Scriptum scilicet fuerat *Balidis Sidoniorum regis*; et sive inter lineas, sive in margine annotatum *Balis rex Phrygiae*: quo scholio, Graecis certe glossographis non incognito, Balidem Phrygia lingua regem notare significabatur. Nimirum indidem glossae auctor, unde Hesychius sumsit *Βαλήν· βασιλεὺς Φρυγιστί.* et q. seq. Obrechtus Cf. Creutzer Symbol und Mythol. Thl. II. p. 87. S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ *frigii.* S. Gall. opp. *frigie.* Bern. *frigio.*

inlici quivit, uti societatem mil.) Ita scripsi, cum invenissem in utroque MS. *in lectus qui virtutis societatem.* Mercerus. Atque ita Ed. Obr. et Cort. ad Sall. Iug. 49. 1., nisi quod *ut* exhibeat uterque. S. Gall. sec. IX. et Bern. *inlectus qui virtutis societatem.* S. Gall. opp. *illectus qui virtutis societatem.* Ed. Princ. *illectus est ut virtutes societates.* Crat. *allici potuit ut virtutis societatem.* Dacer. *allici potuit ut societatem mil.*

donis amplioribus) Utrumque verbum abest a Bern. et S. Gall. opp.

eisque post.) Ita libri mei, non *iisque.*

una atque eodem) Ita recte S. Gall. sec. IX. cum Ed. Merc. et Obr. Al. *uno.*

Aulidam) Vindingius melius putat *Aulida*, ut est in Ed. Princ. et Obr. Sed repraesentata lectio nititur MSS. meorum, Ed. Crat. et Merc. auctoritate. Cf. ad c. 17.

quae in eo loco erat, iaculo transfigit. Neque multo post, irane coelesti, an ob mutationem aeris corporibus pertentatis, lues invadit: atque interim in dies magis magisque saeviens, multa millia fatigare, et promisce per pecora atque exercitum grassari: prorsus nullus funeri modus neque requies; uti quidque malo obvium fuerat, vastabatur. Quis rebus sollicitis ducibus mulier quaedam, deo plena, *Dianae iram* fatur: *eam namque ob necem capreae, qua maxime laetabatur, sacrilegii poenam ab exercitu expetere; nec leniri, priusquam auctor tanti sceleris filiam natu maximam vicariam victimam immolavisset.* Quae vox ut ad exercitum venit, omnes duces ad Agamemnonem adeunt: eumque primo orare, recusantemque ad postremum cogere, uti malo obviam properaret. Sed ubi obstinate renuere vident, nec ulla vi queunt flectere, plurimis conviciis insecuti, ad postremum regio honore spoliavere:

XIX. *irane coelesti an ob mut.*) Crat. *ira Dianae ob mut.*

corporibus pertentatis) S. Gall. opp. *pertemptatis*. Ed. Princ. *corpora pertemptata.*

lues invadit) Heinsius ad Ovid. Her. XII. 149. habet *lues eos invadit.*

millia) *S.* Gall. opp. et Ed. Crat. *milia.*

promisce — grassari) *Promisce* est in utroque S. Gall., Bern., Ed. Merc. et Obr. In S. Gall. sec. IX. a m. sec. et Ed. Princ. *promiscue*, ut exhibet etiam Oudendorp. ad Apul. Met. VII. p. 461. Cf. Praef. p. 48. sq. Ed. Crat. *promiscue pecora atque exercitum gravari.* Sed lib. II. 30. *principio grassandi facto a pecoribus.*

uti quidque) Ed. Princ. *uti quidquid.*

Quis rebus) Ed. Merc. *Queis*. Mox Crat. *soliciti, ducibus.*

sacril. poenam) Ita libri nostri et Merc., non *poenas.*

eumque primo) Crat. *eum quippe primo.* pro quo Wopkens. p. 12. legendum ait *eum quisque primo*, vel *eumque primo.*

vident, nec nulla) S. Gall. opp. *videret neque ulla.*

queunt flectere) Ex MSS. Voss. Oudendorpius ad Apul. Met. IX. p. 649. legit *queunt inflectere.*

ac ne tanta vis exercitus sine rectore effusius ac sine modo militiae vagaretur, praeficiunt ante omnes Palamedem, dein Diomedem et Aiacem Telamonium, quartumque Idomenea. Ita per aequationem muneris atque partium quadripartitur exercitus.

XX. Neque interim ullus finis vastitatis: quum Ulixes, simulata ex pertinacia Agamemnonis iracundia, et ob id domuitionem confirmans, magnum atque insperabile cunctis remedium excogitavit. Profectus namque Mycenas, nullo consilii participe, falsas litteras, tanquam ab Agamemnone, ad Clytemnestram perfert, quarum sententia haec erat: *Iphigeniam*, nam ea maior natu

---

effusius ac sine modo militiae) Ita MSS. et Edd. potiores. Al. *profusius ac sine more;* ut exhibent etiam Barthius et Wopkens. p. 12. *Sine more* huc transiisse videtur ex Sall. Iug. 102. Verum non solet Septimius exscribere Sallustium, sed imitari; semperque dicit *sine modo*. Cf. Gloss. Praeterea *mos* et *modus* saepe promiscue dicuntur, ut Terent. Andr. I. 1. 125. Plaut. Amph. I. 1. 66. Horat. Od. IV. 28. Cf. ad lib. III. 23.

quartumque Idomenea) Retinent particulam *que* S. Gall. sec. IX., Ed. Merc. et Obr. *Idomenea* edidi trium MSS. et Ed. Merc. auctoritate: quod eodem iure dici potest, quo lib. VI. 7. *Pelea* et *Nerea*. IV. 17. *Nirea*. Al. *quartum Idomeneum*.

muneris atque partium) Libri scripti et editi, quos vidi, omnes *numeri*. Sola Ed. Obr. *muneris*. Recte, opinor. v. Gloss.

quadripartitur) Ed. Princ. *quadripertitur*.

XX. *pertinacia Agam.*) Ita MSS. mei et Ed. Princ. Antea edebatur *pervicacia*. Non. V. 40. *pervicacia est interdum bonarum rerum perseverantia, pertinacia semper malarum*.

et ob id) Ed. Merc. om. *et*.

domuitionem conf.) Sic scripsit Mercerus, in cuius Codd. *domi mentionem:* nec aliter habet Ed. Obr. Etiam MSS. mei *domi mentionem*. Ed. Princ. *dominationem*. Crat. *domum demigrationem*. non male id quidem, respectu Hygin. fab. 118. *domum repetitio*. Caesar. B. G. I. 5. *domum reditio*. Etiam lib. II. 35. Mercerus ex emendatione scripsit *domuitionem*. Et sane amatur haec vox Apuleio (Met. II. p. 186. III. p. 210. IV. p. 315. X. p. 712.) ex veteribus Latinis, Pacuvio et Lucilio. Cf. Non. p. 96. ed. Merc.

insperabile) Ed. Princ. *insuperabile*.

erat, *desponsatam Achilli: eumque non prius ad Troiam profecturum, quam promissi fides impleretur; ob quae festinaret, eamque et quae nuptiis usui essent, mature mittere.* Praeterea multa pro negotio locutus, ementito argumento fidem fecerat. Quae ubi accepit Clytemnestra, tum propter gratiam Helenae, tum maxime, quod tam celeberrimi nominis viro filia traderetur, laeta Iphigeniam Ulixi committit. Isque confecto negotio paucis diebus ad exercitum revenit, atque ex improviso in luco Dianae cum virgine conspicitur. Quis cognitis Agamemnon, affectione paternae pietatis motus, an ne tam inlicito immolationis sceleri interesset, fugam parat: eumque re cognita

---

desponsatam) Cum posteriore aetate, qua omnino verba frequentativa, quae vocamus, amantur, familiare sit *desponsatus*, Artopoei equidem scripturam, e scriniis scil. Obrechti, nihil sine libris, ut ipse fatetur, mutantis, profectam, eo libentius amplexus sum, quod Ed. Princ. consentit. S. Gall. sec. IX. *disponsam*, pro *desponsam*, ut est in cett. libris. Utrumque verbum permutatur etiam lib. VI. 13. et Liv. XXVI. 50. ubi v. Gronov. Posteriores autem verbum debent Comicis. cf. Plaut. Trin. 5. 2. 32. Mil. Gloss. 4. 2. 16.

festinaret — mittere) Ita S. Gall. sec. IX., Ed. Princ. et Obr., praefertque Oudendorp. ad Apul. Met. I. p. 72. S. Gall. opp. et Bern. *mitterent*. Ed. Crat. et Merc. *mitteret*.

locutus ementito argumento) Crat. *eminentia argumenta locutus*. Cf. Hygin. fab. 98. *ementitur Ulysses eam Achilli in matrimonium dari*.

tum propter) Ita S. Gall. opp., Ed. Princ., Merc. et Crat. In cett. *cum*.

revenit) Ita Bern., S. Gall. opp. et Ed. Princ. Cf. lib. II. 27. *legati ad exercitum revenere*. In cett. *revertitur*. Similis varietas cap. 6. et II. 41.

Quis cogn.) Ed. Merc. *Queis*.

an ne tam inlicito) Ita S. Gall. sec. IX. et Ed. Obr.; item ceteri libri mei et Merc., nisi quod in his *illicito*. Crat. om. *an*. Librorum lectionem contra Vindingium, legi *ac ne* iubentem, probavit Perizonius Diss. XL. Cf. Gloss. Verba *inlicito immolationis sceleri* nequicquam varie tentat Wopkens. p. 13.

Eumque re) Ita scripsi, cum in libris *Cumque re*, et in Ed. Merc. et Obr. *Eum re*. *Que* (i. e. autem) particula adversativa est.

Nestor, longam exorsus orationem, ad postremum persuadendi genere, in quo praeter ceteros Graeciae viros iucundus acceptus erat, a proposito cohibuit.

XXI. Interim virginem Ulixes et Menelaus cum Calchante, quibus id negotium datum erat, remotis procul omnibus, sacrificio adornant: quum ecce dies foedari et coelum nubilo tegi coepit: dein repente tonitrua, corusca fulmina, et praeterea terrae marisque ingens motus: atque ad postremum confusione aeris ereptum lumen. Neque multo post imbrium atque grandinis vis magna

---

persuadendi genere) Crat. *in suadendi gen.*

cohibuit) Libri mei et Merc. *prohibuit.* Natum istud *pro* videtur ex praecedente *proposito.* quare Ed. Obr. ceterasque secutus sum.

XXI. *corusca fulmina*) Distingui *corusca, fulmina* iubet ex MSS. suis Mercerus, quem sequitur Anna Daceria: suffragantur libri nostri et Ed. Obr.; favet etiam scholiastae fabrica in Ed. Crat. *coruscationes, fulmina.* Attamen Substantiv. esse posse *corusca* (a *coruscum*, pro fulguribus), doctrina Merceri, Annae et Artopoei (in Ind. s. v.) mihi nondum persuasit, cum praesertim apud omnes Latinos et antiquos et recentiores illam vocem semper ut adiectivum nomini suo iunctam invenerim. Ut omittam phrases *vis corusca fulminis, coruscae flammae, lampades, faces, corusci ignes,* cet.: usitatae poetis sunt formulae *coruscum fulmen, corusca fulmina*, ut pluribus docuit Bentleius ad Horat. Od. IV. 4. 44. Poeticum autem colorem totum locum habere, nemo est, quin videat. Quod viri docti affirmant, nostro tria illa, *βροντὴν, ἀστραπὴν* et *κεραυνόν*, fuisse memoranda, futile est argumentum, cum sexies tonitrua modo et fulmina, omissis fulguribus, a veteribus exhibeantur.

et praeterea) Bern. *et per eam.* S. Gall. uterque, Ed. Princ. et Obr. *et per ea.* Penderet igitur terrae motus a tonitru et fulmine; atque respexisse nostrum statueres Virgilianum (Georg. I. 328.): *quo maximo motu terra tremit,* i. e. et per eum impetum fulminis et tonitru. Tum vero verba *terra tremit* perperam explicuisse Septimium accipiendum foret: non enim significant, terrae motum exortum esse, sed homines terrae tremuisse et pavisse. Quid multa? Scriptum primitus fuit *pter ea*, quod librariorum facilitas cepit pro *per ea*, cum fuerit *praeterea*, quod recte exprimitur in Ed. Crat. et Merc., et quae ex his excusae sunt. Distinguuntur tonitrua cum fulguribus a terrae motu, quorum alterum a veteribus (Hom. Il. XX. 56 sqq.) Iovi, alterum Neptuno tribuebatur.

praecipitata. Inter quae tam tetra, nulla requie tempestatis, Menelaus cum his, qui sacrificium curabant, metu atque haesitatione diversus agebatur: terreri quippe primo subita coeli permutatione, idque signum divinum credere: dein, ne coeptum omitterent, detrimento militum commoveri. Igitur inter tantam animi dubitationem vox quaedam luco emissa: *aspernari numen sacrificii genus, et ob id abstinendum a corpore virginis; misereri namque eius deam: ceterum pro tanto facinore satis poenarum Agamemnoni ab coniuge eius post Troianam victoriam comparatum: itaque curarent id, quod in vicem virginis oblatum animadverterent, immolare.* Dein coepere venti atque fulmina aliaque, quae in magno coeli motu oriri solent, consenescere.

XXII. Sed quum haec in luco aguntur, Achilles litteras, seorsum missas sibi a Clytemnestra, cum auri magno pondere accipit, in quis ei filiam

---

nulla requie) Crat. *requies*. a correctore. Lib. III. 10. *Inter haec tam foeda, tanta inclinatione rerum.* Explica: cum nulla requies, tanta inclinatio esset. De quo casu ablativo dixi ad I. 3.

diversus agebatur) Ita libri mei, Ed. Obr., et teste Oudendorpio ad Apul. Flor. p. 113. MSS. Voss. et Perizon. Mercerus legit *hesitatione agebatur divorsa*. Crat. *in diversa ageb.* Cf. Sall. Iug. 25. 6. *metu ac libidine diversus agitabatur.*

ne coeptum omitterent) Al. *incoeptum* et *inceptum*. *Omitterent* recte S. Gall. sec. IX., Ed. Princ. et Obr. Correxit *omitteret*, qui numeri enallagen concoquere nequiit. Quippe legimus modo: *Menelaus cum his, qui sacrificium curabant, diversus agebatur.* Iam pergitur: *ne omitterent*, scil. Menelaus et qui cum eo erant. Sic lib. II. 40. *uterque — cedens — pervenerant.*

consenescere) In margine Ed. Basil. an. 1578. adnotatur: *forte consilescere*. At vid. Gloss.

XXII. *Clytemnestra*) Ita hic, VI. 2. et ubique libri meliores. Al. *Clytemestra*. de qua forma cf. Heius. ad Ovid. Met. XIII. 430.

accepit) Ed. Crat. *accipit*. Mox S. Gall. opp. *et in quis*. Ed. Merc. *in queis*.

atque omnem domum suam commendaverat. Quae postquam, et Ulixis consilium patefactum est, omissis omnibus, propere ad lucum pergit, magna voce Menelaum et qui cum eo erant, inclamans, *ab inquietudine Iphigeniae cohiberent sese*, comminatus perniciem, ni paruissent. Mox attonitis his atque obstupefactis, ipse supervenit, reformatoque iam die virginem abstrahit. Interim deliberantibus cunctis, quidnam vel ubi esset, quod immolari iuberetur, cerva forma corporis admiranda ante ipsam aram intrepida consistit. Eam praedictam hostiam rati oblatamque divinitus, comprehendere, moxque immolant. Quis peractis sedata lues, instarque aestivi temporis reseratum est coelum. Ceterum virginem Achilles atque hi, qui sacrificio praefuere, clam omnes regi Scytharum, qui eo tempore aderat, commendavere.

Quae postq. et Ulixis cons. pat.) Ed. Crat. *Quas postquam perlegerat et Ul.* Debetur *perlegerat* scholiastae. Vid. Gloss. De numeri enallage cf. ad II. 26. In eadem Crat. infra *pergit Achilles.*

ab inquietudine Iphigeniae) In mentem aliquando venerat *ab inquietanda Iphigenia.* de quo verbo multa attulit Oudendorp. ad Sueton. Octav. 53. Sed cf. Praef. p. 39. et Gloss. ad VI. 12.

attonitis — obstupefactis) scil. Menelao cum suis. Opponitur ipse Achilles. Ed. Crat. *stupefactis.* Dacer. *attonitus — stupefactus.* Supra Crat. *perniciem omnibus, nisi.*

vel ubi) Ita MSS. et Ed. Princ., non *et ubi.*

reseratum est coelum) Cod. Heinsii ad Ovid. Met. II. 529., Argent. et Ed. Princ. *serenatum.* quod a glossatoris manu esse recte adnotat Obrechtus. Ceterorum librorum lectionem *reseratum* Septimio vindicavit praeter alios viros doctos (v. Wopkens. p. 14.) Burmannus ad Val. Flacc. I. 655. Cf. Gloss. In utroque S. Gall. et Ed. Princ. om. *coelum.*

sacrificio praef.) Heinsius l. l. ex Cod. suo legebat *sacerdotio.* v. Wopk. p. 14.

clam omnes) Crat. *omnibus.* Eadem varietas lib. II. 18. *Clam* sequente Accus. sexcenties legitur apud Plautum, nec raro apud alios. Cf. Heins. ad Ovid. Met. II. 529. et Oudendorp. ad Auct. de B. Hisp. 3.

XXIII. At ubi duces sedatam vim mali animadvertunt, ventorumque flatus navigandi prosperos atque aestivam maris faciem, omnes laeti Agamemnonem adeunt, eumque interitu filiae permoestum consolati, honorem regni rursus concelebrant. Quae res pergrata atque accepta per exercitum fuit. Eum quippe optimum consultorem sui non secus, quam parentem, miles omnis percolebat. Sed Agamemnon, sive eorum, quae praecesserant, satis prudens, seu humanarum rerum necessitatem animo reputans, et ob id adversus infortunia firmissimus, dissimulato quod ei acciderat, honorem suscipit, atque eo die duces omnes ad se in convivium deducit. Dein haud multis post diebus exercitus ordinatus per duces, quum opportunum iam tempus navigandi ingrueret, ascendit naves repletas multis rebus pretiosissimis, quae ab incolis regionis eius offerebantur. Ceterum frumenta, vinum aliaque cibi necessaria Anius

---

XXIII. *flatus navigandi prosp.*) Barthii *status* explodit Vindingius; Vindingii *navigando* Wopkens p. 14 sq. De Genit. Gerundii dico in Gloss. ad III. 11. Cf. Hegesipp. I. 29. *inexspectatis ventorum flatibus profectus.* — In praecedentibus Ed. Crat *animadvertere.*

honorem regni — concelebrant) Nequicquam gloriatur Wasseus ad Sall. Iug. 30. correctione *honore*, ut expressum legimus in Ed. Obr.; et frustra varie locum tentat Wopkens. p. 15. Vid. Gloss.

consultorem sui) Ita libri mei, Oudendorpii ad Apul. Met. V. p. 323. et Ed. Obr. Al. *suum.* Perpetua haec tam in MSS. Septimii (v. Gloss.), quam aliorum scriptorum (v. Oudend. ad Caes. B. G. I. 4.) variatio. — Mox Ed. Crat. *quem non secus.* quod defendere molitur Barthius.

sive — seu) Crat. *sive — sive.* Cf. Plaut. Amph. Prol. 69. sqq. et nos ad VI. 10.

et ob id) Crat. om. *et*, hic et locis aliis in eadem formula. Cf. Praefat. p. 50.

suscipit) Bern. *suscepit.* Ibidem infra a m. pr. *ordinaturus.* sec. *ordinatus.*

aliaque cibi nec.) Vindingii audaciam, corrigentis *oleumque*,

et eius filiae praebuere, quae oenotropae et divinae religionis antistites memorabantur. Hoc modo ex Aulide navigatum est.

---

cibi nec., iure castigat Wopkens. p. 15. Ed. Crat. *sibi nec.* Pro *Anius* Bern. *amicis.*

quae oenotropae et div.) S. Gall. sec. IX. et Bern. *quae in utropea divinae.* S. Gall. opp. *quae in Europa divine.* Ed. Princ. *quae in eutropea divinae.* Praeterea Bern. *antistes memorabatur.*

DICTYS CRETENSIS

EPHEMERIDOS

BELLI TROIANI

LIBER SECUNDUS.

I. Postquam ad Moesorum regionem universas classes venti appulere, propere omnes signo dato naves littori admovent. Dein egredi cupientibus a custodibus loci eius obviam itum est: eos namque Telephus, qui tum Moesiae imperator erat, quo omnis regio ob incursione maritimorum hostium defensaretur, littori praefecerat. Igitur ubi descendere prohibentur, neque prius permittitur terram contingere, quam regi, quinam essent, nunciaretur, nostri primo quae dicebantur

---

I. *Moesorum*) Ed. Dacer. *Moesiorum*. Crat. *Mysiorum*, ut paulo infra *Mysiae imp. Moesi* populus dictus, *Moesia* provincia. v. Salmas. ad Trebell. Poll. trig. tyr. c. 9. et 10, ubi pariter vulg. *Moesiis* et *Moesios*, MSS. autem meliores *Moesis* et *Moesos*. Similiter *Dacorum* et *Daciorum* mutant in Trogi Prolog. XXXII. ed. Grauert. De altera varietate *Mys*. vid. Obss. — Mox Crat. *admoverunt*.

permittitur) Ed. Princ. *permittuntur*. Pro *contingere* Crat. *attingere*. Caesar B. C. III. 6. *terram adtigit*. Sed cf. Gloss.

negligere, et singuli navibus egredi. Dein postquam a custodibus nihil remittebatur, et summa vi resisti et prohiberi coeptum, duces omnes iniuriam manu vindicandam rati, arreptis armis evolant navibus, incensique ira custodes caedere, neque versis his atque in fuga parcere, sed uti quisque fugientem comprehenderat, obtruncare.

II. Interim ad Telephum, qui primi fuga Graecos evaserant, veniunt: *irruisse multa hostium milia, eosque caesis custodibus littora occupasse;* et multa praeterea singuli pro metu suo adiicientes nunciant. Dein re cognita Telephus cum his, quos circum se habebat, aliisque, qui in ea festinatione in unum conduci potuere, propere Graecis obviam venit, ac statim condensatis utrinque frontibus vi magna concurritur. Dein uti quisque in manus venerat, interficitur. Quum interim, his aut illis ex casu suorum perculsis, vehementius invicem instaretur, Thessandrus, quem

---

prohiberi) Bern. *cohiberi.* Delevi *est* post *coeptum* ex tribus MSS. et Ed. Merc.

arreptis) S. Gall. opp. *abreptis.*

versis his atque in fuga) Bern. *atque in fugam.* Vindingius corrigit *versis his in fugam*; et sic exprimitur in Ed. Crat. Propositam utriusque S. Gall., Ed. Princ., Merc. et Obr. lectionem Septimio vindicarunt Perizon. Diss. §. XL., Cort. ad Sall. Iug. 54. 6, Wopkens. p. 16, Oudendorp. ad Apul. Met. VII. p. 461. Cf. Gloss.

II. *primi fuga*) MSS. mei *fuge* i. e. *fugae.* Infra libri mei et Merc. *et multa praet.* Al. om. *et.*

condensatis utr. frontibus) Egimus de hoc loco in Praefat. p. 44.

his aut illis) Ed. Crat. *his atque illis.* Nescius scil. corrector erat, *aut* saepe esse i. q. partim. v. Gloss. Eiusdem loquendi generis immemor Daceria volebat *his et illis.*

perculsis) Bern. *percussis.* Ubique in Cod. Bern. haec deprehenditur diversitas; ut c. 3. lib. IV. 2. 6. V. 7. Supra Ed. Crat. *ex causa suorum.*

instaretur, Thessandrus) Ita recte S. Gall. sec. IX., Ed. Princ. et Obr. In cett. mala sententiarum serie *instaretur* (Bern. a m. pr.

Polynicis supra memoravimus, congressus cum Telepho ictusque ab eo cadit, multis tamen hostium ante interfectis; in quis Telephi comitem, quem rex ob industriam virium atque ingenii inter duces habebat, strenue dimicantem obtruncaverat: atque ita paulatim elatus secundo belli eventu, et ob id maiora viribus aggressus, interficitur. Atque eius cruentum corpus Diomedes, quod ei iam tum a parentibus coeptum cum eo societatis ius perseverabat, humeris extulit: idque igni crematum, quod superfuerat, patrio more sepeliit.

III. At ubi animadvertere Achilles et Aiax Telamonius, magno suorum detrimento eventum belli trahi, exercitum in duas partes dispartiunt, ac pro tempore cohortati suos, tanquam restauratis viribus acrius hostes incurrunt: ipsi duces principes certaminis; quum modo insequerentur fugientes, modo ingruentibus semet instar muri opponerent. Atque ita omnino primi aut inter primos bellantes, praeclaram iam tum virtutis

---

restauretur, a m. sec. *instauretur*). *Sed in ea pugna Thessandr.* Mox Ed. Princ. *Polynicis filium.*

in quis) Ed. Merc. *in queis*, al. *in quibus.* Infra Crat. *obtruncarat*, pro quo Ed. Princ. *interfecit.*

quod superfuerat) Nihil hic erat monendum Wopkensio p. 17. v. Gloss. *Sepeliit* habent libri mei, non *sepelivit.*

III. *eventum belli trahi*) *Bellum trahi* memoriae vitio exhibet Cort. ad Sall. Iug. 23. 2. Infra libri alii *dispertiunt.* v. ad I. 15.

hostes incurrunt) Bern., S. Gall. opp. et Ed. Merc. *in hostes.* Sed c. 21. *acriter hostes incurrunt.*

ipsi duces principes) Al. *principesque.* quae particula bene abest ab utroque S. Gall., Ed. Princ. et Merc. Cf. Gloss. Praeterea in libris meis pro *ipsi* exaratur *ipsius.* Infra Ed. Crat. *instar montis.*

omnino primi) Uterque S. Gall. et Ed. Princ. *omni modo pr.* Eodem modo *omnino* corrumpi videbimus c. 10.

suae famam apud hostes atque inter suos effecere. Interim Teuthranius, Teuthrante et Auge genitus, frater Telephi uterinus, ubi animadvertit Aiacem tanta adversum suos gloria dimicantem, propere ad eum convertit, ibique pugnando ictus telo eius occubuit. Eius casu Telephus non mediocriter perculsus, ultionemque fraternae mortis expetens, infestus aciem invadit, atque ibi fugatis, quos advorsum ierat, quum obstinate Ulixem inter vineas, quae ei loco adiunctae erant, insequeretur, praepeditus trunco vitis ruit. Id ubi Achilles procul animadvertit, telum iaculatus femur sinistrum regi transfigit. At Telephus impigre resurgens ferrum ex corpore extrahit, et protectus concursu suorum, ab instanti pernicie liberatus est.

IV. Iamque diei plerumque processerat, quum

Teuthranius, Teuthrante et Auge gen.) S. Gall. sec. IX. *teuthranius theutanto et alige.* opp. *theutranius theutasso et alige.* Bern. *theutanius theutante et alige.* Ed. Princ. *theutranius theutanto et alige.* Crat. *Teutratius ex Teutratio et Auge.* Merc. et Obr. *Teutranius ex Teutrante et Auge.*

gloria) Ed. Crat. *cum gloria.* et infra *se convertit*, et *telo, mox occub.*

Eius casu — perculsus) Libri nostri *Eius causa.* Bern. a m. pr. *percussus.* Utramque varietatem cap. praecedente animadverti apud verba *ex casu suorum perculsis.*

atque ibi fugatis) *Ibi* revocavi ex utroque S. Gall., Ed. Princ. et Merc. Supra Crat. *Aiacem invadit.* Infra S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *advorsum*, non *advers.*

Ulixem) Bern. *Ulyxen.* v. ad VI. 6. In seq. Ed. Crat. om *ei*, ut *loco* ponatur pro: ei loco. Bene. v. Gloss. ad I. 5. Bern. et S. Gall. opp. *vel praepeditus.*

sinistrum regi transf.) Ed. Obr. *ei transf.*; nec aliter ex suis MSS. legi iubet Oudendorp. ad Apul. Met. II p. 107. Supra Crat. *telo.*

ferrum) Ed. Crat. et Dacer. *ferrumque ex corp. trahit.* Bene, quoad copulam *que.* Cf. ad I. 14. Pro seq. *pernicie* al. *periculo.* Cap. 33. *instantem perniciem subterfugerent.*

IV. *diei plerumque*) Ed. Princ. *die.* Hoc unico loco sola Ed. Princ. hanc antiqui Genitivi formam exhibet, quare fides eam de-

utraque acie intenta proelio sine ulla requie, ac iugi certamine strenuis adversum se ducibus, fatigaretur. Namque nostros, multorum dierum navigio in aliquantum exhaustos, maxime praesentia Telephi debilitaverat. Is namque, Hercule genitus, procerus corpore ac pollens viribus, divinis patriis virtutibus propriam gloriam aequiparaverat. Igitur adventante nocte cunctis cupientibus requies belli facta: ac Moesi ad se domum, nostri ad naves digrediuntur. Ceterum in ea pugna utriusque exercitus interfecti multi mortales, sed

---

stituit. Praeterea Ed. Crat., Merc., Wopkens. p. 17. ex Ed. Dacer. et Cort. ad Sall. Iug. 21. 2. *diei plurimum*. Cf. Gloss.

utraque acie) Ed. Princ. et Crat. *acies*. pro quo frustra tamen certant Vindingius, Daceria et Wopkens. p. 17. v. Gloss. Mox Bern., S. Gall. opp. et Ed. Merc. *intenta proelium*.

ac iugi cert. strenuis) Contra librorum meorum et Merceri consensum, in quibus *sine ulla requie, iugi certamine ac strenue adv.*, nullus dubitavi lectionem vulgatam, quae etiam in Ed. Obr. exprimitur, recipere. Clarissimus enim loci sensus est: Quum se fatigarent et Graeci et Troiani, tum militibus utrinque sine ulla requie proelio intentis, tum ipsis ducibus continuo certamine strenue adversum se dimicantibus.

navigio) Ed. Crat. et Sciopp. Parad. Lit. Epist. V. *navigatione*. v. Praefat. p. XXXIII. sq. Al. om. seq. *in*. v. Praefat. p. XLI. Pro *debilitaverat* liber Daniel. Merceri et meus Bern. *dubitaverat*. Ed. Crat. et Dacer. *exanimaverat*.

patriis virtutibus) *Patriis* restitui ex MSS. meorum et Ed. Princ. consensu. Virgil. Eclog. IV. 17. *pacatumque reget patriis virtutibus orbem*. Vulg. *patris*.

cupientibus) „MS. Perizon. *cedentibus*. Bene, si *adventanti nocti* reponamus", ait Oudendorp. ad Apul. Met. VIII. p. 538; qui sic legi iubet ad Met. III. p. 201, ubi agit de formula *nocti cedere*.

facta) Al. addunt *est;* quod ignoratur a MSS. meis, Merc. et Oudend. l. l. Infra Dacer. *Moesii*. Crat. *Mysii*. v. ad c. 1: atque Crat. om. *se*. v. Gloss. ad I. 6.

multi mortales cet.) Sic totus locus legitur in libris meis (Bern. tamen *mortalium*, atque Ed. Princ. *vulneratorum*), Ed. Merc. et Obr., apud Oudendorp. ad Apul. Met. X. p. 678. et Cort. ad Sall. Cat. 33. 1. In nonnullis MSS. Oudendorpius invenit *cladem*; correxit *cladum*. Sed cum sexto casu *expers* coniungunt Sallust. et al. Cf. Gloss. Misere turbatur locus in Ed. Crat. et Dacer. *multi mortalium interf. utriusque exercitus, ac vulnerati p. max: prorsus nulli aut perpauci cladis belli expertes*.

et vulnerati pars maxima: prorsus nullo aut perpaucis clade belli eius expertibus. Dein secuta die legati invicem de sepeliendis, qui in bello ceciderant, mittuntur: atque ita induciis interpositis, collecta corpora atque igni cremata sepeliuntur.

V. Interim Tlepolemus et cum fratre Antipho Phidippus, quos Thessalo genitos, nepotes Herculis supra memoravimus, cognito Telephum in his locis imperitare, fiducia cognationis ad eum veniunt, eique, quinam essent et quibuscum navigassent, aperuere. Dein multa invicem consumta oratione, ad postremum nostri acrius incusare, quod tam hostiliter adversum suos versaretur. *Agamemnonem namque et Menelaum Pelopidas, non alienos generis sui, eum exercitum contraxisse.* Dein quae circa domum Menelai ab Alexandro commissa essent, raptumque Helenae docent: *atque decere eum, cum propter consanguinitatem, tum praecipue ob scelus violati communis hospitii, Graecis ultro ferre auxilium, in quorum gratiam ipsius etiam Herculis plurima laborum monumenta per totam Graeciam existere.* Ad ea

---

secuta die) Crat. *insecuta.* In seqq. S. Gall. opp. *occiderant.* Ed. Princ. et Obr. *sepeliunt.*

V. *nep. Herculis*) Sola quod sciam Ed. Dacer. *Herculi;* cui parum fidei.

atque decere) Ed. Obr. *ob quae decere.* quod vix potest placere, ob sequentia *propter cons. — ob scelus.* Infra Bern., S. Gall. opp. et Ed. Merc. *tum propter.* Bene.

ferre auxilium) Crat. et Dacer. *adferre.* quod non damnandum censet Wopkens. p. 18. Sane Terent. Adelph. III. 2. 2. *auxili nihil adferant.* Apul. de Mund. p. 344. *opem salutis adferre.* Cf. Apul. de Dogm. Plát. p. 256. *auxilium deferre.*

existere) Infinitivum agnoscunt MSS. mei et Merc. Exspectes *existerent,* ut exprimitur in Ed. Princ., Crat. et Obr. Sed Sall. Iug.

Telephus, etsi dolore vulneris immodice afflictabatur, benigne tamen respondens, *ipsorum potius*, ait, *culpa factum, quod amicissimos et iunctos sibi generis affinitate, regno suo appulsos ignoraverit: praemittendos etenim fuisse, per quos, cognito eorum adventu, obviam ire gratulantem oportuerit; atque amice hospitio receptos donatosque muneribus, quum commodum ipsis videretur, remittere. Ceterum militiam Priamum adversum recusare: Astyochen enim Priami iunctam sibi matrimonio; ex qua Eurypylus genitus, arctissimum affinitatis pignus intercederet.* Dein propere popularibus, uti ab incepto desisterent, nunciari iubet: atque ita nostris liberam egrediendi navibus potestatem permittit. Tlepolemus et qui cum eo venerant, Eurypylo traduntur: hique, perfectis quae cupierant, ad naves pergunt, nunciantes Agamemnoni ac reliquis regibus pacem concordiamque cum Telepho.

VI. Quae ubi accépere, apparatum belli laeti omittunt. Dein ex consilii sententia Achilles cum Aiace ad Telephum pervenere, eumque iactatum

---

53. 7. *ac primum, velut hostes adventare, tumultum facere.* Etiam hic exspectes *adventarent*, quod ex quibusdam Edd. malo iure defendit Cortius, cum omnes MSS. tueantur Infinitivum. — Ed. Princ. *monimenta*, ut et in Prolog.

militiam Priamum adversum) S. Gall. uterque, Ed. Princ. et Crat. *mil. adv. Priam.* Sed Bern. et Ed Merc. *Priam. adv. mil.* Recte igitur se habere videtur lectio Ed. Obr., quam secutus sum. Cf. Gloss. ad c. 3. Pro praeced. *ipsis* Bern. et S. Gall. opp *ipsius.*

iunctam sibi matr.) Hoc ordine libri mei et Ed. Merc., non *matr. sibi iunct.*

arctissimum) Bern. *artiss.* de qua forma cap. 25. Infra post *permittit* in Ed. Crat. ἀτόπως adiicitur *ac pro tempore cohortari suos* et pergitur *Tumque Tlepolemus.* In seq. Ed. Princ. *hisque perf.* Crat *peractis*, et mox *nunciantque*

VI. *pervenere*) Crat. *perveniunt.* — Infra S. Gall. opp., Bern. et

magnis doloribus consolati, ut viriliter incommodum ferret, deprecantur. At Telephus, ubi aliquantum requies doloris intercesserat, Graecos incusare, quod ne nuntium quidem adventus sui praemisissent. Dein percontatur, quinam et quanti Pelopidae in ea militia essent: doctusque multis precibus orat, ut ad se omnes veniant. Tunc nostri facturos se, quae vellet, polliciti, desiderium regis reliquis nunciavere. Igitur omnes Pelopidae, praeter Agamemnonem et Menelaum, in unum congregati ad Telephum veniunt, multumque gratulationis atque laetitiae praesentia sua regi obtulere: ac deinde muneribus largiter donati, hospitio recipiuntur. Neque tamen miles reliquus, qui apud naves erat, munificentiae regis expers fuit: namque ex numero navium frumentum aliaque necessaria affatim portabantur. Ceterum rex ubi Agamemnonem fratremque eius abesse animadvertit, multis precibus Ulixem deprecatur, uti ad eos acciendos pergeret. Hi itaque ad Telephum veniunt, ac more regio invicem acceptis datisque donis, Machaonem et Podalirium, Aesculapii filios, venire ac vulneri mederi iubent: qui, inspecta

---

Ed. Princ. *dein precabantur*, i. e. *deprecabantur*, ut excuditur in Ed. Crat. et Merc., laudantque Oudendorp. ad Apul. Met. IX. p. 668. et Davis. ad Auct. B. Afric. 52. Consensum S. Gall. sec. XI. et Ed. Obr. sequi satius visum. De temporis enallage *pervenere* — *deprecantur* dixi in Gloss. ad I. 22.

percontatur quinam) Bern. *percunctantur*. v. ad III. 9 S. Gall. opp. *quidnam*.

Tunc nostri) Ita libri mei, non *Tum*. Infra S. Gall. opp. *vellent*. Ed. Crat. *quaecunque*.

munificentiae) Bern. *magnific*. Infra Bern. *Ulixen* (v. ad VI. 6.) *deprecabatur*.

Hi itaque) S. Gall. opp. et Ed. Merc. *hique ita*. Wopkens. p. 18. vult *atque ita*.

cura, propere apta dolori medicamina imponunt.

VII. Sed ubi tritis aliquot diebus tempus navigandi remorari, ac ventis adversantibus mare in dies magis magisque saevire occoepit, Telephum adeunt eumque de opportunitate temporis consulunt: atque ab eo docti, initio veris ex his locis ad Troiam navigandi tempus esse, reliqua adversa, cunctis volentibus Boeotiam revertuntur: ibique subductis navibus singuli in regna sua hiematum discedunt. Interim in eo otio regi Agamemnoni cum Menelao fratre exercere discordias vacuum fuit, ob proditam Iphigeniam. Is namque auctor et veluti causa luctus eius credebatur.

VIII. Per idem tempus, ubi de coniuratione universae Graeciae apud Troiam compertum est, auctoribus nuncii eius Scythis barbaris, qui mer-

---

inspecta cura) Omnino legendum *inspecto crure*. Vinding. *Ἐδ-σιόχως*. Liv. I. 41. *inspectum vulnus absterso cruore*. Obrecht. At *femur* Telephi transfixum narrat Dictys cap. 3. Vereor ergo, ut recto stet haec emendatio talo, nam aliud *crus*, aliud *femur*, nec temere vel apud Graecos vel Latinos confunduntur. Reliquum ergo est, ut ei crurifragium optemus, et legamus *infecta cura* h. e. irrita. Wass. ad Sall. Cat. 27. Magis mihi placet *suscepta cura*. Nec sane displiceret *inspecta causa*: *causae* enim mala corporis dicuntur cet. Wopkens. p. 18. Vindingii emendatio egregie videtur sustentari scriptura S. Gall. opp. *inspecta crura*. Sed videamus, an ceterorum exemplarium scriptorum editorumque lectio *inspecta cura* iustam admittat defensionem, quin periclitetur latinitas. v. Gloss.

VII. *occoepit*) S. Gall. sec. IX. *accepit*. Bern. *cepit*. Ed. Merc. *coepit*. Crat. *occipit*.

luctus eius) Crat. *tanti luctus eius*.

VIII *auct. nuncii eius Scythis*) Bern. *nunciis*. Ed. Crat. *nunciis*, om. *eius*. *Nunciis* Vindingius superfluum iudicat, Burmannus ad Ovid. Am. II. 6. 33. a glossatore esse contendit; cuius exemplis, in quibus *auctor* dicitur pro: nuncius vel nuncii auctor, alia adstruit Wopkens. p. 19. Acquiescere mihi visum est in ceterorum librorum lectione, donec aliquis ostenderit, latine dici non posse *auctor nuncii*. Nomen *Scythis* in utroque S. Gall. et Ed. Princ. corrumpi-

candi gratia per omnem Hellespontum commutare res cum accolis sueti, ultro citroque vagabantur, metus atque moeror universos invasere; quum singuli, quibus ab initio Alexandri facinus displicuerat, male actum adversum Graeciam, et ob id paucorum pravitate in communem perniciem praecipitatum iri testarentur. Inter quae tam sollicita magna cura plurimi, ex omni ordine electi, ad contrahenda ex finitimis regionibus auxilia ab Alexandro aliisque pessimis consultoribus dimittuntur: hisque mandatur, uti quamprimum expedito negotio remearent: quod ea gratia maxime a Priamidis festinabatur, uti propere instructo exercitu tempus profectionis antecaperent, atque omne, quod parabatur, bellum in regiones Graeciae transportaretur.

IX. Dum haec apud Troiam geruntur, Diomedes, incoepti eorum certior factus, magna celeritate per omnem Graeciam pervagatus, univer-

---

tur in *Sestis*, Bern. *Scitis*, Ed. Crat. *secutis*. Scythas significari, nec alium populum, vel ex initio cap. 10. liquet. Cf. Obss. ad I. 22.

commutare res) Ed. Mediol. *com. merces*. Sed nihil mutandum. Sall. Iug. 18. 9. *Nam freto divisi ab Hispania, mutare res inter se instituerant.* Obrecht. Etiam Crat. *com. merces.*

ultro citroque) Bern. et Ed. Merc. *ultra citraque.* ut Ovid. Met. V. 186. *nec citra mota nec ultra.* Horat. Serm. I. 1. 107. *quos ultra citraque nequit consistere rectum.* — Infra S. Gall. sec. IX, Bern. et Ed. Princ. *adversum Graeciam*, non *adversus.*

in communem perniciem) Arg. *in commune.* Apparet scriptum fuisse *commune in perniciem.* Obrecht. S. Gall. opp. *pravitatem in commune pern.* i. e. *pravitate in communem pern.* ut est in cett. libris. Praeterea Bern. *praecipitaturi*, male confusis literis *iūiri.*

ordine electi) Ita libri mei et Merc., non *lecti.* Cap. 20 *electos ac magni nominis viros.* 23. *electi duo.* — Infra pro *antecaperent* Barthius exhibet *anteciperent.*

IX. *Dum — geruntur*) Ed. Crat. *Quum.* Princ. *aguntur.* Infra libri mei *hisque consil.* praeter Bern. qui *Isque.* Vulg. *eisque.* — Crat. *ad gratiam red.*

sos duces convenit: hisque consilium Troianorum aperiens, monet atque hortatur, uti quamprimum instructi rebus bello necessariis ad navigandum festinarent. Neque multo post re cognita Argos ab omnibus convenitur. Ibi Achilles regi indignatus, quod propter filiam renueret profectionem, ab Ulixe in gratiam reductus est. Is namque diu moesto luctu obsito Agamemnoni insinuans, quae circa filiam eius evenissent, animum atque ornatum regis reformavit. Igitur cunctis praesentibus, quanquam a nullo officia militiae negligebantur, praecipue tamen Aiax Telamonius et Achilles cum Diomede curam maximam studiumque importandi belli susceperant: hisque placet, uti praeter contractam classem naves, quibus loca hostilia incursarent, praeparentur. Ita diebus paucis quinquaginta navium classem, instructam omni genere, compingunt. Ceterum ab incoepto militiae eius octavo iam anno ad hoc usque tempus consumto, initium noni occoeperat.

---

diu moesto luctu obs.) Ed. Obr. *summoesto ac luctu obs.:* ex quo, „MSS. vestigia secutus," Perizonius Diss. §. XXXIX. fecit *summe moesto ac luct.* Sed MS. Perizon. habebat *tum moesto luctu obs.:* et sic ex eo legendum contendit Oudendorp. ad Apul. Met. III. p. 186. et Met. VII. p. 467. Recte, quod ad omissam copulam *ac* spectat, quae abest etiam a Bern. et Ed. Merc. Eam enim, etiam in utroque S. Gall., Ed. Princ. et Crat. expressam, a librariis, qui immemores fuerint haud infrequentis, ut Wopkens. p. 19. et Oudendorp. (quibus adde Burmann. ad Ovid. Met. II. 66.) docuerunt, locutionis *moestus luctus,* inculcatam esse palam est. Voculam autem *tum,* quae in MS. Obrechti corrupta fuisse videtur in *sum* et sequenti verbo adiecta, mittendam putavi, eiusque loco rei convenientiorem *diu* recipiendam, quae nititur auctoritate librorum meorum et Merceri. Ut paucis dicam, totum locum recte edidit ex MSS. suis Mercerus, exhibetque meus Bern. Pro *obsito* tamen Bern. *obsitus.*

ornatum regis) Bern., S. Gall. opp. et Ed. Crat. *orn. magis.* Male, ut vidit Wopkens. p. 20.

susceperant) Ed Princ. *susceperat.* In seq. Bern. *compigunt.*

X. At ubi instructae omnino classes, et mare navigio patens, neque ulla res impedimento erat, Scythas, qui forte mercandi gratia eo appulerant, conductos mercede duces profectionis eius delegere. Per idem tempus Telephus dolore vulneris eius, quod in proelio adversum Graecos acceperat, die afflictatus, quum nullo remedio mederi posset, ad postremum Apollinis oraculo monitus, uti Achillem atque Aesculapii filios adhiberet, propere Argos navigat. Dein cunctis ducibus causam adventus eius admirantibus, oraculum refert, atque ita orat, ne sibi praedictum remedium ab amicis negaretur. Quae ubi accepere, Achilles cum Machaone et Podalirio, adhibentes curam vulneri, brevi fidem oraculi firmavere. Ceterum Graeci, multis immolationibus deos adiutores incoepto invocantes, Aulidam cum praedictis navibus veniunt: atque inde propere navigare incipientibus dux Telephus ob acceptam gratiam fa-

---

X. *instr. omnino classes*) Iam ante aliquot annos ita ex Edd. Basil. et Dacer. Septimio restituere ausus eram. Gaudeo iam mihi favere Bern. et Ed. Merc., consentientemque videre Oudendorp. ad Apul. Met. VII, p. 491. Al. *omni modo*, quod interpretamentum reor.

navigio patens) Edd. vulg. *navigii patiens*. „In Voss. *navigio*. prave", ait Oudendorp. ad Apul. Met. VII. p. 491 (*ceteri ministerii patientes*). Sed etiam tres mei MSS. et Ed. Princ. *navigio datiens*: et in collatione S. Gall. sec. IX. adnotat Orellius: „an *navigio patens?* (mare clausum)." Optime. Cf. Gloss. — Infra Ed. Obr. om. *eo* ante *appulerant*.

dolore) S. Gall. opp. et Ed. Princ. *dolorem*. Videntur retulisse *dolorem mederi*, et ad *afflictatus* intellexisse: eo, scil. dolore. Accusativus apud verbum *mederi* haud rarus apud optimos scriptores.

afflictatus) Ed. Princ. *afflictus*. — Mox pro *adhiberet* Ed. Dacer. *adiret*.

firmavere) S. Gall. opp. *formavere*. In seq. libri mei et Merc. *Aulidam*, non *Aulida*. Vid. ad I. 5. Pro *incipientibus* Ed. Crat. *incipientes*.

ob acceptam gratiam) Malim *ob accepti gratiam*, i. e. ut Achilli

ctus. Ita ascensis navibus, ventos nacti, paucis diebus ad Troiam pervenere.

XI. Per idem tempus Sarpedon Lycius, Xanthi et Laodamiae, frequentibus nunciis a Priamo accitus, cum magna armatorum manu adventabat. Is ubi animadvertit procul magnam vim classium admotam littori, ratus ut negotium erat, propere suos instruit, Graecosque degredi incipientes invadit. Neque multo post re cognita Priamidae erraptis armis accurrunt: quum interim Graeci, infensis hostibus et omni modo instantibus, neque degredi sine pernicie, neque arma capere, turbatis omnibus, et ob id cuncta impedientibus, possent. Ad postremum tamen hi, quibus in ea festinatione armandi semet potestas fuit, confirmati inter se invicem, acriter hostes incurrunt. Sed in ea pugna Protesilaus, cuius navis prima omnium

---

sanati vulneris gratiam referret. Obrecht. Bene adiuvant hanc coniecturam Eustathii verba, quae vir doctissimus adscripsit. Sed audiamus Hyginum, qui magni debet esse momenti, quia cum atque Septimium aliquoties in eundem sensum eademque fere verba conspirare animadvertimus. Hyginus autem fab. 101. ita: *ob beneficium quod eum sanarunt, locos et itinera demonstravit.* Igitur verbis *ob acceptam gratiam* nihil voluit Septimius exprimere nisi causam, cur officiosum se praebuerit Telephus, minime vero remunerationem accepti beneficii, quae notio latet in verbis negligenter positis *dux factus*, i. e. sese ultro (nempe in remunerationem accepti beneficii) viae ducem praestitit.

ventos nacti) Crat. *ventos ex sententia nacti*. v. Wopkens. p. 21.

XI. *degredi incip.*) Ita exaratur in tribus meis MSS., ut paulo infra *neque degredi sine pernicie*. Utroque loco Ed. Princ. *digredi*. Vulg. *egredi*. Scio propriam Latinis formulam esse *egredi navibus*. qua ipse Septimius alibi utitur. Sed *degredi navibus*, insolens id quidem loquendi genus, nec tamen latinitatis rationi reluctans, atque Septimii indoli valde accomodatum, alteri ob MSS. duobus in locis consensum cedere non debet.

re cogn. Priam.) Hic verborum ordo est in libris meis, non Pr. *re cogn.* Mox Ed. Crat. *infestis host.*

confirmati) Wopkens p. 21. nescio unde extulit *confirmatique*.

terrae admota erat, inter primos bellando, ad postremum telo Aeneae ictus ruit. Occidere etiam duo Priami filii: neque reliqua multitudo utraque ex parte cladis eius expers fuit.

XII. Ceterum Achilles et Aiax Telamonis, quorum virtute Graeci sustentabantur, magna gloria dimicantes metum hostibus et fiduciam suis effecere. Neque amplius resisti iam apud eos poterat, quin paulatim decedentibus his, quos advorsum ierant, ad postremum cuncti fugarentur. Ita libero ab hostibus tempore, Graeci subductas naves atque in ordinem compositas tuto collocant. Dein ex omnibus Achillem et Aiacem Telamonium, quorum virtute maxime fidebant, custodes deligunt: hisque tutelam classium, atque exercitus per latera atque cornua distribuentes, tradunt. Igitur ordinatis dispositisque omnibus, Telephus, cuius ductu ad Troiam navigatum est, magna sui apud exercitum gratia domum discedit. Neque multo post, circa Protesilai sepulturam nostris oc-

---

XII. *resisti iam apud eos*) Crat. *res. adversum eos.* Cf. Gloss. Pro *decedentibus* exspectes *decedentes.* sed nihil mutandum. v. Gloss. Forma *advorsum* debetur S. Gall. sec. IX. a m. sec. et Ed. Obr. Pro *fugarentur* Bern. *fatigarentur.* ut videatur *fugitarentur.*

in ord. compositas) Crat. *positas.* Correctori videlicet non addixerit abundantia sermonis *in ordinem componere.* Cf. Gloss. Pro *tuto* Vindingius legi iubet *in tuto.* Mihil mutandum. v. Gloss.

deligunt) Ed. Princ. *delegunt.* Obr. *diligunt.* ut videtur primitus fuisse etiam in S. Gall. sec. IX: habet quidem *deligunt*, sed adnotat Orellius, literam *e* esse ex correctione. Etiam ille, qui Ed. Princ contulit, primum adscripserat *diligunt*; dein correxit *delegunt.* Ut sit; in aliorum quoque scriptorum Codd. mutant *deligere* et *diligere*; fueruntque viri docti, qui praetulere *diligere*, notione eligendi: sed nunc ubique *deligere* restitutum est. Ceterum *deligere* habetur lib. I. 12. 16. II. 10. alibi.

distribuentes) Coniicio *distribuendos.* Sensum loci, quem non cepisse viri docti videntur, dispono in Gloss.

cupatis nihilque tali tempore hostile metuentibus, Cycnus, cuius haud procul a Troia regnum, cognito adventu nostro, clam atque insidiis Graecos invadit; eosque, ancipiti malo territos, sine ullo ordine ac disciplina militari fugere coegit. Dein propere reliqui, quibus non ea humatio demandata erat, re cognita armati eunt contra. In queis Achilles congressus cum rege, eumque et magnam vim hostium interfecit, conversis in fugam hoc modo liberatis.

XIII. Ceterum sollicitis ducibus et multorum clade ob crebras hostium incursiones anxiis, decernitur, uti primum finitimas Troiae civitates cum parte exercitus adeant, easque omni modo incursent. Ita omnium primam Cycni regionem invadunt, vastantque circum omnia. Sed ubi Neandriensium civitatem, quae regni caput, filio-

---

tali tempore) Ex vetere Cod. *in tali temp.* scribendum affirmat Burmann. ad Val. Flacc. II. 145 (*in tali quoniam tibi tempore coniux*). At libri scripti et editi quos vidi omnes praepos. ignorant hic et c. 48. Cf. Gloss.

Cycnus) Ita hic et ubique tres MSS. — more Graecorum —, non *Cygnus*, latino more, ut ubique MSS. Ovidii plurimi et meliores. Cf. cap. 18 *Tecmessa*, non *Tegm.*

regnum) Ed. Obr. et Crat. *regnum erat.* In seq. Ed. Dacer. *ex insidiis.* v. ad I. 5. Pro *ullo ordine* S. Call. opp. *ullo malo.*

demandata) Crat. *mandata.* Infra *In queis Ach.* S. Gall. opp., Ed. Merc. et Obr. In cett. *quis.* v. ad I. 15.

conv. in fugam hoc m. lib.) Sic Obr. et Merc. excudendum curarunt. Ed. Crat. *Mox in fugam conversis reliquis, atque nostri* (Edd. Basil. posteriores *nostri quoque*) *hoc modo liberati sunt* En scholiastae fabricam. MSS. mei et Ed. Princ. *conversis in fuga h. m. lib.* Nonne fuit *conversis atque in fuga?* ut cap. 1. *versis hic atque in fuga.* An *conversis fuga?* ut Hegesipp. I. 30. *Peractum esset proelium, omnibus fuga versis, si Herodes Hierosolymam protinus dirigendum iter aestimasset.*

XIII. *adeant*) Bern. *adeunt*, et mox *incursant.*

Neandriensium) Uterque S. Gall., Argent., Bern. et Ed. Merc. *Mentorensium.* Ed. Princ. et Mediol. *Mentoriensium.* Crat. *Metorensium.* Suspicatur Obrechtus *Methonensium*, a Methona, in Troade

rum Cycni nutrix memorabatur, nullo resistente invasere, atque ignem subiicere coepere, cives eius multis precibus lacrimisque orare, uti ab incoepto desisterent; per omnia humana atque divina nixi genibus deprecantes, *ne delicta pessimi ducis civitatem innoxiam et paulo post fidam sibi luere paterentur.* Hoc modo per miserationem servata civitas. Ceterum regios pueros, Cobin et Corianum eorumque sororem Glaucen, expetentibus Graecis tradidere: quam nostri Aiaci ob fortia facta eius, exceptam reliquae praedae, habendam concedunt. Neque multo post Neandrienses sup-

---

sita, una ex septem urbibus, quas Achilli promiserat Agamemnon, antea vocata *Πήδασος*, testibus Strab. VIII. p. 248. ed. Casaub. et Ios. Genes. p. 56. Scriptt. Byz. Tom. XXIII. Ex Pausan. X. 14, Strab. XIII. p. 415, Conon. Narrat. 28, Nepot. Paus. 3, qui Cycni urbem *Colonas* vocant, pronum esset corrigere *Colonensium.* Verum enim vero nihil certius esse, quam cum Perizon. Diss. §. XXXIX. scribi debere *Neandriensium* (vel *Neandrensium.* Sunt enim *Νεανδρεῖς* apud Xenoph. Hell. III. 1. 13, qui *Νεανδριεῖς* vocantur a Strab. XIII. p. 606.), a *Neandria* vel *Neandro*, Troadis urbe, patet ex Malela; qui, cum in rerum, quae hic narrantur, ordine presse sequatur Dictyn, p. 124. sic pergit: *Καὶ εὐθέως ἐξώρμησεν ὁ Διομήδης, καὶ παραλαμβάνει τὴν πόλιν τοῦ αὐτοῦ Κύκνου προμάχου, τὴν Νέαν Ἄνδρου, καὶ τὴν χώραν αὐτῆς πραιδεύει κ. τ. λ.* cf. Cedren. p. 103. Eiusdem urbis Neandri incolae significantur ad calcem huius cap. corrupta voce *Maeandriorum*, pro qua rectissime *Neandriorum* scripsit Perizonius. *Neandriorum* legit etiam pro *Mentorensium* Fuchs. Quaest. p. 105. Verum in duplici forma, qua eiusdem urbis incolae et *Neandrienses* et *Neandrii* nominantur, non esse quod offendas, in aliis populis docet Eustath. ad Dionys. Perieg. p. 70. Steph.

filiorum) Ita libri mei, non *filiorumque.* Mox pro *nutrix* Ed. Crat. *altrix.* Eaedem voces mutant Horat. Od. III. 4. 10. ubi cf. Bentl. — Infra Crat. *nixis genibus.*

pessimi) S. Gall. sec. IX. *pessumi.* more Sallustiano. Quae scriptura, hoc unico loco unius tantum, licet optimi, MS. auctoritate sustentata, parum meret fidei.

fidam sibi) Addendum *futuram*, ait Vindingius. Cf. Gloss.. Vanus etiam Wopkensii p. 23. conatus *fidem daturam.* De sensu audi Perizonium Diss §. XXXIX.

Cobin et Corianum) Malelas p. 125. nominat *Κώβην* et *Κόκαρκον.* cf. Obss. Infra Ed. Crat. *excepta reliqua praeda* v. Gloss.

Neandrienses) Eadem hic scripturae variatio, quae supra.

plices et cum pace ad Graecos conveniunt, amicitiam et omnia, quae imperavissent, facturos polliciti. Quis perfectis Graeci Cillam aggressi expugnavere. Neque tamen Coronen, quae haud procul aberat, contingunt, in gratiam Neandriorum, qui domini civitatis eius, fideles atque amicissimi nobis ad hoc tempus permanserant.

XIV. Eadem tempestate oraculum Pythii Graecis perfertur, *concedendum ab omnibus, uti per Palamedem Apollini Sminthio sacrificium exhiberetur:* quae res multis grata ob industriam et amorem viri, quem circa omnem exercitum exhibebat, nonnullis ducum dolori fuerat. Ceterum immolatio centum victimarum, sicuti praedictum erat, pro cuncto exercitu exhibebatur, praeeunte Chryse, loci eius sacerdote. Interim re cognita

---

imperavissent) Ita libri, non *imperassent*. Supra Crat. *perveniunt*. Mox Bern. et Ed. Merc. *Queis pers.*

Coronen) Daceria putat hic Coronen esse, quam Colonas vocat Strabo. Fuchsius Quaest. p. 105. mutat *Colonen* ex Plin. V. 32. Significatur opinor sive *Torone*, quam urbem Steph. Byz. cum Neandria, sive *Carene*, quam Plin. V. 30. cum Neandro, sive *Cebrene*, quam Strab. XIII p. 415. cum Neandria iunctim memorat. Ob quam nominum diversitatem tutissimum mihi cum Obrechto visum, hic nihil mutare.

Neandriorum) Libri mei, Ed. Merc. et Obr. *Maeandriorum*. Mediol. et Venet. *Meandriorum*. Crat. *Meandrinorum*. Vid. supra. In seq. Ed. Venet. et Crat. *qui contermini civit.*

Cap. XIV. *concedendum ab omn.*) Ed. Princ. *concessumque est ab omn.* MSS. *Zminthio*. et infra *Zminthii*.

dolori fuerat) Ita libri mei, non *fuit*. Plusquamperfectum instar Perfecti vel Imperfecti etiam aliis Sept. locis ponitur. v. Gloss. ad IV. 5,

loci eius) Cuiusnam loci? nullum enim nominavit. Quare Fuchs. Quaest. p. 113. corrigit *Dei illius*. Sed nihil mutandum. Locus sacrificii habendi erat Chrysa, quae urbs, in Adramyttena prope mare sita, Apollinis Sminthii templo erat celebris (Strab. XIII. p 423. Schol. ad Hom. Il. I 38), ubique habitabat Chryses, Apollinis sacerdos (Hom. Il. I. 431.). Graecum Dictyn hunc ipsum locum in praecedentibus commemorasse cum dubium non sit, tum eundem

Alexander congregata armatorum manu ad prohibendum venit: eum duo Aiaces, priusquam ad templum appropinquaret, interfectis plurimis fugavere. Sed Chryses, quem sacerdotem Sminthii Apollinis supra diximus, utriusque exercitus offensam metuens, quisque partium ad eum venerat, cum his se adiunctum esse simulabat. Interim in eo sacrificio Philocteta, haud procul ab ara templi eius astans, morsu serpentis forte contingitur: dein ab omnibus, qui animadverterant, clamore sublato, Ulixes accurrens serpentem interficit: neque multo post Philocteta cum paucis, uti curaretur, Lemnum insulam mittitur: namque in ea, sacra Vulcano, antistites dei inhabitare ab accolis dicebatur, solitos mederi adversus venena huiusmodi.

---

ex narrationis filo intelligit Salmasius ad Aram Dosiadae Thes. Antiq. Graec. Polen. supplem. T. II. p. 696. Latinus autem interpres Septimius, nimio saepe brevitatis studio in contrahendis Dictyis narrationibus adstrictus, atque etiam negligentiae passim reus, ut aliis locis, sic nostro, quae ad intelligentiam sunt necessaria, omisit: urbem Chrysam reticet, in sequentibus autem ad eam, quasi iam memoratam, sermonem refert. Plane ut lib. I. 4. de *iniuria affinium* agitur, quasi in praecedentibus eius facta sit mentio. cf. not. cr ad lib. VI. 2.

eum duo Aiaces) Crat. *Quem quidem Aiaces duo.* Infra Bern. *offensum metuens.* Ed. Princ. *offensam timens.*

quisque part. ad eum venerat) Mea Crat. et antiquae Edd., quas Burmannus ad Ovid. A. Am. I. 267. se vidisse testatur, habent *quisquis* scil. a scholiasta: nam *quisque* est quicunque, ut docuit Perizon. Diss §. XL. et post eum Wopkens. p. 23. Vindingius corrigit *ut quisque.* Legimus sane lib. V. 10. *uti quisque partium voluerat.* Sed consulas Perizonii et Wopkensii contra eum argumenta. cf. Gloss. Eaedem Edd. *venerant.* quam lectionem, a Burmanno praelatam, sed nullo apto exemplo probatam, explodit Wopk. p. 24. Sed cf. Ruhnk. ad Terent. Eun. Prol. init. Dict. p. 88.

in ea, sacra Vulcano cet.) Sic totum locum MSS. auctoritate restitui, cum antea ederetur: *in ea sacri Vulcani ant. inhab. ab accol. dicebantur, soliti med.* Nam S. Gall. sec. IX. *in ea sacra Vulcano antestites deinhabitare* (i. e. *dei habit.* vel *dei inhab.*, ut

XV. Per idem tempus Diomedes et Ulixes consilium de interficiendo Palamede ineunt, more ingenii humani, quod imbellum adversum dolores animi et invidiae plenum, anteiri se a meliore haud facile patitur. Igitur simulato, quod thesaurum repertum in puteo cum eo partiri vellent, remotis procul omnibus persuadent, uti ipse potius descenderet: eumque nihil insidiosi summetuentem, adminiculo funis usum deponunt; ac propere arreptis saxis, quae circum erant, desuper obruunt. Ita vir optimus acceptusque in exercitu, cuius neque consilium unquam neque virtus frustra fuit, circumventus a quibus minime decuerat, indigno modo interiit. Sed fuere, qui

---

aduotat Orellius) *ab accol. dicebantur, solitos med.* S. Gall. opp. *in ea sacra Vulcano antistites inhab. ab acc. dicebantur, solitos med.* Bern. *in ea sacri antist. inhab. ab acc. dicebantur, solitos med.* Ed. Princ. *in ea sacrata Vulcano antistes inh: ab acc. dicebantur, solitos med.* Lemnum insulam Vulcano fuisse sacram, res nota est. Emendationem *dicebatur* ultro obtulit MSS. lectio; atque in constructione huius verbi non est quod offendas: nam lib. IV. 21. *fertur Oenonem commotam esse.* Ad *dei* intell. huius Vulcani. *Inhabitare in loco* dicit etiam Plin. H. N. XI. 37. s. 54. *inhabitat animus in oculis.* ubi al. *habitat.*

XV. *imbellum*) Crat *imbecillum.* ut exhibet etiam Dresem. ad Ios. Iscan. V. 283. v. Praefat. p. XXXIX.

nihil insidiosi summetuentem) Ita rescribere visum, collata librorum quos vidi scriptorum et editorum lectione *nihil insidiose* (Cod. Heinsii *insidiosi*, teste Burmann. ad Ovid. Met. VII. 444) *metuentem,* cum ea, quam exhibent Obrecht. et Perizon. Diss. §. XV. *nihil de insidiis summetuentem.* Librarios *summetuere,* utpote ignotum verbum, eiecisse et vulgare *metuere* reposuisse probabile est. cf. Praefat. p. XLV.

Ita vir) S. Gall. sec. IX. *Ita ut vir.*

acceptusque in exercitu) De eodem Palamede cap. 29. *gratum acceptumque in exercitu.* Attamen Vindingius, quod mireris, legi iubet *acceptusque exercitu*, pro: exercitui; quem Dativum omnino sprevit Septimius.

neque consil.) A S. Gall. sec. IX. et Bern. exsulat *neque.*

minime decuerat) Ita libri mei et Ed. Obr., laudatque Cort. ad Sall. Hist. I. 14. Ed. Merc. et Crat. *debuerat.*, ut citat idem Cort. ad Sall. Iug. 49. 2. Receptae lectioni favet Sallustius. v. Gloss.

eius
rent,
maxim
periur
cis, v
aureo

XVI
officinam
sumtis ali
ulla difficu
regem, mu
tum, interfi
gis, cum mag
Hierapolin, ur

in exercitum) L
non quo Palamedes
ipsum; et hic amor
Tiss. § XXXIX. Rect
tum contra Perizonium
exercitum hic idem est
indifferenter sextum et
Vid. Cort. ad Sall. Cat.
268, Oudendorp. et Davis
trarea apud Volcat. Gallica
zio in exercitum orta, pro
masio p. 452. b.

XVI. *Dein Scyrum et*
πολίσας τὰ ἐκ Λέσβου
intelligas fac ex Malel. p.
giae urbium. — S. Gall.
Lin. Bern. et S. Gall.
Phyrum. Obrechti Argent
Crat. est *Pyrrham;* et
Pyrrha Lesbi urbs est
Byz. v. Πύῤῥα. Lege
Fuchsio Quaest. p.
coniungit Dictys
433, Steph. Byz.
dem urbe Hom.
ἔπος πτολίεθρον
τερον δὲ
Tenedos

gnito adventu nostrorum,
ventabat.

XVII. Ceterum Achilles, ha
quae gesserat, Cilicas ag
paucis diebus pugnand
Dein Eetione, qui his locis i
naves replet, abduc
quae eo tempore reg
Pedasum expugnare
sed eorum rex Brise
saevire nostros,
aut suos satis defe
salutisque, attentis
regressus, laq
capta civitas, atqu
filia regis H
tempus Aiax T
qui modo infes
virtutem atq
suis dediti

Heiulo alla
Obr. nostro
deprehenditur
Cat.
S. Gall.
echti Argent
rham; et
urbs est
Lege

coepit: tuncque Polydorus, Priami filius, quem rex recens natum clam omnes alendum ei transmiserat, merces pacis ab eo traditur. Aurum etiam aliaque dona cuiusquemodi ad conciliandum hostium animos affatim praebebantur. Dehinc frumentum per omnem exercitum totius anni pollicitus, naves onerarias, quas ob id Aiax secum habuerat, replet: multis exsecrationibus amicitiam Priami adversum Graecos renuens, in pacis fidem receptus est. His actis Aiax iter ad Phrygas convertit; ingressusque eorum regionem, ...uthrantem, dominum locorum, solitario certa-

---

...tum *clam omnes alendum ei transm.*) Ita Med. Al. *quem rex re-* ...um *alendum homini transm.* Arg. *q. r. r. natum ominis causa a-* ...*tr.* Mediolanensi lectioni favent Euripides, Virgilius, Ovidius ...Obrecht. MSS. mei *natum hominis alendum ei trans.* Ex ve-... Heinsius ad Ovid. Met. II. 529. legit *natum clam omnes homines* ...*as.* Ed. Princ. *natum omni salendum.* Merc. *natum alendum* ... *natum clam omnibus* (cf. ad I. 22.) *alendum ei tr.* ... Bern. *accipitur.* Praeterea Ed. Dacer. *merces eis ab*

...*quemodi*) Ita corrigit Mercerus, multaque huius lo-... promit: eum secuti sunt Obrecht. et Wass. ad ... stipulatur etiam Oudendorp. ad Apul. Met. VIII. p. ...*cemodi.*

...*dum h. animos*) Ita praeter libros meos, Ed. Merc. ...S. Periz., teste Oudend. ad Apul. Met. X. p. 708. ...*dos.* cf. ad V. 13. Mox Ed. Merc. et Obr. *prae-*...

...*tionibus*) Ed. Princ. et Obr. *multis autem exs.* in ... nexus laborat. MSS. mei et Merc. *multis exsecr.* ...orallo Malel... 128. χρυσὸν αὐτῷ πολὺν δοὺς, ... εἰς ... Ἀχαϊκοῦ στρατοῦ. ποιή-... ...οῦ Αἴαντος ἐγγράφους, ... Vind... *multisque exs.*, ut

... V. 10. *in quis* ... *dederat*, *pa-* ... *acti fidem.* ... — *re-* ... Ovid.

... Bern., S. Gal... ...n- ...*nthiandrum*

eius consilii haud expertem Agamemnonem dicerent, ob amorem ducis in exercitum, et quia pars maxima, regi ab eo cupiens, tradendum ei imperium palam loquebantur. Igitur a cunctis Graecis, veluti publicum funus eius crematum igni, aureo vasculo sepultum est.

XVI. Interim Achilles ministras et veluti officinam belli proximas Troiae civitates ratus, sumtis aliquot navibus Lesbum aggreditur, ac sine ulla difficultate eam capit; et Phorbanta, loci eius regem, multa adversum Graecos hostiliter molitum, interficit, atque inde Diomedeam, filiam regis, cum magna praeda abducit. Dein Scyrum et Hierapolin, urbes refertas divitiis, cunctis suorum

---

in exercitum) Lege omnino *in exercitu;* nam agitur de amore, non quo Palamedes exercitum prosequebatur, sed quo exercitus ipsum; et hic amor eum Agamemnoni suspectum reddidit. PERIZON. Diss. §. XXXIX. Recte, quicquid de amore Palamedis erga exercitum contra Perizonium dictitet Wopkens. p. 24. Nonne autem *in exercitum* hic idem est atque *in exercitu?* Veteres scil. persaepe indifferenter sextum et quartum casum praepositioni *in* adiungunt. Vid. Cort. ad Sall. Cat. 19. 3, Goerenz. ad Cic. de Leg. III. 17. p. 268, Oudendorp. et Davis. ad Caesar. B. C. I. 25, Gell. I. 17. Praeterea apud Volcat. Gallican. in Avid. Cass. 4. vetus lectio est: *seditio in exercitum orta*, pro: in exercitu; ubi Accusat. placet Salmasio p. 452. b.

XVI. *Dein Scyrum et Hierapolin*) *Dein* i. e. postquam *ἦλθε κομίσας τὰ ἐκ Λέσβου πάντα εἰς τὸν στρατὸν τῶν Ἑλλήνων* Haec intelligas fac ex Malel. p. 125, nam statim sequitur excidium Phrygiae urbium. — S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *phyrram et hierapolin.* Bern. et S. Gall. opp. *phyram et hierapolin.* Libri Merceri *Phyrum.* Obrechti Argent. *Phryram.* Ed. Mediol. *Pyrram.* In Ed. Crat. est *Pyrrham;* et sic scribi volunt Vinding. et Obrecht. At Pyrrha Lesbi urbs est, de qua Strab. XIII. p. 417 et 425, Steph. Byz. v. *Πύῤῥα.* Legendum videtur Mercero et post eum Daceriae ac Fuchsio Quaest. p. 106. *Scyrum.* Rectissime. Scyrum, Phrygiae urbem, coniungit Dictys cum Hierapoli, quae item Phrygiae urbs est. Strab. XIII. 433, Steph. Byz. s. v., Vitruv. VII. 3, Apul. de Mund. p. 327. De eadem urbe Hom. Il. IX. 668. *Ἀχιλλεὺς, Σκῦρον ἑλὼν αἰπεῖαν, Ἐνυῆος πτολίεθρον.* ubi Schol. *Σκῦρος, πόλις νῦν μὲν Φρυγίας, πρότερον δὲ Κιλικίας.* Ovid. Met. XIII. 175. *Me credite Lesbon, me Tenedon Chrysenque et Cillam, Apollinis urbes, et Scyron cepisse.*

poscentibus vi magna aggressus, paucis diebus sine ulla difficultate exscindit. Ceterum qua pergebat, agri, referti iugi pace, depraedati omnibusque vexati: neque quicquam, quod amicum Troianis videretur, non eversum aut vastatum relinqui. Quis cognitis finitimi populi ultro ad eum cum pace accurrere; ac ne vastarentur agri, dimidio fructuum pacti, dant fidem pacis atque ab eo accipiunt. His actis Achilles ad exercitum regreditur, magnam vim gloriae atque praedae apportans. Eodem tempore rex Scytharum, co-

---

exscindit) Ex MSS. Oudendorpius ad Apul. Met. V. p. 364 vult *excidit*. Utrumque latinum est: *urbem exscindere* et *urbem excidere*. Nostro loco libri scripti et editi quos vidi consentiunt in *exscindit*, pariter atque lib. IV. 15. *sub cuius manibus exscindi Troiam deceret*. Cf. Liv. XLIV. 27. *urbes exscindere*. Sed lib. III. 16. recte se habet *excisurosque urbem*, a verbo *excidere*. Frequenter utrumque verbum in MSS. mutat. Cf. Oudend. ad Caes. B. G. VII. 50.

depraedati omnibusque vexati) Ita MSS. mei, Ed. Princ., Merc. et Obr. Forcellini Lex. s. v. *depraed*. exhibet *depraedari-vexari*, quod placet Daceriae. Wopkens. p. 25. pro *omnibusque* legendum putat *omnimodisque*, vel *omnique modo*, vel *omnibusque modis*. In MS. ab Oudendorpio (ad Apul. Met. VII. p. 479) viso et Ed. Crat. additum est *rebus*. Ex alio MS., in quo habetur *depraedationibusque*, Oudendorpius coniicit *depraedationibus ignibusque vexati*. Auctor quidem *τῶν Τρωϊκῶν* in Bibl. Uffenb. XXXIII. p. 679. *οἱ δὲ τὰ περίχωρα τῶν Τρώων ἐδῄουν καὶ ἐληΐζοντο*. quod vertitur *igni ferroque vastarunt*. atque in eundem sensum capi licet Malelae aliquoties in hisce vastationibus adhibitum verbum *πραιδεύειν*. Sed illud *rebus* a scholiasta profectum esse palam est; plane ut Daret. Phryg. 3. *Telamon promisit, omnibus* (i. e. ad omnia. cf. Gloss. ad III. 13) *se paratum, quae Hercules vellet*. ubi S. Gall. sec. IX. *omnibus rebus*. Ed. Crat. *in omnibus rebus*. Atque *depraedationibusque* ex prava et confusa scriptura vocum *depraedati omnibusque* (*depraedatiōnibusque*) natum esse non minus est probabile. cf. Gloss.

videretur) Crat. *crederetur*. et infra *atque vastatum reliquit*. In seq. Ed. Merc. *Queis*. Crat. *Quibus*.

cum pace accurrere) Ed. Obr. *occurrere*. Forte recte. Lege sis Graev. et Oudend. ad Sueton. Calig. 26. atque Burm. ad Vell. Pat. II. 61. 2. Heinsius ad Vell. Pat. II. 38. 1. exhibet *accurrunt*.

dimidio fructuum pacti) Conspirant in hanc lectionem libri mei et Ed. Obr. Al. *dimidium*. et sic legit etiam Heins. ad Vell. l. l.

gnito adventu nostrorum, cum multis donis adventabat.

XVII. Ceterum Achilles, haud contentus eorum, quae gesserat, Cilicas aggreditur, ibique Lyrnessum paucis diebus pugnando cepit. Interfecto dein Eetione, qui his locis imperitabat, magnis opibus naves replet, abducens Astynomen, Chrysi filiam, quae eo tempore regi denupta erat. Propere inde Pedasum expugnare occoepit, Lelegum urbem: sed eorum rex Brises ubi animadvertit in obsidendo saevire nostros, ratus nulla vi prohiberi hostes, aut suos satis defendi posse, desperatione effugii salutisque, attentis ceteris adversum hostem domum regressus, laqueo interiit. Neque multo post capta civitas, atque interfecti multi mortales, et abducta filia regis Hippodamia.

XVIII. Per idem tempus Aiax Telamonius Thracum Cherronesum omni modo infestabat. Sed ubi eorum rex Polymestor virtutem atque gloriam viri cognovit, diffidens rebus suis deditionem oc-

---

Sed priorem lectionem vel exempla ab ipso Heinsio allata comprobant. — Ad finem cap. pro *nostrorum* Ed. Obr. *nostro*.

XVII. *Eetione*) Bern. *eaetione*. Ed. Princ. *ecione*. Crat. *Faetione*. Similis huius nominis corruptio deprehenditur c. 19. — Mox Crat. *Cylicias*, et S. Gall. opp. atque Crat. *Lyrnesum*.

Chrysi fil.) Legendum *Chrysei* vel *Chrysii* vel *Chrysae*. Iis dico, qui Graece sciunt. Daceria. Recte se habet *Chrysi*, ut vidit Wopk. p. 26. cf. Gloss.

Lelegum) Bern. et Ed. Princ. *legeorum*. S. Gall. opp. *legorum*. Ed. Crat. *Lelegonum*. — Mox pro *Brises* S. Gall. opp. et Ed. Princ. *brisses*.

effugii salutisque) Bern. *effugi salutique*. Infra Ed. Princ. *capta est civit.*

XVIII. *Polymestor*) In scriptis editisque exemplaribus apud Dictyn esse *Polymestor*, non *Polymnestor*, recte monet Heins. ad Ovid. Met. XIII. 430. quem vide. Supra S. Gall. sec. IX et Ed. Princ. *eorum rex*, non inverso ordine. Infra *tuncque* libri, non *tumque*.

coepit: tuncque Polydorus, Priami filius, quem rex recens natum clam omnes alendum ei transmiserat, merces pacis ab eo traditur. Aurum etiam aliaque dona cuiusquemodi ad conciliandum hostium animos affatim praebebantur. Dehinc frumentum per omnem exercitum totius anni pollicitus, naves onerarias, quas ob id Aiax secum habuerat, replet: multis exsecrationibus amicitiam Priami adversum Graecos renuens, in pacis fidem receptus est. His actis Aiax iter ad Phrygas convertit; ingressusque eorum regionem, Teuthrantem, dominum locorum, solitario certa-

---

natum clam omnes alendum ei transm.) Ita Med. Al. *quem rex recens natum alendum homini transm.* Arg. *q. r. r. natum ominis causa alendum ei tr.* Mediolanensi lectioni favent Euripides, Virgilius, Ovidius (cf. Obss.) OBRECHT. MSS. mei *natum hominis alendum ei trans.* Ex vetusto Cod. Heinsius ad Ovid. Met. II. 529. legit *natum clum omnes homines alendum trans.* Ed. Princ. *natum omni salendum.* Merc. *natum alendum homini.* Crat. *natum clam omnibus* (cf. ad I. 22.) *alendum ei tr.*

traditur) Bern. *accipitur.* Praeterea Ed. Dacer. *merces eis ab eo trad.*

dona cuiusquemodi) Ita corrigit Mercerus, multaque huius locutionis exempla promit: eum secuti sunt Obrecht. et Wass. ad Sall. Cat. 41: adstipulatur etiam Oudendorp. ad Apul. Met. VIII. p. 554. Libri *huiuscemodi.*

ad conciliandum h. animos) Ita praeter libros meos, Ed. Merc. et Obr., etiam MS. Periz., teste Oudend. ad Apul. Met. X. p. 708. Ed. Crat. *conciliandos.* cf. ad V. 13. Mox Ed. Merc. et Obr. *praebentur. Dein frum.*

multis exsecrationibus) Ed. Princ. et Obr. *multis autem exs.* in qua lectione iustus nexus laborat. MSS. mei et Merc. *multis exsecr.* cui lectioni favet oratio Malelae p. 128. *χρυσὸν αὐτῷ πολὺν δοὺς, καὶ σῖτον ἑνὸς ἐνιαυτοῦ εἰς ἀνάλωμα τοῦ Ἀχαϊκοῦ στρατοῦ. ποιήσας δ' αὐτὸς Πολυμήστωρ συνθήκας μετὰ τοῦ Αἴαντος ἐγγράφους, μὴ συμμαχεῖν Πριάμῳ.* Vinding. scribi iubet *multisque exs.*, ut est in Ed. Crat.

in pacis fidem) Crat. *in pacem fidemque.* Lib. V. 10. *in quis fidem pacis confirmarent.* Ovid. Met. XII. 365. *quem - dederat, pacis pignusque fidemque.* Scribere Sept. etiam potuit *in pacti fidem.* ut c. 20. *fidem pacti, quod cum Polymestore intercesserat — refert.* c. 47. *fidem pacti firmavere.* Consulas etiam Heins. ad Ovid. Met. XI. 135.

Teuthrantem) Bern., S. Gall. opp. et libri Merceri *Teuthandrum.* Ed. Princ. *Teuthiandrum.*

mine interficit; ac post paucos dies expugnata atque incensa civitate, magnam vim praedae trahit, abducens Tecmessam, filiam regis.

XIX. Igitur ambo duces, multis vastatis atque expugnatis regionibus, ipsi clari atque magnifici ingenti nomine, per diversa loca, quasi de industria, eodem tempore ad exercitum remeavere. Dein per praecones conductis in unum cunctis militibus ducibusque, progressi in medium, singuli laborum atque industriae documenta in conspectu omnium exposuere. Quae ubi Graeci animadvertere, favore ingenti ac laudibus eos prosecuti mediosque statuentes, ramis oleae coronavere. Dein consilium de dividenda praeda haberi coeptum, Nestore et Idomeneo in decernendo optimis auctoribus. Itaque cunctorum sententia ex omni praeda, quam Achilles apportaverat, excepta Eetionis coniuge Astynome, quam Chrysi filiam

---

vim praedae trahit) Ita praeter libros meos, Ed. Merc. et Obr., etiam MSS. Oudendorp. ad Apul. Met. II. p. 113, non *abstrahit*, ut al. legunt. Livius (X. 20), Tacitus (Ann. IV. 48.) aliique perpetua fere formula dicunt *praedam trahere*.

Tecmessam) MSS. et Ed. Princ. *Tecmissam* i. e. *Tecmessam*, ut habetur in MSS. lib. V. 16. graeco more; non *Tegmessam*, ut antea edebatur. Cf. ad c. 12.

XIX. *quasi de ind.*) Crat. et Dacer. *atque quasi*. In iisdem mox post *laborum* additur *suorum*, omittiturque infra *haberi*.

in decernendo) Ed. Obr. *in cernendo*. Scio equidem poni apud Romanos *cernere*, ut apud Graecos *κρίνειν*, pro decernere, *διακρίνειν*; de cuius verbi significatu prolixe egerunt Kuesterus in singulari Diatribe, et Perizonius ad Sanct. Min. IV. 15. p. 769. atque in Respons. ad Kuesteri Diatrib. ibid. p. 772. sqq. Sed scriptorum exemplarium atque editorum ceterorum quae vidi omnium praevalet auctoritas: atque cum in ceteris libris, ut et Ed. Merc., sit *in decernendo*, tum ex S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. prave distincta scriptura *inde cernendo* adducor, ut in aliis MSS., velut in Argent. Obrechti (quem in Praefat. similem diximus editioni Princ.), syllabam *de* librarii oculos fugisse credam, hincque enatam, quae Ed. Obr. repraesentat, lectionem.

apportaverat) Crat. hic et infra *asport*. Cf. ad II. 51.

supra docuimus, ob honorem regium Agamemnoni obtulere. Igitur etiam Achilles praeter Brisi filiam Hippodamiam Diomedeam sibi retinuit; quod eiusdem aetatis atque alimonii non sine magno dolore divelli poterant, et ob id iam antea genibus Achillis obvolutae, ne separarentur, magnis precibus oraverant. Ceterum reliqua praeda viritim ob singulorum merita distributa est. Dein quae Aiax apportaverat, Ulixes et Diomedes rogatu eius in medios intulere. Ex quis auri atque argenti, quantum satis videbatur, Agamemnoni regi datur: ac deinde Aiaci ob egregia laborum eius facinora Teuthranti filiam Tecmessam concedunt. Ita divisis in singulos, quae supererant, frumentum per exercitum dispartiunt.

XX. His actis fidem pacti, quod cum Polymestore intercesserat, traditumque Polydorum re-

---

excepta - coniuge Astynome) Corrigit Vindingius *exceptam coniugem Astynomen*; et sic habetur in S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Obr.: a correctoribus scil., qui, plane ut Vindingius, sextum casum concoquere nequiverint. Etenim nullus dubito, quin Septimius sextum casum scripserit, in quem ceteri scripti et editi libri, quos vidi, conspirant. v. Gloss. Aequa lectionis varietas cap. 49.

Chrysi) Crat. *Chrysis*. Eadem infra *Brisei*, ut ab *Ulixes* fit *Ulixei*, de qua forma Ruhnken. ad Vell. Pat. II. 43. 2. Sed vid. ad cap. 17. In eadem mox *Diomedeam quoque sibi ret.*

alimonii) Ita libri mei et Merc., invenitque Vinding., non *alimoniae*. Variare MSS. dicit Oudendorp. ad Sueton. Calig. 42., qui femininum ut frequentius scriptoribus praefert. Neutrum usitatum Tacito est.

in medios int.) Vinding. vult *in medio*. At v. Gloss. Mox Ed. Merc. *Ex queis*. Crat. post *laborum* om. *eius*. Cf. ad c. 20.

Teuthranti fil. Tecmess.) Sic scripsi: nam S. Gall. sec. IX. *Theutranti fil. Tecmiss.* opp. et Bern. *Teuthranti fil. Tecmiss.* Ed. Princ. *Theuthyanti fil. Tegmiss.* Merceri librorum unus *Teutranti*, alter *Teutanti*. *Teuthranti*, pro: Teuthrantis; ut supra *Chrysi*, *Brisi*. Antea edebatur *Teuthrantis f. Tegm.*

dispartiunt) S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *dispertiunt*. Vid. ad I, 15. Supra Crat. *superfuerant*.

fert. Ob quae cunctis decernitur, ut Ulixes cum Diomede, profecti ad Priamum, Helenam cum abreptis recuperarent, atque ita Polydorum regi traderent. Igitur his pergentibus, Menelaus, in cuius gratiam id negotium gerebatur, legationis officium eius pariter cum supradictis capit. Itaque habentes Polydorum ad Troianos veniunt. Sed ubi animadvertere populares, electos ac magni nominis viros adventasse, propere senes omnes, quorum consilium haberi solitum erat, in unum ducunt, Priamo a filiis domi retento. Igitur reliquis praesentibus, Graecorum Menelaus verba facit: *secundo iam se ob eandem causam venisse.* Cum multa alia adversum se domumque suam admissa, tum magno cum gemitu filiae orbitatem per absentiam coniugis conqueri: *quae cuncta ab amico quondam et hospite non secundum meritum*

XX. *cunctis decern.*) Praepos. *a*, antea ante *cunctis* expressam, delevi auctoritate S. Gall. sec. IX et Ed. Princ. *Cunctis* tertio casu apud verbum passivum loco sexti cum praepos. *a*, ut saepissime apud Latinos. Cf. ad lib. IV. 6.

abreptis) Bern. *arreptis*. Mox Ed. Crat. *reciperarent.* et om. *ita*, de quo v. ad I. 15. Infra Ed. Princ. *in cuius gratia.*

leg. off. eius) Ed. Crat. om. *eius*. Cf. cap. 19. *laborum eius facinora*. 22. *culpae eius vacui*. — Totus locus *Itaque - veniunt* abest a S. Gall. opp.

in unum ducunt) *In unum conducere* dixit supra c. 2 et 19. atque ita Tacitus aliique; ut forsitan hic quoque scribendum sit *conducunt*. Wopkens. p. 27.

Secundo iam — evenisse) Diversis literis totum locum expressit Artopoeus, quo indicaret, hanc fuisse Menelai orationem. Meo quidem gustui non addicit hic ἄρτος, quem ἐποίησε vir doctus. Diceret videlicet Menelaus: *Secundo iam adsum, ut magno cum gemitu orbitatem filiae conquerar.* Mira oratio, praesertim inepta confessio, se *magno cum gemitu* conqueri. Scripsisset etiam Septimius suo et Sallustiano more *se venisse — conquestum*. Quare locum aliter disposui. Verba *cum multa — conqueri* non Menelaus in sua oratione, sed Latinus interpres dicit, Menelai orationem, quam totam vertere noluit, miserandum in modum contrahens.

suum evenisse.. Eam seniores lamentationem immodicam cum lacrimis accipientes, ad omnia, quae ab eo dicebantur, tanquam iniuriae eius patientes, adnuere.

XXI. Post quem Ulixes medius astans huiuscemodi orationem habuit. *Credo ego vos, Troiani principes, satis compertum habere, nihil temere Graecos, nihil inconsultum incipere solere; ac semper his iam tum a maioribus provisum atque elaboratum, uti facta gestaque eorum laus potius, quam culpa sequeretur. Et, ut praeterita a me consulta omittam, hoc iam licet re cognoscere.*

Eam sen. lamentationem immodicam) Libri mei, Ed. Merc. et Obr. *Ea sen. lamentatione immodica.* Igitur in immodicam lamentationem eruperunt lacrimasque fuderunt seniores, hac audita oratione? Ut fuerit Graeci Dictyis oratio affectuum longe plenior, haud tamen tantopere auditorum animos dilaniatos fuisse arbitror. Permoti sunt seniores Menelai querelis et gemitu, atque communicarunt animo factas viro iniurias: decreverunt etiam pari omnium consensu, indigne Menelaum passum iniuriam (cap. 23.): atque, ubi Aeneas atroci oratione legatis respondit, tumultus adeo coortus est, timentibus Troianis, ne hac intercessione Priami regnum everteretur (cap. 26.). Quae cuncta considerans scripsi, quod, quae in manibus est, editio repraesentat. Non aliter exhibent Ed. Crat. et Dacer., legit Barthius, correxitque Vindingius: huic tamen verba *immodicam cum lacrimis* non mutanda erant in *immodicis cum lacr.* Cf. Gloss. Iam nunc recto talo stat tota sententia Scil. Menelaus in oratione sua iniurias sibi domuique factas filiaeque orbitatem magno cum gemitu immodicaque lamentatione conquestus erat: quam lamentationem, lacrimis permistam, ubi audiunt seniores, permoventur animi, atque ad misericordiam societatemque doloris stimulantur.

iniuriae eius patientes) De hoc loco in Praefat. p. LX. egimus. — Libri *advenere* i. e. *adnuere*. Vulg. *annuere*.

XXI. *Post quem*) Ed. Crat. et Obr. *Post quae.* Sed uterque S. Gall. et Ed. Princ. *Post quam*, pro *Post quem*, scil. Menelaum, ut recte est in Bern. et Ed. Merc. Simillimo loco cap. 50. *Post quem* (Aiacem) *Ulixes, illa quidem deorum esse, ait.* ubi Bern. *Post quae.*

vos, Troi.) Bern. om. *vos.* In seq. Wopkens. p. 27. elegantius putat *inconsulte.* At vid. ad lib. V. 6.

ut praeterita a me cons. om.) Haec est librorum meorum et Merceri lectio. Corrigit Mercerus *praeterita ante cons.* quod vix fert latinitas. Argent. MS. *ut a me cons.* omisso *praeterita.* unde Obrechtus scripsit *ut ante cons omitt.* illud *praeterita* a scholiasta profectum ratus. Non damno. Sed infra cap. 51. eadem formula

Iniuriis contumeliisque Alexandri paullo ante laesa Graecia, non ad vim neque ad arma decursum est, quod iracundiae refugium esse solet. Nam de consilii sententia legati ad recipiendam Helenam, ut meministis, cum Menelao venimus: quibus, praeter superbas verborum minas et insidias occultas, nihil a Priamo neque ab eius regulis remissum est. Imperfecta igitur re, ut opinor, consequens fuit arma capere, iusque per vim extorquere, quod amice impetrari nequitum est. Itaque parato exercitu, ac tot egregiis atque inclytis ducibus, ne sic quidem proelium adversum vos inire

---

utitur noster: *Praeterita, ait, omittenda sunt.* Cf. lib. V. 2. *Sed praeteritorum saties: futuris saltem parcendum ac consulendum est.* cap. 3. *quoniam praeterita revocare nulli concessum est, praesentium habendam rationem curamque futuris adhibendam.* Ed. Crat. *ut praet. bene cons.* ut exhibet etiam Wass. ad Sall. Cat. 72. placetque Wopkensio p. 28. Sed istud *bene* a scholiasta, qui totum orationis initium respexerit, explicationis gratia illatum videtur; plane ut cap. 23. *voluntas consulendi.* ubi Crat. *bene cons.* Quare MSS. lectionem retinere visum est, et explicare: praeterita a me inde, ante me, meae scil. vitae tempus quae antecesserunt. Haberes ita praepositionem *a*, novo loquendi more significantem motum a praesentia ad tempus antiquius; cum apud ceteros Latinos significet tempus ab aliquo initio vergens ad aetatem posteriorem.

hoc iam licet re cognoscere) Recte sic edidit ex libris suis Obrechtus. Eadem enim lectio se manifestat in utriusque S. Gall. et Ed. Princ. scriptura *hoc iam licere cognoscere.* Sensus: comportum habebitis, ab antiquissimis inde temporibus Graecos, quaecunque inceperint, incipere solitos non temere, sed consulto. Atque haec Graecorum mens, omissis praeteritis, etiam praesenti tempore re vera comprobatur. Scil. iniuriis et q. seq. In cett. libris *licet recognoscere*, et in nonnullis praeterea *iam hoc*, ut citat etiam Wass. ad Sall. Cat. 37.

neque ab eius reg.) Crat. *atque ab.* Totus locus varie a viris doctis explicatus est. v. Gloss.

iusque) Uterque S. Gall. et Ed. Princ. *hisque.*

impetrari neq.) Ipsa syntaxeos grammaticae ratio postulat, ut legamus *impetrari.* Perizon. Diss. §. XXXIX. Recte. Cf. Gloss. MSS. et Edd. *impetrare.*

parato exercitu) Crat. *peracto exercitu totius Graeciae, atque tot.* Etiam in MSS. Heinsii ad Ovid. Fast. VI. 629. permutantur *paratus* et *peractus.* Bern. *partito exercitu.* Sed Sall. Iug. 28. *parato exercitu.*

consilium fuit: sed imitati morem modestiamque solitam, iterato ad vos ob eandem causam oratum venimus. Cetera in manu vestra sita sunt, Troiani: neque vos pigebit consensisse nobis, si modo sana mens est, decretis salubribus priora male consulta corrigere.

XXII. *Per deos immortales, reputate cum animis vestris, quanta clades, veluti contagio huiusce exempli, orbem terrarum occupatura sit. Quis enim posthac, cui virile negotium est, recordatus Alexandri facinus, non omnia suspecta atque insidiosa ab amico metuere cogetur? Aut quis frater fratri aditum patefaciet? Quis hospitem aut cognatum non tanquam hostem cavebit? Denique si hoc,*

---

vestra) Ed. Princ. *nostra*. Bern. *o Troiani.*

vos pig. consensisse nobis) Ita locum emendavi. Libri mei, Merc. et Obr. *nos pig. cons. vobis.* Ed. Crat. *nos p. consuluisse vobis.*

XXII. *rep. cum animis vest.*) Vulg. *reputate animis vestris.* MS. Perizon. et Ed. Obr. *cum animis vestris.* Verum cap. 23. *inter se reputare animo.* 25. *ut res est, animo reputarent.* Rectius cum Voss. et Ed. Merc. expungenda cuncta *reputate cum animis vestris.* Oudendorp. ad Apul. Met. X. p. 747. Absunt verba *rep. cum an. v.* etiam a S. Gall. opp., Bern. et Ed. Princ. Sed praeter MS. Periz., Ed. Obr. et Crat. servat ea praestantissimus liber S. Gall. sec. IX. Proba praeterea formula est. v. Gloss.

quanta clades veluti contagio) Libri scripti et editi *et veluti.* Adnotat Daceria, nihil certius esse, quam expungi debere illud *et*, vel addi: *quae quanta clades et quae veluti contagio.* Delendum *et* censuit etiam Cort. ad Sall. Cat. 10. Recte. Lib. IV. 22. *quo exemplo veluti* (non *et veluti*) *pessima contagione imbutos filios.* Cf. Gloss.

huiusce exempli) S. Gall. opp. *huiuscemodi.* Mox Bern., S. Gall. opp. et Ed. Princ. *Quis erit posth.*

cui virile negotium est) Ita libri mei, Merceri et MS. Obrechti. Ed. Mediol. *ingenium, cui virile neg. est.* Crat. *cui vir. ingenium est.* Vox *ingenium*, quicquid reluctetur Wopkens. p. 29, a correctore est, memore istius Sall. Cat. 20. *etenim quis mortalium, cui virile ingenium est.* De sensu v. Gloss.

Quis hospitem) Libri nostri *Quem hosp.* In seqq. libri mei *quod spero*, om. *haud.* S. Gall. sec. IX. a. m. pr. et S. Gall. opp. *probaritis.*

quod haud spero, probaveritis, omnia foederis iura ac pietatis apud barbaros Graecosque clausa erunt. Quocirca, Troiani principes, bonum atque utile est, Graecos receptis universis, quae per vim extorta sunt, amice atque uti par est, domum mitti, neque operiri, quoad duo regna inter se amicissima manus conserant. Quae quum considero, dolendam hercule vicem vestram puto, qui innoxii et culpae eius vacui, nati paucorum libidini, paulo post alieni sceleris poenas subire cogemini. An vos soli ignoratis, ut affectae sint vicinae atque amicae vobis civitates, vel quae in dies residuis praeparentur? Nam captum Polydorum atque apud Graecos retineri, cognitum vobis est: qui, si Helena cum abreptis nunc saltim revocetur, inviolatus Priamo restitui poterit: alio pacto bel-

---

Graecosque clausa erunt) Ita MSS. et Edd. praeter Merc. et Obr., in quibus *et Graecos clausa erunt. Et Graecos* est etiam in MS. Oudendorpii ad *Apul.* Florid. p. 85; atque ex eodem MS. vir DD. legit *clauserunt* i. e. claudicarunt. Ponitur sane *claudere* passim pro: claudicare; ut Sall. Hist. III. 11. *neque enim ignorantia res claudit.* ubi multa afferunt Intpp. et Wasseus vult *claudicat.* Sed si hoc verbum admittis, nostro loco omnino efflagitaretur *claudent* i. e. claudicabunt. Ceterum *claudi* pro non patere, occlusum esse, optima locutio est, ut docuit Ruhnken. ad Terent. Andr. III. 3. 41. Dictat. p. 60. Schopen.

Graecos recept.) Bern., S. Gall. opp. et Ed. Princ. *et Graecos.* Pro seq. *extorta* Ed. Obr. *exorta.* vitio typographico opinor.

domum mitti) Ita Ed. Crat., Merc., et quae ex iis expressae sunt. Tres mei MSS. *domo mitti.* Ed. Princ. et Obr. *domum dimitti.* Mox Crat. *ut duo regna.*

hercule) Bern. *hercle.* Ed. Crat. *mehercule.* In seqq. Ed. Princ. *vicem nostram.* Pro *nati p. lib.* Crat. *tot tantique p. libidine* Ed. Princ. *affectae sunt.* Pro *residuis* Vindingius legendum censet *residuos.* contra quem vid. Perizon. Diss. §. 41.

saltim) Antiquam hanc formam revocavi ex S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. Etiam lib. III. 22. optimus ille MS. *saltim.* In cett. libris *saltem.* cf. Vorst. ad Sulpic. Vit. Mart. 18. 2. — Supra Bern. *arreptis.*

alio pacto) Crat. *alioquin.* Eadem infra *duces ad cr. civit.*

lum differri non potest; neque finis bellandi fiet, quin aut omnes Graeciae duces, qui singuli ad eruendam civitatem vestram satis idonei sunt, mortem obierint, aut, quod magis spero confore, capto Ilio crematoque igni posteris etiam exemplum impietatis vestrae relinquatur. Quapropter dum adhuc res integra in manibus vobis est, etiam atque etiam providete.

XXIII. Postquam finem loquendi fecit, magno silentio cunctis, ut in tali negotio fieri solet, alienam sententiam exspectantibus, quum se quisque minus idoneum auctorem crederet, Panthus clara voce, *Apud eos*, ait, *Ulixe, verba facis, quibus praeter voluntatem mederi rebus potestas nulla est.* Dein post eum Antenor: *Omnia, quae memorata a vobis sunt, scientes prudentesque patiemur: neque voluntas consulendi abest, si potestas concederetur. Sed ut videtis, summae rei alii potiuntur, quibus cupiditas utilitate potior est.* Quae

---

vest., qui singuli satis id. sunt. et *impietatis vestrae exemplum* Libri mei *exemplum impietatis vestrae.* Ed. Merc. et Obr. *impietatis exemplum vestrae.* quo ordine supra c. 20. *legationis officium eius.* — Ad finem cap. Crat. om. *atque etiam.* In Bern. est *etiam atque prov.* cf. Gloss. S. Gall. opp. *provideto.*

XXIII. *quisque — crederet*) Codicem Heinsii *crederent* habere pro *crederet* testatur Burmann. ad Ovid. A. Am. I. 267. quam τοῦ *quisque* constructionem illustravit dudum Heins. ad Ovid. Met. V. 212. et alii multifariam. Wopkens. p. 30.

voce, apud eos, ait, Ulixe) Crat. et Dacer. *apud eos clara voce ait, Ul.* cui perperam adhaeret Wopkens. p. 30.; qui praeterea unde suum *Pantheum* sumserit nescio.

patiemur) Rectius hoc esse, quam Vindingii *patimur*, ostendit Wopk. l. l. Infra Ed Princ. *summa re.* Crat. *potiuntur illi quib.*

cupiditas util. potior est) Ex Cod. suo Heinsius ad Vell. Pat. II. 45. 3. legit: *quibus cupita utilitate potiora sunt.* ut excusum etiam in Ed. Crat. Affert Heinsius lib. III. 24. *cupitis eius satisfacturum.* VI. 8. *cupitum sui interitum.* et alia ex aliis scriptt.: sed non persuasit. Cf. Wopk. l. l.

ubi disseruit, mox per ordinem duces omnes, qui ob amicitiam Priami, quique mercede conducti auxiliarem exercitum duxerant, introduci iubet. Quis ingressis, Ulixes secundam exorsus orationem, *iniquissimos* appellare *universos, neque dispares Alexandri: quippe qui, a bono honestoque elapsi, auctorem pessimi facinoris sequerentur. Neque ignorare quenquam, si tam atrox iniuria probanda sit, fore uti, malo exemplo disseminato per mortales, ipsos etiam, qui haud longe abessent, similia aut graviora hisce sequerentur.* Ea, ut erant atrocia, cuncti taciti inter se reputare animo; atque ita exemplum huiusmodi abhorrentes, indignatione rerum permoveri. Dein solito more perrogatis seniorum sententiis, pari consensu omnium, *Menelaum indigne passum iniuriam,* decernitur; solo omnium Antimacho in gratiam Alexandri adversum cunctos reclamante. Ac statim, qui de omnibus nunciatum ad Priamum mitterentur, electi duo: hique inter cetera, quae mandata erant, etiam de Polydoro docent.

---

disseruit) Bern. *dixerunt.* In seqq. Ed. Merc. et Obr. om. *duces.* Merc. *Queis ingr.* Bern. *exorsus est or.* Ed. Crat. *pessimi sceleris.*

quenquam, si) MSS. et Edd. *quenquam, quin, si.* Defendit *quin* Wopkens. p. 31. Delevi equidem, quia orationem turbat.

tac. inter se rep. an.) S. Gall. opp. et Ed. Obr. *inter se tac. rep. an* Ed. Princ. *inter se tac. an. rep.* Crat. *tac. rep. int. se an.*

Antimacho) Nescio quis fuerit iste Antimachus, cuius nemo meminit praeter Dictyn. Forsan rescribendum *Archemachus;* qui unus Priami filiorum fuit. Daceria. Nihil hic tentandum. Significatur Antimachus Homeri, quem Alexander pecunia corruperat, in cuius itaque gratiam omnibus reclamavit. v. Hom. Il. XI. 123. et quae diximus in Obss. ad I. 11. Eundem Dares c. 38. vocat *Amphimachum.*

adversum cunctos recl.) Ed. Obr. om. *cunctos.* Bene: nihil enim frequentius, quam *adversum* absolute positum. — Infra Ed. Princ. *quaeque mandata.*

XXIV. Ea ubi rex accepit, maxime consternatus filii nuncio, ante ora omnium corruit. Deinde a circumstantibus refectus paulisper, erigitur: atque ire in consilium cupiens, ab regulis cohibitus est. Ipsi namque, relicto patre, conventum irrumpunt ad id tempus, quo Antimachus, multis in contumeliam Graecorum praeiactis probris, tum demum dimitti Menelaum aiebat, si Polydorus redderetur: postremo, eundem casum atque exitum utriusque custodiendum. Adversum quae, cunctis silentibus, Antenor resistere, ac ne quid huiusmodi decerneretur, magna vi repugnare. Sed postquam, invicem multa consumta oratione, certamen eorum ad manus processerat, omnes, qui aderant, inquietum ac seditiosum Antimachum pronunciantes, e curia eiecere.

XXV. Sed ubi Priamidae ingressi sunt, Panthus Hectorem obsecrans, nam is inter regulos cum virtute, tum consilio bonus credebatur, hortari, *uti Helena nunc potissimum, quum Graeci supplices ob hanc causam venissent, cum amicitia redderetur: neque parum Alexandro ad explendum amorem, si quem circa Helenam habuerat, transactum. Quocirca versari ante omnium oculos oportere praesentiam regum Graecorum, eorumque facta fortia, ac recens partam gloriam erutis ami-*

XXIV. *irrumpunt*) Bern. *interrump.* Pro *praeiactis* Ed. Crat. *iactis*; pro *redderetur* eadem *restitueretur*; pro *eiecere* eadem *proiecere*.

XXV. *ingressi*) Ed. Crat. *egressi* contra rerum seriem. Repete supra c. 24. *conventum irrumpunt*. Mox Bern. *tum virtute*. et S. Gall. opp. *auxilio bonus*.

regum Graecorum) Crat. *Graiorum*. de qua forma vid. Gloss. ad cap. 42. Pro *recens* Ed. Princ. *recenter*.

cissimis Troiae civitatibus. Ob eam etiam causam Polymestorem, exemplum admissi abhorrentem, ultro Graecis Polydorum tradidisse. Ex quo etiam verendum, ne quid tale commentae finitimae regiones perniciosa consilia adversum Troiam molirentur: neque fidei ius, contra insidiosa cuncta atque adversa in obsidione fore. Quae si omnes, ita uti res est, animo reputarent; neque ulterius dif-

---

exemplum admissi abh.) Bern., S. Gall. opp. et Ed. Merc. *exempli admissi.* Verbo *abhorrere* gignendi casum restituere ausus est Gronovius Liv. XX. 13. Ms. Voss. *exempli causa adm.* Sed quartum casum agnoscunt S Gall. sec. IX, MS. Periz, Ed. Princ., Crat., Obr., eumque recte vindicant Septimio Wopkens. p. 31 et Oudendorp. ad Apul. Met. VI. p. 439 et X. p. 708. Supra c. 23. *exemplum huiusmodi abhorrentes.*

ne quid tale commentae finitimae regiones) Ita est in S. Gall. sec. IX. et Petav. Merceri: suffragantur Argent. *ne quid tale cominte fin. reg.* S. Gall. opp. *ne quid tale commēte finitime reg.* Ed. Princ. *ne quid tale cum mente fin. reg.* Favent etiam Bern. et alter Merceri *ne quid tale confinit. reg.* ubi *confinitimae* corruptum ex prave contracta scriptura verborum *commentae finit.* Genuinam lectionem ob oculos habuit etiam ille, e cuius fabrica Ed. Crat. lectio est *ne quid per tale commentum finit. reg.* Explica: ex hac proditione Polymestoris et ad Graecos transitione verendum, ne etiam regiones, quae vicinae essent Troiae, quid tale i. e. simile proditionis genus comminiscerentur, excogitarent, Graecis faverent, et perniciosa adversus Troiam consilia machinarentur. Igitur neque erat a Mercero corrigendum *ne item aliae confinit. reg.*, neque ab Obrechto et Wopkens. p. 32. *ne qua et aliae coniunctae ac finit. reg.*

neque fidei ius) Vulgo *nihil exploratum neque fidum esse,* quod summe arrisit Wopkensio p. 32. Libri mei, alter Merceri et Argent. Obrechti *neque fidum.* Petav. Merceri *namque fidei ius.* Mercerus facit *neque fidelius.* Orellius adnotat: an *neque fidum unum contra?* Ex MSS. lectione egregie Septimii manum *neque fidei ius* restituit Obrechtus. „Non fore procedente obsidione fidei ius, inquit Septimius, i. e. neque pactis vim suam, neque foederibus auctoritatem constituram esse; sed perfidiei et defectionibus locum et ius datum iri.“ Verba sunt Obrechti; cuius exemplis adde quae dat Burmann. Consolat. ad Liv. August. v. 54.

animo reputarent) Nulla idonea causa est, cur cum Wopkensio p. 32. malueris *reputent.* Inducere potius animum quis possit, pro *uti res est* scribere *uti res esset;* oratio enim indirecta est. Sed neque hoc opus. v. Gloss.

neque ulterius differendos legatos paterentur, et, Hel.) In Ed.

ferendos legatos paterentur, et, Helena cum gratia remissa, maius atque artius amicitiae pignus inter duo regna coalesceret. Quae ubi accepit Hector, recordatione fraterni facinoris tristior aliquantum suffusisque cum moerore lacrimis, Helenam tamen prodendam minime rebatur, quippe supplicem domus, et ob id fide interposita tuendam: si quae autem cum ea erepta docerentur, cuncta restituenda. Namque pro Helena Cassandram, sive Polyxenam, quam legatis videretur, nuptum cum praeclaris donis Menelao tradendam.

XXVI. Ad ea Menelaus iracunde atrox: *Egregie, Hercules, actum nobis est, siquidem, proprio spoliatus, commutare matrimonium pro arbitrio*

Obr. qua sorte verba *neque ult. diff. leg. pat.* omissa fuerint, nescio. Praeterea locus a viris doctis varie tentatur. Fidenter reponendum *differri hos leg. pat.* vel *differendos leg. putarent*, pronunciat Wopkens. p. 32. amataeque a Septimio huius locutionis multa exempla promit. Verum cum praecesserit *reputarent*, tum usus Participii Fut. Passiv. loco Infinitivi, liberius is quidem hic loci introductus, haud infrequens Latinis est. Porro Vindingius deleri iubet sequens *et*. Atqui saepissime apud nostrum et omnino Romanos sibi respondent *neque-et*. v. Gloss.

atque artius) Ita S. Gall. sec. IX. et Bern; quo ducit etiam scriptura *arcius*, quae est in S. Gall. opp. et Ed. Princ. cf. cap. 43. Vulg. *arctius*.

Cass. sive Polyx.) Recte. v. Oudend. ad Sueton. Vespas. 6. Crat. *vel Polyx.* et mox *vel quae legat.* et *praeclarissimis*. Paulo supra Crat. *abrepta*.

XXVI. *Egregie, Hercules, actum nobis est*) *Hercules* est in libris meis et duobus Oudendorpii ad Apul. Met. III. p. 180; non *hercule* vel *hercle*. Infra: *Et, Hercules, ulterius*. Sexcenties ita Apuleius, docente Oudend. l. l. — Borrichius de Var. L. L. Aetat. p. 12. *nobis* explicat: nobiscum. Daceria et Wopkens. p. 33. corrigunt *nobiscum*. Perizonius Diss. §. XXXIX vult *vobis*, pro: a vobis; quasi esset ex Graeco πέπρακται ὑμῖν. *Vobis* an *nobiscum* legat, dubitat Oudend. l. l. Refero *nobis* ad Menelaum, ut ponatur pro: in nos, contra me; plane ut supra c. 21. *quibus — nihil a Priamo — remissum est*, i. e. in quos, contra quos. Dares c. 12. *civibus clementem*, i. e. erga cives. Cf. supra c. 8. *male actum adversum Graeciam*.

proprio spol.) Vinding. vult *propria*, scil. coniuge. Nihil opus. v. Gloss.

hostium meorum cogor. Adversum quem Aeneas, *Ac ne haec quidem,* ait, *concedentur, contradicente ac resistente me reliquisque, qui, affines amicique Alexandro, in rem eius consulimus. Sunt enim atque erunt semper, qui domum regnumque Priami tueantur: neque amisso Polydoro orbitas Priamum insequetur, tot talibusque filiis superstitibus. An solis, qui ex Graecia sunt, raptus huiusmodi concedentur? Quippe Cretae Europam quidem a Sidona, Ganymedem ex hisce finibus atque imperio rapere licuerit? Quid Medeam: ignoratisne a Colchis in Iolcorum fines transvectam? Et ne primum illud rapiendi initium praetermittam, Io ex Sidoniorum regione abducta Argos meavit. Hactenus vobiscum verbis actum. At nisi mox cum omni classe ex hisce locis aufugeritis, iam iamque Troianam virtutem experiemini: domi quippe iuventus perita belli abunde nobis est, atque*

---

ne haec quidem) Crat. *hae*, scil. Cassandra et Polyxena: a correctore, cuius animo nota generis enallages figura non addixerit. v. Gloss.

insequetur) Bern. *insequitur.* Wopkensio p. 34. magis placet *sequetur.* Infra Bern *concedetur.* S. Gall. opp. et Ed. Princ. *concederetur.* Crat. *conceduntur.*

a Sidona) Ita libri, non *Sidone.* v. ad I. 5. S. Gall. opp. et Ed. Princ. *Ganymeden.* v. ad cap. 48. S. Gall. opp. et Ed. Princ. *Qui Medeam.* Bern. *Cur Med.* Crat. om. *Quid.*

a Colchis in Iolcorum fin.) Bern. et Ed. Crat. *in Colchorum.* S. Gall. opp. *in olchorum.* Perperam Mercerus librorum suorum lectionem *Iolchorum* probat. Ex *Colchorum* enim terra abducta ab Iasone Medea est ad *Iolcos.* vid. Heins. ad Ovid. Met. VII. 158. Idem Heinsius, cetera; recte scribens, exhibet *transvectari.*

At nisi) Ita S. Gall. sec. IX et Ed. Obr., non *Ac nisi.* Abest utraque vox a S. Gall. opp. et Ed. Princ.; atque Bern. habet *mox cum om. — naufugeritis,* i. e. *ni aufug.,* ut est in Ed. Merc.

iam iamque) Vulg. *iamiam* et *iam iam.* Libri mei *iamque,* omisso priore *iam.* Hinc Orellius suspicatus est *iam iamque.* Recte, et sic editum volui. Infra c. 39. *et iam iamque confidens.*

in dies auxiliorum crescit numerus. Postquam finem loquendi fecit, Ulixes placida oratione, *Et, Hercules, ulterius,* ait, *differre inimicitias haud integrum vobis est. Date igitur belli signum, atque ut in inferendis iniuriis, ita et in inchoando proelio site auctores: nos sequemur lacessiti.* Talibus invicem consumtis verbis legati consilio abeunt. Ac mox per populum disseminatis, quae adversum legatos Aeneas dixerat, tumultus oritur, scilicet *per eum universam Priami domum, odio regni eius, pessimo intercedendi exemplo eversum iri.*

XXVII. Igitur ubi legati ad exercitum revenere, cunctis ducibus dicta gestaque Troianorum adversum se exponunt. Itaque decernitur, uti Polydorum in conspectu omnium atque ante ipsos muros necarent. Neque ulterius dilatum facinus: quippe productus in medium, visentibus ex muris plerisque hostium lapidibus ictus, fraternae impietatis poenas luit. Ac mox unus ex praeconibus nunciatum Iliensibus mittitur, uti Polydorum sepeliendum peterent. Missusque ad eam rem Idaeus, cum servis regiis foedatum ac dilaniatum lapidibus Polydorum matri eius He-

---

domi quippe iuventus p. b.) Vera haud dubie lectio, quam ex Cod. Arg. restituimus. Antea edebatur *deorum quippe auxilio iuv.* itemque *deorum quippe ope atque auxilio.* Obrechtus. Ed. Merc. *deorum quippe auxilio iuv.* Ed. Princ. *exper. idoniam. quippe auxilio iuv.* MSS. mei. *domi quippe auxilio iuv.* Placuit tamen lectio Cod. Argent., qui omittit *auxilio*, traiectum scil. negligentia librariorum ex sequenti *auxiliorum.*

differre) Uterque S. Gall. et Ed. Princ. *differri.* Videtur etiam hoc posse tolerari. Sequens *est* om. Bern. et Ed. Merc. Infra Ed. Princ. et Merc. *et inchoando.* om. *in.* Crat. *in inch.* om. *et.* Ad finem cap. Crat. *et pessimo.*

XXVII. *servis regiis*) Ed. Crat. et Merc. *regis.* Infra Crat. *eas aggressus.*

cubae refert. Interim Aiax Telamonius, ne quid quietum finitimis Troiae regionibus atque amicis relinqueretur, hostiliter eas ingressus, Petyam Zeleamque, civitates divitiis nobiles, capit: neque contentus his, Gargarum, Arisbam, Gergitham, Scepsim, Larissam admiranda celeritate depopulatur. Dein doctus ab incolis, multa cuiuscemodi pecora in Idaeo monte stabulari, exposcentibus

---

Petyam Zeleamque) Bern. et Daniel. Merceri *Betiram*. Cett. MSS. et quas vidi Edd. *Botyram*. Sed urbem istius nominis ignorant geographi. Fuchs Quaest. p. 111. excogitavit *Boticum*, Phrygiae urbem (Steph. Byz.). Coniectaveram aliquando *Astyram*, quae urbs iunctim nominatur cum Theba, Gergitho, Scepsi, Gargaro, apud Plin. V. 30, Strab. XIII. p. 422 et 417, Mel. I. 17. Iam autem scribendum ratus sum *Petyam*; quam urbem captam a Graecis refert Eustathius ad Hom. Il. II. 691. Etiam *Zeleamque* scripsi ex emendatione. Nam MSS. et Edd. potiores *Cillamque*, al. *Cyllamque*. *Cillam* autem expugnatam audivimus cap. 13. In mentem venerat *Cymamque*, quam ab Achille captam tradit Auctor *τῶν Τρωϊκῶν* in Bibl. Uffenb. XXXV. p. 679: etiam *Chrysamque*, contiguam iis, quas modo memoravimus, urbibus, quam (licet alii expugnatam negent. cf. Fuchs. Quaest. p. 108 et 109) expugnatam tradunt Ovid. Met. XIII. 175, Senec. Tro. 222, Auctor *τῶν Τρ.* l. l. Magis tamen placuit *Zeleamque*, quam ab Achille captam refert Eustath. l. l.

Gargarum) Vult Vindingius *Gargarin*. At Hesych. *Γάργαρον, ἀκρωτήριον ὄρους Ἴδης, καὶ πόλις Τροίας, πλησίον Ἀντάνδρου.* Steph. Byz. *Γάργαρα, πόλις τῆς Τρωάδος, ἐπὶ τῇ ἄκρῃ τῆς Ἴδης, πάλαι Γάργαρος καλουμένη.* Cf. Lennep. ad Coluth. 14. Animadv. p. 27 sq. *Gargarum* ab Achille eversum ait Serv. ad Aen. IX. 265.

Arisbam) S. Gall. opp. et Ed. Princ. *Arisban*. Crat. *Marisbam*. Fuchs Quaest. p. 111. exhibet *Arisben*. Urbem *Arisbam* vocat Virgil. Aen. IX. 264. eamque a Graecis captam tradit Eustath. l. l.

Gergitham) MSS. Merceri, MS. Obrechti, et ex meis S. Gall. opp., Bern. et Ed. Princ. *Gentum*. Crat. *Geniten*. Obrechtus non spernit Ortelii coniecturam *Gentinum*; edidit tamen cum Mercero *Gergitham*. Recte: ita enim habetur in optimo meo S. Gall. sec. IX. Vindingius vult *Gergetham*. Vocat sane incolas *Gergithes* et *Gergethes* Strabo XIII. p. 405 et 424. Sed urbs dicitur *Gergitha, ae*, ut et *Gergithum, i*, et *Gergitha, orum*. Cf. Xenoph. Hell. III. 1. 12. 16. 18. Sita urbs est prope Chrysam et Neandron, teste Plin. V. 30.

depopulatur) S. Gall. opp. et Ed. Princ. *depopulatus*. In praecedentibus Crat. *miranda*.

cuiuscemodi pecora) Cum nondum MSS. copia gauderem, ita scribere animus ferebat ex Ed. Dacer. Iam suffragari utrumque S. Gall. et Ed. Merc. laetor. Bern. et Ed. Crat. *huiuscemodi*. Ed. Princ. et Obr. *cuiuscunque modi*. ex interpretatione. Forma *cuiuscemodi* damnata

qui cum eo erant cunctis, cito agmine montem ingressus, interfectis gregum custodibus, magnam vim pecorum abducit. Dein, nullo omnium adversante, cunctis, qua pergebat, in fugam versis, ubi tempus visum est, cum magna praeda ad suos convertit.

XXVIII. Per idem tempus Chryses, quem sacerdotem Sminthii Apollinis supra docuimus, cognito filiam suam Astynomen cum Agamemnone degere, fretus religione tanti numinis ad naves venit, praeferens Dei vultus ac quaedam ornamentorum templi eius, quo facilius recordatione praesentis numinis veneratio sui regibus incuteretur. Dein oblatis auri atque argenti donis plurimis, redemtionem filiae deprecatur; obsecrans, uti magnificarent praesentiam Dei, qui secum oratum eos ob sacerdotem proprium venisset. Praeterea commemorat, quae in dies adversum se ab Alexandro eiusque consanguineis ob exhibitam per se paullo ante immolationem inimica hostiliaque pararentur. Quae ubi accepere, reddendam filiam sacerdoti, neque ob id accipiendum

---

est, utpote minus nota et optimis scriptoribus inusitata. v. Praefat. p. L.

XXVIII. *Sminthii*) Libri *Zminthii*. Ed. Princ. *Apollinisque*. S. Gall. opp. *diximus*.

tanti numinis) Libri *nominis*. Mox: *recordatione praesentis numinis*, et *obsequi numini eius*. Cap. 29. *tanti numinis deum*. Mutare in MSS. *numen* et *nomen* saepe animadverterunt viri docti.

praef. dei vultus) Per *vultus dei* intelligunt nonnulli simulacrum quoddam illius; quod haud scio an satis probent. Verius autem Wasseus ad Sall. p. 168. emendandum putat *dei cultus*; idque omnino placet. Wopkens. p. 34. Nihil hic dubitandum, neque novandum. v. Gloss.

deprecatur) Si Gall. opp. *precatur*. Infra libri *ob sacerd. propriam*. Ed. Crat. *exhibitam a se*.

praemium, universis placet: quippe qui, cum per se amicus fidelisque nobis, tum praecipue ob religionem Apollinis nihil non mereri crederetur. Namque multis iam documentis ac fama incolarum obsequi numini eius per omnia destinaverant.

XXIX. Quae postquam Agamemnon accepit, obviam cunctorum sententiis ire pergit. Itaque atroci vultu exitium sacerdoti comminatus, ni recederet, perterritum senem atque extrema metuentem imperfecto negotio ab exercitu dimittit. Hoc modo conventu dissoluto, singuli reges ad Agamemnonem adeunt, eumque multis probris insequuntur: quippe qui ob amorem captivae mulieris seque et, quod indignissimum videretur, tanti numinis deum contemtui habuisset: ac mox universi exsecrati deseruere, ob id, et memores Palamedis, quem, gratum acceptumque in exercitu, haud sine consilio eius Diomedes atque Ulixes dolo circumventum necavissent. Ceterum Achilles in ore omnium ipsumque et Menelaum contumeliis lacerabat.

XXX. Igitur Chryses ubi iniuriam perpessus ab Agamemnone domum discessit, neque multi

---

Quippe qui) Ed. Crat. et Merc. om. *qui*. Infra c. 29. *Quippe qui - tanti numinis deum contemtui habuisset*. Cf. Oudend. ad Apul. Met. VII. p. 461. — Mox Crat. *meriti credebatur*. Bern. om. *nihil*.

XXIX. *exitium comminatus, ni rec., perterritum sen.*) Crat. *exitum comminatur, ni recederet: perditum sen.* Ita quum etiam Tollius ad Auson. Gr. Act. p. 732. scriptum inveniret, coniecit *perterritum*, quae est MSS. et cett. Edd. lectio. Hom. Il. I. 33. *ἔδδεισεν δ' ὁ γέρων*. Pro *dimittit* Bern. *dimittitur*. Ed. Princ. *discedit*.

insequuntur) Crat. *insectantur*. Cf. c. 30. lib. III. 20. IV. 4. I. 19. Infra pro *contemtui* Ed. Princ. *contemtum*.

ob id et memores) Ed. Obr. et Crat. *ob idque et mem.* Bene. Mox *ipsumque et Menelaum*. Cf. ad I. 14.

fluxerunt dies, incertum alione casu, an, uti omnibus videbatur, ira Apollinis, morbus gravissimus exercitum invadit: principio grassandi facto a pecoribus, dein, malo paullatim magis magisque ingravescente, per homines dispergitur. Tum vero vis magna mortalium, corporibus fatigatis pestifera aegritudine, infando ad postremum exitio interibat. Sed regum omnino nullus neque mortuus ex hoc malo, neque attentatus est. Ceterum postquam nullus morbi modus, et in dies plures interibant, cuncti duces, converso iam in se quisque timore, in unum coeunt: ac dein flagitare Calchanta, quem futurorum praescium memoravimus, uti causam mali tanti ediceret. Ille enim:

XXX. *fluxerunt*) S. Gall. sec. IX. a m. pr. *fluxerant*. Ed. Crat. *fluxere*. ut lib. III. 2. *ubi dies pauci fluxere*. In seq. Bern. om. *an*. Ed. Crat. *invasit*.

vis magna - interibat) Ita libri mei, Merc., Obr. et aliquot Oudendorpii ad Apul. Met. III. p. 185. Ed. Crat. et Dacer. *interibant*. Recte, iudice Oudendorpio. Liv. II. 5. *vis magna hominum-infudere in Tiberim*. Ipse Sept. IV. 12. *magna vis hominum-obtruncantur*. Cf. I. 8. *populus-reclamabant*. II. 15. *pars maxima loquebantur*. Sed vereor, ne illud *interibant* huc transiluerit ex seqq. *in dies plures interibant*, ubi illae quidem Edd. *intereunt*.

ex hoc malo) Crat. *hoc morbo*. om. *ex*. S. Gall. opp. et Bern. *attemptatus*. Ed. Princ. *adtemptatus*. Crat. *tentatus*. Vid. Praefat. p. LII.

mali tanti ediceret) Facile putaret quis, reponendum esse *uti causam tanti mali edissereret*, ut vulgo et in MS. Sed e ceteris MSS. et edd. vett. corrigendum *ediceret*; quod et vidit Wopkens. p. 35. quod etiam et Codd. et Obr. ed. bene dant cap. 35. *Eorum reges edicere*. Nec non lib. IV. 18. *recordati eorum, quae Calchas edixerat*. ubi vulgo *dixerat*. Oudendorp. ad Apul. Met. VII. p. 451. Ed. Princ. et Obr. *tanti mali ediceret*. S. Gall. sec. IX, Bern et Ed. Merc. *mali tanti ediceret*. ut edidi. S. Gall. opp. *mali tanti diceret*. Etiam mihi ante annum non displicuit *edissereret* vel potius *edisserat*, ut est in Ed. Crat., cum praesertim adamatum verbum *edisserere* scirem Livio (cf. Gronov. ad eius lib. XXVII. 7), Apuleio (cf. Oudend. l. l. et alibi), aliisque scriptoribus.

Ille enim: perspicere se) Aut delendum *se*, aut addendum *ait*, pronuntiat Vindingius. Nihil istic delendum nec addendum esse, docent Perizon. Diss. §. XL. et Wopkens. p. 35., quibus adde Cort.

perspicere se originem huiusce morbi, sed haud liberum esse cuiquam eloqui: ex quo accideret, uti potentissimi regis contraheret offensam. Post quae Achilles reges singulos adigit, ut interposita iurisiurandi religione confirmarent, *nequaquam se ob ea offendi.* Hoc modo Calchas, ubi cunctorum animos in se conciliavit, *Apollinis iram* pronunciat: *eum namque, ob iniuriam sacerdotis infestum Graecis, poenas ab exercitu expetere.* Dein perquirente Achille mali remedium, *restitutionem virginis* pronunciat.

XXXI. Tum Agamemnon, coniectans quod mox accidit, consilio tacitus egressus, cunctos, quos secum habuerat, in armis esse iubet. Id ubi Achilles animadvertit, commotus rei indignatione, simul pernicie defessi exercitus anxius, defunctorum corpora miserandum in modum confecta undique in unum colligi iubet, atque in conventu ante ora omnium proiici. Quo spectaculo adeo commoti reges gentesque omnes, uti adversum Agamemnonem ab cunctis pergeretur, duce atque auctore Achille, et, si perstaret, suadente, exitio vindicandum. Quae ubi regi

---

ad Sall. Iug. 70. 5. Praeterea Wopkensius melius orationem sic putat procedere *Ille autem.*

huiusce) Bern. et Ed. Merc. *huius.* Infra Crat. *quicquam eloq.* Sed intell.: cuiquam eloqui originem morbi.

Post quae - adigit) S. Gall. opp. et Bern. *Postquam.* Ed. Princ. *Postquam - adegit.* Crat. *adiit.* et infra *se ob eam causam offendi.*

XXXI. *consilio*) Ita tres MSS. et Ed. Merc., non *concilio.* Cf. ad I. 6 et 8. Supra pro *coniectans* Crat. *contestans.* Eadem infra *habuit.* (v. Gloss. ad c. 18.) et in seqq. *undique in conv. ante ora om. proiici fecit.* omissis verbis *in unum colligi iubet atque.*

adeo commoti) S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *ad eum com.* Infra pro *suadente* Crat. *suadere,* ut frustra correxit, cui merito dura visa est oratio.

nuntiata, pertinacia animi, an ob amorem captivae, cuncta extrema ratus experiri, nihil remittendum de sententia destinaverat.

XXXII. Ea postquam Troiani cognovere, simul ex muris conflagrationem corporum assiduam crebrasque sepulturas animadvertentes, doctique, etiam reliquos incommodo cladis eius debiles agere, cohortati inter se arma capiunt, ac propere cum manu auxiliari effusi portis pergunt advorsum. Ac dein per campos exercitu bipartito, Troianis Hector, Sarpedon auxiliaribus duces facti. Tum nostri, visis contra hostibus, armati atque instructi pro negotio, simplici forma aciem composuere, circa cornua divisis ducibus: dextrum Achilles cum Antilocho, alterum Aiax Telamonius cum Diomede curabant, medios accepere Aiax alter atque Idomeneus, dux noster. Hoc

---

nuntiata) Crat. addit. *sunt.* v. Gloss. Infra Crat. *pertinaci animo ab amore captivae nullo modo seiungi, apparatus opperiri, nihil de sententia remitt.*

cuncta extr. ratus experiri) Quod Perizon. Diss. §. XXXIX scriptum fuisse arbitratur *paratus*, sustentari quodammodo videtur lectione Ed. Crat. *apparatus opperiri.* Sed τὸ *ratus* idoneis exemplis tuetur Wopkens. p. 36. Cf. Gloss.

XXXII. *Ea postquam*) S. Gall. opp. *Et postq.* Ed. Crat. *At postq.*

simul - animadvertentes, doctique) Ed. Crat. et Dacer. *animadvertentes: doctique.* quam, interpunctione mutata, verissimam lectionem cum sententiae ratio omnino efflagitet, tum nexus *simul-que* (pro: *et-et*) familiaris Septimio est cum Livio, Sallustio, aliis. v. Gloss., nec non not. cr. ad c. 42 et 47. Cett. Edd. ut et MSS. *simul- animadvertere, doctique.*

auxiliari) Argent. Obrechti et Ed. Princ. *auxiliaria.* Sequentia *effusi portis* absunt a Bern. et Ed. Merc.

pro negotio, simpl.) Recte ita distinguendum censet Wasseus ad Sall. Cat. 72.

simplici forma) Antea edebatur *simplicis formae.* Sed MSS. mei *simplici formae.* Ed. Princ. *simplicis forma.* Mediol. Obrechti *simplici fronte.* atque Cod. Argent. *simplici forma.*

modo exercitu utrinque composito, pergunt obviam. At ubi in manus ventum est, cohortati suos quisque, acie conflixere. Tum vero in aliquantum tracto certamine, utriusque partis cadunt plurimi, praecellentibus in ea pugna barbarorum Hectore et Sarpedone, Graecorum Diomede cum Menelao. Dein nox, communis amborum requies, proelium diremit. Igitur reducto exercitu, corpora suorum cremata igni sepeliunt.

XXXIII. Queis perfectis Graeci statuunt inter se, Achillem, cuius in adversis Graecorum casibus solicitudo praecipua videbatur, regem omnium confirmare. Sed Agamemnon, anxius, ne decus regium amitteret, in concilio verba facit: *Sibi maxime cordi esse exercitus incolumitatem; neque ulterius differre, quin Astynome parenti remitteretur, maxime si restitutione eius instantem perniciem subterfugerent: neque quicquam deprecari amplius, si modo in locum eius Hippodamiam, quae cum Achille degeret, vicarium munus amissi honoris acciperet.* Quae res, quanquam atrox omnibus et indigna videbatur, tamen connivente

---

conflixere) Bern. *confluxere.* In seqq. Ed. Crat. *Tum vero aliquantulum tracto cert.* ut citat etiam Scioppius Parad. Lit. Epist. V. Vid. ad. c. 4. A libris abest *plurimi.* Bern. *Dein mox nox com.* et *Igitur educto,* absorpto uno *r.*

XXXIII. *Queis perf.*) Ita Ed. Merc. et Obr. Libri *Quis.* v. ad I. 15. Infra pro *regem* libri *rem.*

in concilio) S. Gall. opp., Ed. Merc. et Obr. *consil.* v. ad I. 6.

quin Astyn.) Bern. *qui Astin*, et mox *nec quisquam.* Infra Crat. *modo in loc.* om. *si.* non male. Bern. *in loco eius.*

videbatur) Bern. et Crat. Ed. *videretur.* Bene. Liv. XXXVIII. 57. *Haec de tanto viro, quanquam et opinionibus variarent, proponenda erant.*

connivente) Ed. Princ. *cogente.* Crat. *conuuente.* Bern. omittit verbum cum lacunae signo.

Achille, cuius id praemium pro multis et egregiis facinoribus fuerat, effectum habuit. Tantus amor exercitum erga curaque in animo egregii adolescentis insederat. Igitur adversa cunctorum voluntate, neque tamen quoquam palam recusante, Agamemnon, tanquam ab omnibus concessa res videretur, lictoribus, ut Hippodamia abstraheretur, imperat: hique brevi iussa efficiunt. Interim Astynomen Graeci per Diomedem atque Ulixem cum magna copia victimarum ad fanum Apollinis transmisere. Dein perfecto sacrificio, paullatim vis mali leniri visa, neque amplius attentari corpora; et eorum, qui antea fatigabantur, tanquam sperato divinitus levamine, relaxari. Ita brevi per universum exercitum salubritas vigorque solitus renovatus est. Mittitur etiam Philoctetae ad Lemnum portio praedae eius, quam Graeci per Aiacem atque Achillem advectam inter se viritim distribuerant.

XXXIV. Ceterum Achilles, memor iniuriae supradictae, abstinendum publico consilio decreverat, odio maxime Agamemnonis abolitoque amore, quem circa Graecos habuerat; scilicet quod

---

cuius id praem.) Crat. *cui.* ex interpretatione. Genitivum enim persaepe poni loco Dativi, docuerunt Gronov. ad Liv. XXVIII. 24, Oudend. ad Caes. B. G. V. 44, Cort. ad Sall. Iug. 2. 3.

exercitum erga) S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Crat. *erga exercit.* Pergitur in Crat. *curaque animo - incesserat.* Eadem infra *ab Achille abstraheretur.*

Ulixem) Bern. *Ulixen.* v. ad VI. 6.

leniri visa) Ed. Obr. om. *visa.* Lib. V. 8. *restingui ignes, ac repente interire visi.* III. 26. *Hecubam - facem per quietem edidisse visam.* Mox S. Gall. opp. *attemptari.*

tanquam sperato) Eradatur *tanquam*, ait Vindingius. Nescio cur? *ad Lemnum*) Ita libri mei. Vulgo om. *ad.* et Crat. habet *Lemnon.*

eorum patientia, post tot bellorum victorias ac facta fortia, Hippodamia, concessum pro laboribus praemium, per iniuriam abducta esset Dein venientes ad se duces aditu prohibere, neque cuiquam amicorum ignoscere, qui se, adversum Agamemnonis contumelias quum defendere liceret, deseruissent. Intus igitur manens, Patroclum et Phoenicem, hunc morum magistrum, alterum obsequiis amicitiae carum, et aurigam suum Automedontem secum retinebat.

XXXV. Per idem tempus apud Troiam exercitus sociorum, quique mercede conducti auxiliares copias adduxerant, tempore multo frustra trito, taedione, an recordatione suorum domuitionem occipiebant. Quod ubi animadvertit He-

---

XXXIV. *aditu*) Bern. *addita.* Mox pro *amicorum* Crat. *eorum.* Bern. *disseruissent.*

carum) Scripti et editi libri *charum.* Bern. tamen *earum* i. e. *carum.* Ed. Dacer. *clarum.* Cf. Gloss.

XXXV. *tempore m. - domuit occipiebant*) Totus hic locus misere turbatus erat tam in vulgatis quam in scriptis libris. In illis edebatur: *tempore frustrato, seditione, odio an recordatione suorum bellum non occipiebant.* In libro Danielis: *tempore multo frustra tritos editione an recordatione suorum domi seditionem accipiebant.* In altero: *tempore frustrati tota editione an rec. s. domi seditionem accipiebant.* E quibus concinnavi lectionem, quam editio haec repraesentat. Corrumpendo loco duo fuerunt: primum quod non capiebant elegantiam huius sermonis *taedione an recordatione,* quam ubique mali editores corruperant, ut diximus supra (lib. I. 19). Alterum ignoratio antiquae vocis *domuitionem,* quam et supra (lib. I. 20.) explicavimus. Non dubium est, quin haec sit genuina auctoris scriptura. Mercerus. Merceri emendationem amplexus est Obrechtus, in eo tamen diversus, quod pro Merceri *cupiebant* rectius dederit *occipiebant,* ut habetur in Ed. Crat. et optimo S. Gall. sec. IX, fitque facillime ex ceterorum meorum, itemque Merceri librorum scriptura *accipiebant.* Quod cetera attinet, meus Bern. cum Danielis libro convenit; differunt ab illo S. Gall. opp. et Ed. Princ. eo, quod ille pro *tritos editione* praebet *trito teditione,* haec *frustari tedio an.* Optimus autem S. Gall. sec. IX. manifesto favet Merceri emendationi, si excipis verba *domuitionem cupiebant,* quorum loco hic liber habet *domi seditionem occipiebant.* Et nescio an librorum omnium lectio

ctor, coactus necessitate militibus, ut apud arma essent, iubet; ac mox, ubi signum daretur, sequerentur sese. Igitur postquam tempus visum est, et omnes in armis nunciabantur, iubet egredi: ipse dux atque imperator militiae. Res postulare videtur, eorum reges, qui socii atque amici Troiae, quique ob mercedem auxiliares ex diversis regionibus contracti, Priamidarum imperium sequebantur, edicere. Primus igitur portis erumpit

---

domi seditionem rectius emendetur in *domum reditionem*, unius literae discrimine: quae formula amata est Caesari, ut ad eius B. G. I, 5. docuit Oudendorpius.

militibus, ut apud arma essent) Cum optimi MSS. tum stilus et scopus auctoris, ac sententia locorum legi postulant: *cum luce simul apud arma esse iubet* scil. auxiliarium duces, de quibus agitur Oudendorp. ad Sueton. Vespas. 23. Mirum quantum fallitur vir clarissimus: primum enim ne ullo verbulo quidem toto in loco sermo est de *auxiliarium ducibus*; est autem de *copiis militaribus*, de domuitione cogitantibus: quae copiae ne in rerum bellicarum vacatione res novas moliantur, omnes milites, ut desidiam discutiat, arma capere Hector iubet, atque sub suis auspiciis adversus hostem progredi. Expeditissimus hic loci sensus est. Salva etiam latina oratio: utrumque enim dicitur: *iubere ut* et *iubere alicui*. De Coniunctione v. Wopkens. p. 37. et ipse Oudend. l. l.; de Dativo consulantur praeter Oudend. et Davis. ad Caes. B. C III, 98, etiam Gronov. ad Liv. XXVII. 24, Oberlin. ad. Tacit. Ann. IV. 72, Wopkens. p. 37, qui tamen male adfert Septim. V. 11: ut illo loco ostendam. Rectissime igitur se habet MSS. meorum et Merceri lectio *militibus, ut apud arma essent, iubet.* ut citat etiam Davis. ad l. Caes. Verum in Edd. alia deprehenditur varietas. Namque Ed. Princ. et Obr. *ut in armis essent.* quae haud dubie lectio debetur glossatori, cui ignota Septimii erat loquendi proprietas, adhibentis alibi quoque formulam insolentem *apud arma esse*, loco tritissimae *in armis esse.* Adi Gloss. Ed Crat. favet MSS. Oudend., exhibens *apud arma esse.*

ac mox) Bern. *at.* Infra S. Gall. opp. et Ed. Obr. *daret.*

Priamidarum imp.) Bern. *Priami clarum imp.*

edicere) Liber Danielis *adicere:* antiqua scriptio, pro *adiicere*, quam in omnibus optimae notae libris inventam viri docti testantur. Poterat tamen ferri cum vulgatis et altero MS. *edicere* Mercer. Codd. et Ed. Obr. bene dant *edicere.* Oudendorp. ad Apul. Met. VII. p. 451. MSS. mei et Ed. Princ. *edicere.* Bern. tamen *adicere.* Centies quidem librarii pro *adiicere* exararunt *adicere.* cf. Drakenb. ad Liv. IV. 8, Oudend. ad Caes. B. G. IV. 23. Sed, ut sileam poetarum frequentem formae *adicere* usum (v. Duker. ad Flor. I. 10. 5, Burmann. ad Anthol. Lat. I. Ep. 80. v. 15. alibi.); posteriores etiam pedestris

Pandarus, Lycaone genitus, ex Lycia: dein Hippothous et Pylaeus Lethi, ex Larissa Pelasgidarum: Acamas Eussori et Piros, ex Thracia: post quos Euphemus Troezenius, Ciconiis imperitans: Pylaemenes Paphlagonius, patre Melio gloriosus: Odius et Epistrophus, filii Minui, Alizonorum reges: Sarpedon, Xantho genitus, rector Lyciorum,

---

orationis scriptores amarunt contractam huiusmodi formam. Saepe Ulpianus, Paullus, alii ICti *subicere*, *eicere*, *obicere*, *reicere* cet. et saepissime *adicere*, ut Ulpian. Dig. I. 9. 1, I. 16. 6. 3, I. 8. 9. 2, II. 14. 7. 4. alibi. Callistrat. Dig. I. 17. 19. Etiam Dares c. 14. *abicere*. 34. *eicere*. Ipse Septim. III. 19. *Ulixem deicit*, consentientibus libris; quae eadem forma Ulpian. Dig. IV. 2. 9. alibi.

Hipp. et Pylaeus Lethi) Libri mei, Merc. et Obr. *Hipp. Pylei*, et *Pilei*. Emendatio mea nititur loco Hom. Il. II. 842 et Septim. III. 14. Cf. Auson. Epit. Her. XXI, Auctor *τῶν Τρ*. in Bibl. Uffenb. XXVII. p. 675.

Acamas Eussori et Piros) S. Gall. sec. IX. *Achamata nieri peripyros*. Ceteri libri *Achamas ameri pleri pyros* (Ed. Princ. *piros*). Argent. Obrechti *Acamas Ameripleripiros*. Libri Merceri *Acamas ameriplem piros*. Ex his foedis scripturis refingere visum mihi lectionem, quae haec editio repraesentat, adiuvante Hom. Il. II. 844. et VI. 7.

post quos Euph.) Rescripsi verba *post quos* ex libris meis, cum absint ab Ed. Merc. et Obr.

Troezenius) Ita MSS. et Edd. hic et c. 43 extr. Fuchsius Quaest. p. 115. legendum statuit *Troezeni*, scil. filius, ex Hom. Il. II. 846. Atqui supra c. 3. *Teuthranius*, i. e. Teuthrantis filius. Lib. V. 16. *Aeantides*, i. e. Aiacis filius. Ovid. Trist. V. 1. 6 et V. 2. 13. *Poeantius*, ut Tzetz. Posthom. 585. et Epigr. in Brunck. Anal. T. I. p. 181. *Ποιάντιος*, i. e. Poeantis filius, Philocteta.

Ciconiis) Bern. *Ciconus*, S. Gall. opp. *Siconiis*. utrumque pro *Ciconiis*, ut habetur in S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Crat. Licet cap. 43. MSS. et Edd. uno consensu habeant dux *Ciconum*, tamen praeferre hic non dubitavi formam *Ciconii, orum*. Adhibet Septimius c. 13. etiam ancipitem formam *Neandrienses* et *Neandrii*, et infra pro *Alizones, um*, introduxit *Alizoni, orum*. Scilicet Ed. Merc. et Obr. praebent *Ciconis*; quod nostrum pro *Ciconibus* dixisse persuadere mihi non possum.

Alizonorum reges) MSS. et Edd. vett. *Azanorum reges*. Correxere viri docti *Alizonum*, ex Hom. Il. II. 856, V. 39. Edita mihi forma defenditur verbis Eustathii ad Dionys. Perieg. v. 768. Patrem horum regum ignoro. In S. Gall. sec. IX. ei nomen est *Minui*, in S. Gall. opp., Bern. et Ed. Merc. *Minoi*, in Ed. Princ. et Obr. *Minii*. Ed. Crat. praebet *filii Numaganorum regis*.

ex Solemo: Nastes et Amphimachus Nomionis, de Caria: Antiphus et Mesthles, genitore Talaemene, Maeonii: Glaucus Hippolochi, Lycius; quem sibi Sarpedon, quod praeter ceteros regionis eius consilio atque armis pollebat, participem bellicarum rerum adsciverat: Phorcys et Ascanius, Phryges: Chromius et Ennomus, Mygdones ex Moesia: Pyraechmes Axii, Paeonius: Amphius et Adrastus, Merope geniti, et Adrestia: Asius Hyrtaci, Sesto: dein alius Asius, Dymante genitus, Hecubae frater, ex Phrygia. Hos omnes, quos memoravimus, secuti multi mortales inconditis moribus ac dispari sono vocis, sine ullo ordine aut modo proelia inire soliti.

XXXVI. Quod ubi nostri animadvertere, in

---

ex Solemo) An *Solymo*, vel *Solymis*. Variant *Solymus* et *Solemus* (nomen viri) Ovid. Fast. IV. 79, teste Heinsio. Cf. Mercer.

genitore Talaemene) Verum nomen Septimio restitui ex MSS. Etenim S. Gall. sec. IX. Bern. et Ed. Princ. *Talimeneo*. S. Gall. opp. *Talmeneo*. Merceri librorum unus *Talimeno*. Ed. Crat. *Telameneo*. Scripsit Mercerus *Pylaemene*, ex Hom. Il. II. 865. *υἶε Πυλαιμένεος*: eumque secutus est Obrechtus. Sed Hom. loco nunc excuditur *Ταλαιμένεος*, quod vel ex MSS. Septimii comprobatur.

Chromius et Enn. Mygd. ex M.) Scribendum *Chromis Midonis*, vel *Chromius*. Utrumque habes apud Homerum. Vulgo *Fronius Midonis*. Libri *prominus Midones*. Mercer. Mercero praeeunte etiam Ed. Obr. *Chromis Midonis*. Libri mei *prominus Mydones* (Bern. *Mid.*), cui lectioni propius est *Chromius*. Dici autem *Chromis* et *Chromius* adnotat Eustath. ad Il. II. 858. Auson. Epit. Her. XXII. *Ennomus hic Chromiusque iacent; queis Mysia regnum*. Vox *Mydones* corrupta videtur ex *Mygdones*. Mygdones Phrygiae populus, Plin. H. N. IV. 30. extr.; Mygdonia Phrygiae regio, Plin. V. 32. Phrygia autem parva olim Mysiam quoque Asiaticam amplectebatur. Porro nom. plur. *Mygdones* excidisse alterum nomen, Ennomi (Hom. l. l.), indicat. Quare editum volui *Chromius et Ennomus, Mygdones ex Moesia*.

Adrestia) Ita recte scripsit Mercerus, ex Hom. Il. II. 828. Dares c. 18. De *Adrestia Adrastus et Amphius*. Libri *Adrestina*.

Sesto) MS. Periz. addit *de*; quemadmodum ubique hoc loco additur praepositio: *de Caria, ex Moesia, ex Phrygia*. Oudend. ad Apul. Apol. p. 485.

campum progressi, more militiae aciem ordinant, magistro ac praeceptore componendi Mnestheo Atheniensi: ordinant autem per gentes atque regiones singulas, seorsum manente Achille cum Myrmidonum exercitu. Is namque, quanquam ob illatam ab Agamemnone iniuriam et abductam Hippodamiam nihi animi remiserat, tamen maxime indignatus, quod, reliquis ducibus ad coenam deductis, solus contemtui habitus intermitteretur. Ceterum ordinato exercitu, ac tunc primum omnibus copiis adversum se instructis hostibus, ubi neutra pars committere audet, paulisper in loco retentis militibus, tanquam de industria utrinque receptui canitur.

XXXVII. Iamque Graeci, regressi ad naves, arma deponere ac singuli per loca solita corpus cibo curare occoeperant; quum Achilles, ultum ire cupiens iniurias, ignaros consilii sui nostros, et ob id otiose agentes, clam invadere tentat. At ubi Ulixes a custodibus, qui eruptionem eius

---

XXXVI. *nihil animis remiserat*) Consentiunt in hanc lectionem libri mei et Oudendorpii ad Apul. Met. III. p. 181.: conspirant etiam c. 50. *nihil iracundiae remiserit.* lib. III. 11. *nihil luctui remitteret.* 24. *nihil luctus neque praesentium miseriarum remissum.* Nostro loco Edd. *animi*: in ceteris nihil differunt a MSS. Lib. III. 11. Wopkens. p. 55. emendat *luctus*, damnante Oudendorpio. MSS. lectio *animis* vera videtur etiam Orellio, collato c. 39. *omnibus animis*; cui adiice c. 51. *atque animos remitteret.* Ego quoque a MSS. non discedo, et utrumque Septimio tribuo, *remitere nihil alicuius rei*, pendente Genitivo a voce *nihil*; et *remittere nihil alicui rei*, pendente Dativo a verbo *remittere. Animi* pro ira; cum quo nomine saepe coniungitur, docente Drakenb. ad Liv. VII. 10. 8.

indignatus) Crat. *indignatus Achilles.* Alius scriptor hic vix omisisset *erat.*

audet) Burmann. ad Val. Flacc. VI. 31. cidat *auderet.*

XXXVII. *ultum ire*) Uterque S. Gall. *ultum iri.* Bern. *iniri.* v. ad VI. 1. Longe infra S. Gall. opp. *preverso sibi nuncio.*

praesenserant, rem comperit, propere duces circumcursans magna voce monet atque hortatur, uti armis arreptis tuerentur sese: dein consilium incoeptumque Achillis singulis aperit: quo cognito clamor ingens oritur, festinantibus ad arma cunctis ac seorsum sibi singulis consulentibus. Ita Achilles, praeverso de se nuncio, ubi omnes in armis sunt, neque conata procedere queunt, intentato negotio ad tentoria regreditur. Ac mox duces nostri, rati repentino suorum clamore moveri Ilienses, et ob id novi quid negotii incoepturos, augendae custodiae causa mittunt duos Aiaces, Diomedem atque Ulixem; hique inter se regionem, qua aditus hostibus erat, dispertiunt. Quae res non frustra eos habuit. Namque apud Troiam Hector, causam tumultus eorum cupidus persciscere, filium Eumedis Dolonem, multis praemiis promissisque inlectum, ad postremum uti exploratum res Graecorum egrederetur, mittit: isque non longe a navibus, avidus ignara cognoscendi, dum cupit suscepti negotii fidem com-

---

Ulixem) Bern. *Ulixen*.. v. ad VI. 6. Mox libri *aditus hostibus*, non inverso ordine. Bern. om. *erat*. Crat. Ed. *dispartiunt*. Bene. v. ad I. 15.

cupidus persciscere) An *perdiscere?* v. Praefat. p. XLV. Infra pro *mittit* Crat. *emittit*.

ignara cognoscendi) Crat. *ignota*. v. Gloss. MSS. et Edd., item Oudendorp. ad Apul. Met. VII. p. 494. et Cort. ad Sall. Iug. 93. 3. *cognoscendi*. Mercerus adnotationi praefigens verba *ignara noscendi*, scribit: „Ita libri. Recte." *Noscere* pro cognoscere habes lib. III. 20. *reges avidi noscere causas*. V. 7. *uti fidem nuncii noscerent*. Tacit. Ann. IV. 33. Hist. II. 37. et aliis aliorum locis. Sed Merceri verba spectare suspicor vocem *ignara*, cuius loco antea *ignota* editum invenerit: *noscendi* autem vel ipsius Merceri vel typographi incuria adnotationi praefixum arbitror; in textu enim expressum video *cognoscendi*. Alioquin probo *noscendi*. — Infra pro *devenit* Ed. Princ. *advenit*.

plere, in manus Diomedis, qui cum locum cum Ulixe custodiebat, devenit: ac mox ab his comprehensus, refert cuncta atque occiditur.

XXXVIII. Dein diebus aliquot in otio tritis, productio utriusque exercitus praeparatur: divisoque inter se campo, qui medius inter Troiam atque naves interiacet, ubi tempus bellandi videbatur, magna cura universus miles instructus armis utrinque procedere. Dein signo dato, densatis frontibus conflixere acies, composite a Graecis, ac singulis per distributionem imperia ducum exsequentibus; contra sine modo atque ordine barbaris ruentibus. Ceterum in ea pugna interfecti utriusque partis multi mortales; quum neque instantibus cederetur, et exemplo strenuissimi cuiusque, qui iuxta steterat, aequiperare gloriam festinaret. Interim vulnerati graviter ex ducibus bello decedere coacti sunt: barbarorum Aeneas, Sarpedon, Glaucus, Euphorbus, Polydamas; nostrorum Ulixes, Meriones, Eumelus.

XXXIX. Ceterum Menelaus forte conspica-

XXXVIII. *atque naves*) Ita libri, non *et nav.* Pro *bellandi* Bern. *debellandi.* et infra *confluxere* pro *conflixere.*

composite a Gr., ac sing.) Nullus dubitabit, quin sic scripserit et distinxerit Septimius. v. Gloss. Libri mei et Obr. *composite a Gr. aç singulis*, quod placet Wopkensio p. 38. Ed. Merc. *compositae, Gr. ac sing.* ut et Perizon. Diss. §. XLI. exhibet. Al. *compositae a Gr., ac sing.*

aequiperare) Auctoritate S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. restitui Septimio antiquam formam, a glossographis servatam, nec non in multis optimis Codd. Nepotis, Ciceronis et Virgilii inventam. In cett. *aequiparare.*

festinaret) Crat. *festinarent.* Male; nam sic expedienda oratio: et strenuissimo cuique *ille*, qui iuxta strenuissimum stetit, aequiperare gloriam festinaret: ut explicuisse video etiam Wopkens. p. 38.

tus Alexandrum, magno impetu inruit: quem evitans neque diutius sustinere ausus Alexander, fugam capit. At ubi procul animadvertit Hector, concurrens cum Deiphobo, comprehendere fratrem, eumque verbis maledictis acrioribus insecuti, ad postremum cogunt, ut progressus in medias acies eundem Menelaum, conquiescentibus reliquis, solitario certamine lacesseret. Igitur reducto ad bellandum Alexandro progressoque ante aciem, quod signum lacessentibus videbatur, postquam procul animadvertit Menelaus, nunc demum occasionem invadendi inimicissimum sibi maxime oblatam ratus, et iam iamque confidens omnium iniuriarum poenas lui sanguine eius,

---

XXXIX. *inruit*) Ed. Merc. *ruit*.

At ubi proc.) Ne corrigas cum Vindingio *Id ubi*, sed intelligas modo: id, illud. Mox: *postquam procul animadvertit Menelaus*. intell. hunc; quod prave addit Ed. Crat. Eadem attulit contra Vindingium Wopk. l. l. Dares c. 2. *Ubi audivit Laomedon rex, commotus est.* intell. illud. Idem c. 10. extr. *Menelao postquam in Pylo nunciatum est.* intell. hoc. Et saepe ita Dares. Recte etiam Wopkensius impugnat Vindingium, in sequentibus pro *cogunt* melius ducentem *cogere*, ob antecedens *comprehendere*. Cf. ad I. 22. — Infra *eum* MSS., non *eumque*.

verbis maledictis acrioribus) Ita Ed. Merc. et Dacer. Wopkens. p. 39. fingit *acerbis maledictis et probris*. Correxeram aliquando levi manu *verbis maledicis*. Terent. Phorm. I. 4. 36. *saevidicis dictis*. Sed ecce Plaut. Asin. II. 4. 77. *pro vestris dictis maledictis*. Plauto autem alia quoque debet Septimius. Libri mei et cett. Edd. *verbis maledictisque*.

reducto ad bellandum) Bern., Ed. Merc. et Obr. *reducto ad bellum*. Crat. *producto ad bellandum*. Uterque S. Gall. et Ed. Princ. *seducto ad bellandum*. quod esset: seorsum, separatim ab exercitus militibus, ductus ad certamen. Concinnius ad superius *fugam capit* nectitur *reducto*, i. e. reducto ad pugnam, quam fuga reliquerat; reducto ex fuga ad pugnam; plane ut lib. III. 8. *plerisque ex fuga reductis*. — Mox Ed. Princ. *praegressoque*. S. Gall. opp. *ante faciem*.

signum lacessentibus) Ita MSS. et Ed. Princ. Recte. *Lacessentibus* ponitur casu tertio. *Videbatur* accipe pro: erat. v. Gloss. ad I. 9. — Infra Bern. *evadendi*. Ed. Crat. *inimicissimi*.

ratus) S. Gall. opp. et Ed. Princ. *iratus*. Etiam Bern. *iratus* sed puncto literae *i* subscripto, delendi signo. Mox Ed. Merc. *et*

omnibus animis advorsum pergit. Sed ubi eos contra se tendere paratos armis atque animis uterque exercitus animadvertit, signo dato recedunt cuncti.

XL. Iamque uterque pleno gradu advorsum cedens, intra iactum teli pervenerant, quum Alexander, praevenire cupiens, simulque ratus, primo iaculi eventu locum vulneri inventurum, praemittit hastam; eaque illisa clypeo facile decussa est. Dein Menelaus magno impetu iaculatur, haud sane dissimili casu: namque parato iam ad cavendum ictumque declinante hoste, telum humi figitur. At ubi novis iaculis manus utriusque redarmatae sunt, pergunt. Tum demum Alexander, ictus femur, cadit: ac ne mox hosti ultionem cum summa gloria concederet, pessimo exemplo intercessum est. Namque quum ad interficien-

---

iam conf. Bern., Ed. Princ. et Crat. *etiam iamque* i. e. *et iam iamque*, ut legitur in utroque S. Gall. et Ed. Obr. Habuimus *iam iamque* supra c. 26.

advorsum p.) Ita S. Gall. sec. IX. et Bern., non *advers.* Infra Ed. Crat. *contra tendere*. om. *se*.

paratos armis atque animis) Exsulat *animis* a libris meis (excepto S. Gall. sec. IX.), Merceri et Obr. Mercerum, hinc coniectantem *paratos armis aeque ut. ex.*, impugnant Obrechtus, Wopkens. p. 39 et Burmann. ad Virgil. Aen. II. 799, qui recte tuentur vulgatam lectionem *armis atque animis*, visam mihi etiam in antiquissimo Cod. S. Gall. Hegesipp. IV. 2. *Estote parati armis, animis*. ubi vet. Cod. om. *armis*, simili sorte. cf. Gloss.

XL. *advorsum cedens*) Consentiunt libri mei et Merceri. Varie tentant *cedens* viri docti. Ed. Obr. et Crat. *incedens*. v. Wopk. p. 39. et Gloss.

decussa) Crat. *incussa*. Malc. Hom. Il. III. 348. *οὐδ' ἐῤῥηξεν χαλκόν· ἀνεγνάμφθη δέ οἱ αἰχμὴ ἀσπίδ' ἐνὶ κρατερῇ.*

pergunt) Recte; intelligendum enim: pergunt in certando. S. Gall. sec. IX., Ed. Crat. et Obr. addunt *contra*.

ac ne mox) Praestare *at ne* putat Wopkens. p. 40.

Namque quum) Revocavi *que* ex libris meis. Antea *Nam quum*. Mox Crat. *irrueret*.

dum eum educto gladio prorueret Menelaus, ex occulto sagitta Pandari vulneratus, in ipso impetu repressus est. Igitur ab nostris clamore orto, simulque cum ira indignantibus, quod, duobus seorsum adversum se, hisque maxime, quorum gratia bellum conflatum esset, decernentibus, repente a Troianis pessimo more intercederetur, rursus globus barbarorum ingruens, Alexandrum e medio rapit.

XLI. Interim in ea permixtione, dum nostri haesitant, Pandarus procul astans multos Graecorum sagittis configit. Neque prius finis factus, quam Diomedes, atrocitate rei motus progressusque, cominus telo hostem prosterneret. Hoc modo Pandarus, certaminis foedere violato, atque ob id interemptis multis, ad postremum poenas scelestissimae militiae luit. Ceterum corpus eius liberatum ex acie Priamidae igni cremant: reliquiasque socii traditas sibi Lyciam in solum patrium pertulere. Interim uterque exercitus signo dato manus conserunt: pugnantesque vi summa atque ancipiti fortuna, bellum ad occasum solis

---

e medio) S. Gall. sec. IX. a m. pr. *de medio.* sed litera *d* erasa.

XLI. *in ea permixtione*) S. Gall. sec. IX et Ed. Princ. om. *in.* Ed. Crat. addit *animorum.* Melius interpres inculcasset *armorum.* Mox S. Gall. opp. *haesitarent.* S. Gall. sec. IX. *adstans.*

cominus) S. Gall. sec. IX. hic et ubique in Septimio *comminus.*

atque ob id inter.) Revocavi voces *ob id* ex libris meis, cum antea omitterentur.

scelestissimae mil.) Huic utriusque S. Gall. lectioni favet Bern. *scelestae.* Edd. *sceleratissimae.* Isidor. Different. II. fol. 143. G. 1. *sceleratus suo scelere vel alieno contaminatus, scelestus scelerum cogitator.*

Lyciam) Crat. *Lycii.* Infra libri *utriusque exercitus.* Bern. *vi magna.* Uterque S. Gall. et Ed. Princ. *communivere*, non *communiere.*

producunt. Sed ubi nox adventabat, utrinque reges, subducta haud longe acie, custodibus idoneis exercitus communivere. Ita per aliquot dies tempus bellandi opperientes, militem frequentem apud arma frustra habuere. Namque ubi hiems adventare et imbribus crebris compleri coepere campi, barbari intra muros abeunt. At nostri, nullo palam hoste, digressi ad naves munia hiemis disponunt: moxque bipartito campo, qui reliquus non pugnae opportunus erat, utraque pars aratui insistere, serere frumenta, aliaque, quae tempus anni patiebatur, parare. Interim Aiax Telamonius instructo milite, quem secum adduxerat, habens etiam nonnullos de exercitu Achillis, ingressus Phrygiae regionem multa hostiliter

---

apud arma) S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. om. *apud*. Bern., S. Gall. opp. et Ed. Merc. *in arma*. ex quo Vindingius et Daceria fecere *in armis*. Ed. Obr. *freq. armatum*. quod fluxisse videtur ex correctione, qualis est Vindingii: solet quippe *in armis esse* explicari: armatum esse. v. Cort. ad Sall. Cat. 37. 6. Certius mihi visum, recipere lectionem Ed. Crat. *apud arma*. quam formulam loquendi, amatam Septimio, tentatam vidimus etiam c. 35. Cf. c. 45. *iubent omnes frequentes apud arma agere*.

qui reliq. non p.) S. Gall. opp. *reliquis*. Perizonio Diss. § XXXIX. legendum videtur *qui rel., nec pugnae opp*. Vindingio *quia reliq*. v. Gloss. Supra Ed. Crat. et Merc. *bipartito*.

serere frumenta) Lege ex Mediol. *dein serere frum*. Obrecht. Etiam Crat. *dein serere fr*. Sed abest *dein* a libris meis et Ed. Merc. Etiam *serere* ignoratur a S. Gall. opp., Ed. Princ. et Merc. Sequens *parare* ex Bern., S. Gall. opp. et Ed. Merc. retinui, cum necessarium ad commodam sententiam videatur.

adduxerat) Heinsius ad Ovid. Epist. X. 59. bene suum Cod. habere iudicat *advexerat*. Recte Wopkens. p. 40. praetulit *adduxerat*. Pedes et terrestri itinere duxit milites Aiax usque in Phrygiam. Cf. Oudendorp. ad Caes. B. G. IV. 22.

habens etiam nonnullos) Frustra Heinsium l. l. de coniectura emendasse *addens etiam*, recte pronuntiat ostenditque Wopkens. p. 41. Graec. *ἔχων δὲ καὶ τινας*.

multa host. vastat) Heinsii ad Ovid. l. l. et Vell. Pat. II. 116. coniecturam *culta host. v.*, acutam magis, quam veram aut necessariam, aptissimis exemplis damnavit Wopkensius. In voce *multa*

vastat, capit civitates, ac post paucos dies, praeda auctus, ad exercitum victor revenit.

XLII. Hisdem fere diebus barbari, nostris per conditionem hiemis quietis nihilque hostile suspicantibus, paravere eruptionem: queis Hector dux atque audendi auctor factus. Is namque omnes copias instructas armis cum luce simul porta educit, ac protinus cursu pleno ad naves tendere atque invadere hostes iubet. At Graii, infrequentes tum incuriosique ab armis, turbari simul, et a fugientibus, quos primos hostis incesserat, quo minus arma caperent, impediri: tum caesi multi mortales: iamque fusis, qui in medio fuerant, Hector ad naves progressus, ignem in proras iacere ac saevire incendiis coeperat, nullo nostrorum auso resistere: qui territi atque improviso tumultu exsangues, genibus Achillis, auxilium renuentis,

---

offendit etiam, qui auctor est Ed. Crat. lectionis *multas host. vast. et capit civitates.*

praeda auctus) Bern. *actus.* Mox pro *revenit* Cod. Heinsii ad Ovid. l. l. *revertit.* Crat. *rediit.* Cf. ad I. 20.

XLII. *Hisdem fere diebus*) Lib. III. 1. *Hisdem fere diebus nuncius apportatur.* Crat. *Iisdem.* Utroque loco *Hisdem* praeferre optimam Stephani editionem, adnotat Arntzen. ad Aurel. Vict. Epit. c. 41. p. 570 (*et forte hisden diebus*), ubi alia id genus afferuntur. Cf. Gloss.

Queis Hector) Ita Bern., Ed. Merc. et Obr. Al. *Quis.* v. ad I. 15. Mox pro *audendi* Bern. *audiendi.* Ed. Obr. *factus, omnes copias.* In seq. S. Gall. opp. om. *pleno.* Ed. Princ. *ad navesque.* et Crat. *ad naves tendere omnes atque.*

Graii) S. Gall. opp. *Graeci.* In seq. Ed. Merc. om. *tum.* Crat. om. *tum* et *que.* Eaedem *turbati-impediti.*

simul et a fug.) Ita Ed. Crat. et Obr., restituitque ex MSS. Oudendorp. ad Apul. Met. III. p. 189. Ed. Merc. om. *et.* Libri mei om. *a.* De nexu *simul et* diximus ad c. 32.

quos primos) Hanc Perizonii Diss. §. XXXIX. emendationem nexus sententiarum efflagitat. Antea *primus.* Ed. Crat. *primum.*

progressus) Bern. *progressi* Pro seq. *coeperat* Ed. Princ. et Obr. *occoeperat.* Bene. Infra Ed. Princ. *renuens.*

tamen obvolvebantur: tanta repente mutatio animorum nostros atque hostes incesserat.

XLIII. Interea Aiax Telamonius adveniens, cognito apud naves Hectore, magna armorum specie ibidem apparuit; ac dein mole sua urgens hostem, multo sudore ad postremum a navibus extra vallum detrudit. Tum iam cedentibus acrior insistens, Hectorem, qui advorsus eum promptus steterat, ictum immani saxo, ac mox consternatum deiicit. Sed eum concurrentes undique plurimi multitudine sua tectum, bello atque Aiacis manibus eripiunt, seminecemque intra muros ferunt, male prospera eruptione adversus hostes usum. Ceterum Aiax, saevior ob ereptam e manibus gloriam, assumptis iam Diomede et cum

---

obvolvebantur) Ed. Obr. *advolv.* contra MSS. et Edd. vett., in quibus hic et ubique servatur propria Septimio formula *genibus obvolvi*, de cuius integritate male dubitat Wasseus ad Sall. Hist. VI. 20. v. Praefat. p. XLV. Interpolatorem arguit Ed. Crat. *genibus Achillis provoluti*, *aux. ren.*, *tamen obvolvebantur*. *Ita rep.* Paulo infra Ed. Obr. *nostrosque atque host.*

XLIII. *ac dein*) Ciofan. ad. Ovid. Met. XIII. 86. om. *ac.*

mole sua urgens) Etsi quicquam immutare nisi praecedentibus libris religio est, non potui tamen, quin hic *mole sua* edi curarem, pro *molestia*, ut edita manuque exarata exemplaria exhibent, quae vidi, omnia. Ut hic *mole sua* Hectorem Aiax urget, sic apud Virgilium Aen. X. 771. Mezentius contra Aeneam *mole sua stat.* Infra IV. 6. noster de eodem: *gravis ac summis viribus ingruens.* OBRECHT. Etiam libri mei *molestia.*

ad postremum) Retinui *ad* praepos., in hac formula Septimio adamatam, cum absit ab utroque S. Gall. et Ed. Princ.

a navibus) Abest praepos. *a* a MSS. meis et Ed. Princ. Cf. Lucan. VI. 175. *hostem muris detrudere.* Virgil. Aen. VII. 469. *hostem finibus detrudere.*

advorsus eum) Ita S. Gall. sec. IX., Bern. et Ed. Princ., non *advers.* Mox Ed. Crat., Merc. et quae has secutae sunt, ut et Ciofan. l. l. *promptius.* Non aliter exaratur in S. Gall. sec. IX, sed litera *i* puncto notata est, delendi signo.

deiicit) Ed. Princ. *deiecit.* Bern. *deicit*, de qua forma ad c. 35. Ed. Crat. et Ciofan. l. l. *eiicit.*

Idomeneo Aiace altero, territos dispersosque sequi; ac fugientes nunc telo eminus prosternere, modo apprehensos obterere armis: prorsus nullo, qui in ea parte fuerat, intacto. Inter quae tam trepida Glaucus Hippolochi, Sarpedon atque Asteropaeus, ad morandum hostem paulisper ausi resistere, mox vulneribus gravati locum amisere: queis versis, barbari nullam spem reliquam salutis rati, sine rectoribus, neque usquam certo ordine, palantes effusique ruere ad portas; eoque arto et properantium multitudine impedito ingressu, quum super alium alius ruinae modo praecipitarentur, supervenit cum supradictis ducibus Aiax. Tum magna vis barbarorum trepida impeditaque inter se, caesa exstinctaque: in queis Priami filiorum Antiphus et Polites, Pammon Mestorque, atque Euphemus Troezenius, dux egregius Ciconum.

XLIV. Ita Troiani paulo ante victores, ubi adventu Aiacis fortuna belli mutata est, versis ducibus poenas luere militiae inconsultae. At postquam adventante vespera signum nostris

---

Queis versis barb. null.) *Queis* dedi ex Ed. Merc. et Obr.; ordinem verborum ex libris meis. In his enim *Quis*, in illis Edd. *null. barb.* Ed. Crat. post *versis* intrudit *in fugam*.

arto) Ed. Merc. et Crat. *arcto*. Dacer. *atro*. ex quo Wasseus ad Sall. Iug. 62. facit *arto*.

exstinctaque) Ed. Princ. addit *est*. Mox *in queis* Ed. Merc. et Obr. Libri mei *in quis*. Cf. ad I. 15.

Pam. Mestorque atque Euph.) Libri mei et Merceri *Ammon Nestorque Euphimus*. Ed. Crat. *Ac modo Nestor atque Euphem.* Scribendum Mercerus censet *Pammon, Mestor atque Euph.*, et sic exprimitur in Ed. Obr. *Mestor* et *Nestor* mutant etiam in MSS. Apul. Apol. p. 489. Quid autem, quod lib. VI. 9. Priami filius *Mestor* (ubi plurimi MSS. *Nestor*) post deletam Troiam cum Neoptolemo in Thessaliam navigasse traditur?

XLIV. *At postquam*) Ita S. Gall. sec. IX. et Ed. Crat., non *inconsultae: ac postq.*

receptui datum est, victores laetique ad naves regressi, mox ab Agamemnone coenatum deducuntur. Ibi Aiax conlaudatus a rege donis egregiis honoratur: neque reliqui duces facta gestaque viri silentio remittunt: quippe singuli extollentes virtutem memorare fortia facta, eversas ab eo tot Phrygiae civitates, abductasque praedas, et ad postremum in ipsis navibus adversum Hectorem egregiam pugnam, liberatasque igni classes. Neque cuiquam dubium, quin ea tempestate, tot egregiis ac pulcherrimis eius facinoribus, spes omnes atque opes militiae in tali viro sisterentur. Ceterum proras duarum navium, quibus illatus ignis eam partem tantummodo consumserat, Epios brevi restituit. Tumque Graeci, rati post malam pugnam Troianos ulterius nihil hostile ausuros, quieti ac sine terrore egere.

XLV. Per idem tempus Rhesus, Eione genitus, haud alienus a Priami amicitia, pacta mercede cum magnis Thracum copiis adventabat. Is incedente iam vespera paulisper moratus apud

---

viri silentio remitt.) Bern. et S. Gall. opp. *virili silentio.* Wopkens. p. 42, qui in Ed. Dacer. vidit *admittunt*, suspicatur *omittunt*. Nihil horum latinum est. Dicitur autem *silentio praetermittere*, *transire*, *praeterire*, ut c. 51.

fortia facta) Ed. Princ. *facta fortia*. v. ad c. 25. Praeterea Ed. Crat. *memorant.*

Epios) Ed. Princ. *Epius restitit brevi.* Tum S. Gall. opp. *Tuncque*. Bern. *rati prius malam*. Pro *egere* Crat. *degere*.

XLV. *Eione*) *Eioneus* et *Deioneus* iidem sunt, ut et *Thamyris* et *Amyris* cet. Sic apud Dictyn II. 45. opinor scribi debere *Rhesus Deioneo genitus*, ut est in vet. Cod., quem possideo; vulgo *de Eroneo*. Homero *Ῥῆσος παῖς Ἠιονῆος*; unde Mercerus *Eione genitus*. Heinsius ad Ovid. Met. VII. 672. Sed S. Gall. sec. IX. et meus Bern. *Sisione*. S. Gall. opp. *ione*. Ed. Princ. *love*. Crat. *de Eroneo*. — Mox S. Gall. opp. *parta merc.*

incedente iam vespera) Ed. Crat. et Obr. *incidente iam vespera.*

peninsulam, quae, anteposita civitati, continenti eius adiungitur; secunda circiter vigilia ingressus Troianos campos, explicitisque tentoriis, ibidem opperiebatur. Quod ubi Diomedes cum Ulixe, vigilias in ea parte curantes, procul animadvertere, rati Troianos a Priamo exploratum missos, arreptis armis, mox presso gradu circumspicientesque omnia pergunt ad eum locum. Tum fatigatis ex itinere custodibus et ob id somno pressis, eosque et, interius progressi, in ipsis tentoriis regem interficiunt. Dein nihil ultra audendum rati, currum eius et cum egregiis insignibus equos ad naves ducunt. Ita reliquum noctis in suis quisque tabernaculis requiescentes transigunt. At lucis principio reliquos duces conveniunt, eos facinus ausum expletumque docent. Ac mox, rati barbaros incensos caede regis affore, iubent omnes frequentes apud arma agere opperirique hostem.

XLVI. Neque multo post Thraces, ubi expergefacti e somno regem interemtum, foedam faciem

---

Merc. *incidente vespera.* S. Gall, opp. *incidenti vespera.* Sed Ed. Princ. *cedenti a vespera.* Bern. *incedenti vespera.* atque S. Gall. sec. IX. *incedenti avespera* i. e. *incedente iavespera.* i. e. *incedente iam vespera.* Cf. Gloss.

peninsulam) S. Gall. opp. *pennininsulam.* Ed. Princ. *peyn insulam.* Crat. *Oen insulam.* Errares, si in his nomen insulae latere putares; nam *peninsula* corrumpitur in *pene insula* et *poene insula* in plurimis libris etiam V. 17. et alibi. Cf. Obss.

quae anteposita civitati) Ita ex Ed. Mediol. rescripsit Obrechtus, et ex MSS. suis Oudend. ad Apul. Met. IV. p. 247. Libri mei et al. *quae ante positam civitatem.* Mox Ed. Crat. *secundam circ. vigiliam.*

circumspicientesque) Ita libri mei. Recte, iam iudice Orellio. Al. *circumspicientes.* Ad finem cap. pro *affore* libri mei *adire.*

XLVI. *Thraces ubi exp.*) Ed. Crat. *Thraces viri exp. e somno, ubi regem interemptum foeda ac miseranda facie intra tent. anim.* Foeda huius interpolationis facies.

intra tentoria animadvertere, et vestigia abducti currus manifesta sunt; raptim ac sine ullis ordinibus, ut quemque fors conglobaverat, ad naves evolant. Quibus procul visis, nostri conferti inter se atque imperia servantes eunt obviam. Sed Aiaces duo, in aliquantum acie progressi, primos Thracum invadunt atque opprimunt. Dein reliqui duces, ut quisque locum ceperat, caedere singulos; et ubi conferti steterant, bini aut amplius congregati, impetu suo dissolvere; ac mox dispersos palantesque interficere: prorsus uti nullus reliquus caedis fieret. Ac statim Graii, exstinctis qui advorsum ierant, signo dato ad tentoria eorum pergunt. At illi, qui custodes castris relicti soli supererant, visis contra hostibus, terrore ipso miserandum in modum effeminati, omnibus omissis ad moenia confugiunt. Tum undique versus nostri irruentes, arma, equos, regias opes, et ad postremum, uti quidque fors dederat, praeripiunt.

---

raptim) Argent. Obrechti et Ed. Princ. *rapiunt*. Mediol. Obrechti *rapiunt arma*. S. Gall. opp. *rapti*.

fors) Certatim pro *sors* viri docti restituerunt *fors*, ut Perizon. Diss. §. XXXIX, Wass. et Cort. ad Sall. Iug. 97 (102), Arntzen. ad Aurel. Vict. de Vir. Ill. c. 13. p. 99, Wopkens. p. 42. Atque *fors* exaratur in S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. Cf Gloss. Praeterea frustra tentatur *ut quemque*. v. Wopk. Pro *evolant* Wasseus l. l. vult *advolant*. At vid. Gloss.

conferti inter se) Bern. hic et infra *conserti*. S. Gall. opp. *confestim*. Ed. Crat. *conferunt inter se*. Infra *in aliq. acie. pr.* recepi ex Ed. Obr. A libris meis et Merc. abest *acie*. Ed. Crat. *in aciem*. Sequens *conferti* om. Merc.

prorsus uti null.) Vocem *prorsus*, quam ignorant libri mei et Ed. Merc., retinui cum Ed. Crat. et Obr. Cf. Gloss. ad I. 19. Infra *advorsum* S. Gall. sec. IX et Bern., non *advers*.

supererant) S. Gall. opp. *superant*. Ed. Crat. et Merc. *superfuerant*. Infra ex Ed. Crat. rescripsi *omnibus omissis*. cum in cett., ut et MSS. *amissis*. Lib. I. 22. *omissis omnibus ad lucum pergit*.

uti quidque fors ded.) Perperam libri mei om. *uti*, estque in

XLVII. Hoc modo victores Graii, deletis cum imperatore Thracibus, onusti praeda atque victoria ad naves digrediuntur: quum interim Troiani ex muris respectantes, nequicquam pro sociis, intra moenia tamen trepidarent. Igitur barbari, tot iam adversis rebus fracti, legatos inducias postulantes ad Graecos mittunt: ac mox, nostris conditionem approbantibus, interposito sacrificio fidem pacti firmavere. Eodem fere tempore Chryses, quem sacerdotem Sminthii Apollinis supra memoravimus, ad exercitum venit, actum gratias super his, quae in se recepta filia benigne ab nostris gesta erant: ob quae tam honorifica simul, et quod Astynomen liberaliter habitam cognoverat, reductam secum Agamemnoni tradit. Neque multo post Philocteta cum his, qui partem praedae ad eum portaverant, Lemno regreditur, invalidus etiam tum, neque satis firmo gressu.

Ed. Princ. *quidquid*. Bene contra S. Gall. uterque et Ed. Princ. exhibent *fors*; ut legendum statuit iam Arnzten. ad Aurel. Vict. I. I. Antea *sors* edebatur.

XLVII. *ex muris respectantes*) Ex lib. III. 13 et 20. Perizonius Diss. §. XXXIX, et ex Cod. Periz. Oudendorpius ad Apul. Met. VI. p. 402. legendum esse contendunt *despectantes*. Contra videatur Obrechtus in Gloss.

nequicquam pro soc.) S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *neque quicquam*. in margine tamen S. Gall. *nequicquam*. S. Gall. opp. *vel nequiquam neque quicquam*. Bern *vel nequicquam neque cuiquam* Ed. Crat. *neque quicquam pro soc. ausi, int. m. t. trepidabant.* Ex Cod. Periz. Oudendorpius ad Apul. Met. VI p 402. legit *nequidquam p. soc. ausi*. Acquievi in leçtione Ed. Merc. et Obr., quam explico in Gloss. Saepe librarii *nequicquam* corruperunt in *neque quicquam*; quo et nostro loco facto, adiectum deinceps *ausi*.

Sminthii) Libri *Zminthii*. Infra Ed. Princ. *benigna*.

honirif. simul, et quod) Sic ex MSS. legit Oudend. ad Apul. Met. III. p. 189. Favet Ed. Crat. In cett. ut et MSS. om. *et*, atque in Ed. Merc. pro *honorifica* excuditur *magnifica*. De nexu *simul et* v. ad c. 32.

XLVIII. Interea consilium Graecis agentibus, Aiax Telamonius in medium progressus docet, *oportere mitti ad Achillem precatores, qui eum imperatorum verbis atque exercitus peterent, remittere iras ac repetere solitam cum suis gratiam: minime quippe aspernandum talem virum, nunc vel maxime, quum secundis rebus Graeci et paulo ante victores, non ob utilitatem, sed honoris merito gratiam eius peterent.* Inter quae deprecari etiam Agamemnonem, *daret operam simul voluntatemque agendo negotio adhiberet: namque tali tempore in commune ab omnibus consulendum, praesertim procul ab domo, locis alienis atque hostilibus: neque se aliter inter tam gravia bella, undique versus inimicis regionibus, quam concordia tutos fore.* At ubi finem loquendi fecit, cuncti duces laudare consilium viri, simulque praedicantes ad coelum tollere, scilicet quod cum virtute corporis, tum ingenio universos anteiret. Post quae Agamemnon docere, se et ante ad reconciliandum Achillem multos misisse, et nunc nihil aliud cordi esse. Ac mox Ulixem atque ipsum Aiacem orare, susciperent negotium, atque

---

LXVIII. *peterent remittere-repetere*) Oudendorp. ad Sueton. Tib. 11. ex MS. Periz. corrigit *peterent, remitteret-repeteret.* cui favet Ed. Crat. *peterent, ut remitteret-repeteret.* Sed Infinitivum praeter Ed. Merc. et Obr. tuentur libri mei, quorum, cum utrumque latinum sit, respexi auctoritatem.

laudare) Ita libri mei. Ed. Obr. *collaudare.* Crat. et Merc. *collaudavere.* Infra S. Gall. opp. *universosque* et *doceret.*

Achillem) Bern. *Achillen.* Eandem formam lib. IV. 11. habet Ed. Princ. Pariter lib. VI. 2. Ed. Princ. *Diomeden*; lib. VI. 2. S. Gall. opp. et lib. VI. 4. Bern. bis *Oresten*; lib. II. 26. S. Gall. opp. et Ed. Princ. *Ganymeden*; lib. III. 5. Ed. Princ. *Phylaemenen.* Scio equidem hunc Accusativum admitti posse; sed fluxus et inconstans librorum consensus dubitationem efficit. cf. ad I. 9. et VI. 6.

ad eum nomine omnium irent; maxime quod Aiax, cognatione fretus, impetraturus veniam facilius credebatur. Igitur his operam suam pollicentibus, iturum se una Diomedes sponte ait.

XLIX. His actis Agamemnon afferre hostias lictores iubet, ac mox sublata super terram, quum duo, quibus imperatum erat, suspensam retinerent, gladium vagina educit, eoque bifariam excisam hostiam in conspectu, uti diviserat, collocat: dein ferrum sanguine oblitum manu retinens, inter utramque sacri partem medius vadit. Interim Patroclus, cognito quod parabatur, in consilium supervenit. At rex, sicut supra diximus, transgressus, ad postremum iurat, inviolatam a se in eum diem Hippodamiam mansisse: neque cupiditate ulla aut desiderio lapsum, sed ira, qua plurima mala conficiuntur, eo usque processisse. His addit, cupere se praeterea, si etiam ipsi videretur, filiarum, quae ei cordi esset, in matrimonium dare; decimamque regni omnis, ac talenta

---

XLIX. *sublata - quum - suspensam retin.*) Ed. Crat. *sublatam - quum eam - susp. tenerent*. ab interprete. De Ablativo absoluto dixi in Gloss. ad c. 19. Infra Crat. *collocare*.

inter utramque - medius vadit) Ita est in utroque S. Gall., Ed. Princ. et Crat., atque cum MS. Periz. et Ed. Obr. legit Oudendorp. ad Sueton. Calig. 22, qui comparat lib. I. 10. *Priamus inter regulos medius astans*. aliaque de formula *medius inter* extulit. Bern., Ed. Merc., Dacer. et Vindingius *in utramque*; qui, aeque ac Daceria, scribi vult *inter utramque*. Recte. Liv. XL. 6. *inter hanc divisam hostiam copiae armatae traducuntur*.

in consilium) S. Gall. sec. IX, Bern., Ed. Princ. et Crat. *concilium*. Sed infra *qui in consilio erant*. c. 48. *consilium Graecis agentibus*. Tribus autem his locis de eodem consilio sermo est. Cf. ad I. 6 et 8. Mox S. Gall. opp. *Ac rex*.

disiderio lapsum) S. Gall. sec. IX., Argent. Obrechti et Ed. Princ. *laesam*. S. Gall. opp., Bern., Ed. Crat. et Merc. *laesum*. Ex Ed. Mediol. Obrechtus rescripsit *lapsum*, quod placet Wopkensio p. 44. Recte. v. Gloss.

quinquaginta doti adiungit. Quae ubi accepere, qui in consilio erant, admirari magnificentiam regis, maximeque Patroclus: qui cum oblatione tantarum opum, tum praecipue laetus, quod intacta Hippodamia affirmaretur, ad Achillem venit, eique universa gesta atque acta refert.

L. Dein ubi rex ea, quae audiverat, volutare animo ac deliberare secum ipse occoepit, supervenit cum supradictis Aiax. Tum ingressos eos ac iam benigne salutatos sedere hortatur, iuxtaque se Aiacem. Qui, tempus loquendi nactus familiariter et ob id liberius, incusare atque increpare, *quod in magnis discriminibus suorum nihil iracundiae remiserit, potueritque cladem exercitus perpeti, quum eum multi amici, plurimi etiam affinium obvoluti genibus deprecarentur.* Post quem Ulixes, *illa quidem deorum esse,* ait: eorum autem, quae in consilio acta essent, ordine exposito, quae etiam Agamemnon pollicitus, quaeque iu-

---

doti) Wopkensio magis placet *dotis*. Mox Bern., S. Gall. opp. et Ed. Princ. *uti accepere*.

gesta atque acta) Ed. Crat. et Obr. *gesta actaque*. Bene. Cf. Gloss. ad. c. 21.

L. *audiverat*) Edd. vulg. *audierat*. Mox S. Gall. opp. om. *ipse*.

temp. loq. nactus fam.) Ed. Obr. *temp. loq. fam. et ob id lib. nactus, incus.* qui ordo addicit Wopkensio. Sed etiam qui in MSS. et cett. Edd. deprehenditur verborum ordo nihil habet offensionis, si modo malam interpunctionem (*temp. loq. nactus fam., et ob id liberius incus.*) sanaveris. *Liberius* enim ne seiungatur a *loquendi*. cf. Plaut. Trin. 4. 2. 156. *libere loquendi videtur tempus venisse atque occasio*.

Post quem Ul.) Bern. *Post quae*. Cf. ad c. 21.

illa quidem deorum esse) Codicum absque auctoritate nihil mutaverim; impense tamen placeret, si quis MS. daret: *illa* (vel *illam*, scil. cladem modo memoratam) *quidem deorum iram esse ait*. i. e. irae divinae effectum, cet. Wopkens. Quanto MSS. et Edd. lectio superet Wopkensii importunam doctrinam, nemo non videt.

rasset; ad postremum orat, *ne preces omnium, neve oblatas nuptias aspernaretur:* moxque eorum omnium, quae una offerebantur, enumerationem facit.

LI. Tum Achilles longam exorsus orationem, primum omnium acta gestaque sua exponere; ac dein admonere, *quantas aerumnas pro utilitate omnium pertulerit, quas civitates aggressus ceperit: cunctis interim requiescentibus, ipse anxius, ac dies noctesque bello intentus: et quum neque militibus suis neque sibi ipsi parceret, asportatas nihilominus praedas in commune solitum redigere: pro queis solum omnium se electum, qui tam insigni iniuria dehonestaretur; solum ita contemtum, a quo Hippodamia, tot laborum pretium, per dedecus abstraheretur: neque in ea culpa solum esse Agamemnonem, sed maxime ceteros Graecos, qui, immemores beneficiorum, contumeliam suam silentio praeterierint.* Postquam finem loquendi fecit, Diomedes, *Praeterita,* ait, *omittenda sunt, neque oportet prudentem meminisse transactorum, quando ea, etsi maxime cupias, nequeas revocare.* Interea Phoenix et cum eo Patroclus, circumstantes, genas atque omnem vultum iuvenis, manus adosculari, contingere genua, *rediret in gratiam, atque*

LI. *Tum Ach.*) Bern. et Ed. Princ. *Tunc.* Mox libri *long. exors. orat.*, non *long. orat ex.* Infra S. Gall. opp. *ammonere* i. e. *admon.*

asportatas) Ita libri mei, citatque ex MSS. Voss., Periz. et Ed. Obr. Oudendorpius ad Apul. Met. VIII. p. 548. Al. *apport.*

pro queis) Ita Ed. Merc. et Obr. Cf. ad I. 15. Libri *quis* Infra Ed. Merc. om. *per dedecus.*

vultum iuv., manus adosc., cont.) Ed. Princ. et Obr. *vult. iuv. adosc., manu cont. gen.* Transposuit scilicet nescio quis ordinem verborum, qualis exstat in S. Gall. sec. IX. *vult. iuv manu adoscul., cont. gen.* Sed omissam in voce *manu* literam *s* arbitror, re-

animos remitteret, cum propter praesentes, qui eum oratum venissent, tum praecipue ob bene de se meritum reliquum exercitum.

LII. Igitur Achilles praesentia talium virorum, precibus familiarium ac recordatione innoxii exercitus tandem flexus, ad postremum facturum se, quae vellent, respondit: dein hortatu Aiacis tum primum post malam iracundiam Graecis mixtus, consilium ingreditur, atque ab Agamemnone regio more salutatur. Interea reliquis ducibus favorem attollentibus, gaudio laetitiaque cuncta completa sunt. Igitur Agamemnon manum Achillis retentans, eumque et reliquos duces ad coenam deducit: ac paullo post inter epulas, quum laeti inter se invitarent, rex Patroclum quaesiit, ut Hippodamiam cum ornamentis, quae dederat, ad tentoria Achillis deduceret: isque libens mandata efficit. Ceterum per id tempus hiemis saepe Graeci atque Troiani, singuli pluresve, ut fors evenerat, inter se sine ullo metu in luco Thymbraei Apollinis miscebantur.

---

ctamque iudico lectionem, ex Bern., S. Gall. opp. et Ed. Merc. a me petitam; quam certo etiam ante oculos habuit, a quo, copulam desiderante, in Ed. Crat. est *manuque adosc.* Apul. Met. II. p. 159. *manus deosculatus et ipsa genua contingens.* et sic saepe Apuleius *genua contingere*, non *manu genua cont.* Cf. Gloss. Quis nescit Homericum *γούνων λαμβάνειν*, *ἅπτεσθαι*, ubique sine addita *manu.*

ad coenam) Ed. Crat. *coenatum.* Bern. om. *inter* ante *epulas.*

quum laeti inter se invitarent) Ex Sall. Hist. IV. 12, nostri lib. III. 25. aliisque locis Obrechtus audacter corrigit *quum laeti cibo se invitarent.* quod arridet Wopkensio p. 45, qui tamen mavult *quum laetanter se invitarent.* Tu vero nihil mutes. v. Gloss.

fors) *Fors* est in Bern. a m. pr., S. Gall. opp. et Ed. Princ., vultque Arntzen. ad Aurel. Vict. de Vir. Ill. c. 13. p. 99. Al. *sors.*

DICTYS CRETENSIS
EPHEMERIDOS
BELLI TROIANI
LIBER TERTIUS.

I. Interim per totam hiemem, dilato conditionibus in tempus bello, Graeci cuncta, quae in tali otio militia exposcebat, intenti animo summis studiis festinabant. Namque pro vallo multitudo universa variis bellandi generibus, per duces populosque instructa, et ob id more optimo diversis ad officia sua quibusque, hinc iaculis hastarum vice fabricatis, neque pondere aut mensura

I. *exposcebat*) Ed. Crat. *poscebat*.
intenti animo summis studiis) Si vox *animo* abesset in Codd., equidem facile lubensque illud ferrem desiderium, dicit Wopkens. p. 46. Servant vocem MSS. et Edd.; nihilque mutandum delendumve esse adnotat Oudendorp. ad Apul. Met. IV. p. 244.
diversis ad officia) Formulam *diverti, divertere* (se) *ad officia* Septimio, utpote insolentia captanti, restituere ex tribus MSS. et Ed. Princ. non dubitavi. Antea edebatur *divisis*. Mutare saepe in MSS. *diversus* et *divisus* aliquoties monuerunt viri docti.
hastarum vice) Tollius ad Auson. Epist. I. 14. p. 568, qui in MS. vidit *hast. ad vicem*, vult *vicem* vel *in vicem*. Libri scripti et editi *vice*; Ed. Crat. tamen *hast. instar*, a scholiasta videlicet: et utrumque *vice* et *in vicem* nostro usitatum. Cf. Gloss. ad V. 13

inferioribus, et quibus ea non erant, praeustis sudibus, illinc sagittis certantes inter se invicem, ad multum diem exercere: alii saxis utebantur. Sed inter sagittarios maxime anteibant Ulixes, Teucer, Meriones, Epios, Menelaus. Neque dubium, quin inter hos tamen praecelleret Philocteta; quippe Herculis sagittarum dominus, et destinata feriendi arte mirabilis. At Troiani cum auxiliaribus, laxiores militia, neque circa exercitium solliciti, socordius agitare: ac saepe sine ullo insidiarum metu hi aut illi multis immolationibus Thymbraeo Apollini supplicabant. Hisdem fere diebus nuncius apportatur, universas prope Asiae civitates descivisse a Priamo, atque eius ami-

---

et Wopkens. p. 46. Praeterea Tollius pro *fabricatis* habet *fabrefactis.*

pondere aut mensura) Libri mei *ponderis aut mensurae.* Sensus est: quae iacula etiam quoad pondus et mensuram non inferiora erant hastis. Mox Ed. Obr. *quibus non alia erant.* quae perquam placet lectio, praesertim hac instituta mutatione: *quibus alia non erant,* intell. iacula, vel potius arma.

Epios, Menelaus) Ed. Crat. om. *Epios.* Bene. Nusquam enim legi, Epium sagittandi arte excelluisse; neque etiam memoratur a Septim. cap. 18. Erat autem Epios *εἰδὼς πυγμαχίης* Hom. Il. XXIII. 665. *Δειλὸς ἦν ὑπὲρ ἐλάφους, ὅμως πυγμάχος ἐνδέξιος.* Auct. τῶν *Τρ.* in Bibl. Uffenbach. XVII. p. 670.

inter hos tamen praecell.) Ita S. Gall. sec. IX. et Ed. Obr. In ceteris *inter hos iam praec.* Infra S. Gall. opp. et Ed. Princ. *feriundi.* v. ad V. 14.

laxiores militia) Certum se habere ait Perizonius Diss. §. XXXIX, Septimium scripsisse *laxiore militia;* ut Sall. Iug. 64. 5. *laxiore imperio milites habere.* quam correctionem receperunt Cort. et Wass. ad Sall. loc. Si Perizonius verba recte distinxisset, nihil mutasset.

circa exercitium) Al. *exercitum;* quod exhibet etiam Cortius l. l., defenditque Vindingius contra Barthium, scribentem *exercitium.* Possit sane *exercitium* originem ex oppositis Graecorum exercitationibus duxisse; attamen latinitati magis convenit *sollicitum* (cum cura occupatum) *esse circa aliquam rem.* cf. Gloss. ad II. 12. Stat autem *exercitium* auctoritate optimi S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Obr., agnoscitque illud Perizonius l. l. — Mox *socordius* S. Gall. sec. IX et Bern., laudantque Wass. et Perizon. l. l. Al. *secordius.*

citiam exsecrari: namque facinoris exemplo suspectis iam per universos populos gentesque circa hospitium omnibus, simul omnibus proeliis Graecos victores cognitum, et eversio multarum in ea regione civitatum in animis haeserat; ad postremum grave odium filiorum regnique eius incesserat.

II. At apud Troiam forte quadam die Hecuba supplicante Apollini, Achilles, avens visere ceremoniarum morem, cum paucis comitibus supervenit. Erant praeterea cum Hecuba matronae plurimae, coniuges principalium filiorumque eius, partim honorem atque obsequium reginae tribuentes, reliquae tali obtentu pro se quaeque rogaturae supplicabant: etiam Hecubae filiae non-

---

facinoris exemplo) Ex Cod Argent. et Ed. Mediol., quibus adstipulantur S. Gall. sec. IX et Ed. Princ., Obrechtus *exemplum*: ex Med. et Venet., quibus adde utrumque S. Gall. et Ed. Crat., idem mox *cognitum*. Tria igitur omnibus circum populis in animis haesissent: facinoris exemplum, Graecorum victoriae, et eversio Troianarum civitatum. At S. Gall. opp., Bern., Ed. Venet., Crat. et Merc. *exemplo*. quod alteri omnino praeferendum. Recte contra se habet *cognitum*, pro quo Argent. Obrechti et meus Bern. *cognito*. v. Gloss. Porro ex libris suis Obrechtus: *circa hospitium omnibus, simul omnibus proeliis*. Pro *hospitium* libri mei *hostium*. corrupte. *Simul* abest a S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ.; *simul omnibus* a S. Gall. opp., Bern. et Ed. Merc. In Crat. Ed. est *omnibus rebus, simul om. pr.* In sequentibus Bern. *in eadem regione:* totusque locus misere corruptus in Ed. Princ. est in hunc modum: *cognitu et cum sic ne regione multarum in ea civitatum*. atque aeque corrupta verba *in animis haeserat* sunt in libris meis ita: *in animis est ira et ad p.*

II. *avens visere*) Ita scribi vult Mercerus, in cuius libris, aeque ac in meis, *adveniens visere*. Recte. Pariter *aventes* in *advenientes* corrumpitur lib. VI. 4. Ed. Obr. *avidus*. Crat. *volens*. utrumque ex interpretatione. Scrupulum Wopkensii p. 47, lectioni Ed. Dacer. *ausus* addicti, ultimis verbis cap. 52. lib. II. tollitur.

tali obtentu) Lege *alio obt.*, ait Vindingius. In eius audaciam vindicat Wopkens. p. 47.

rogaturae supplicabant) Med. *supplicaturaeque*. tolerabilius,

dum nuptae, Polyxena et Cassandra, Minervae atque Apollinis antistites, novo ac barbaro redimitae ornatu, effusis hinc atque inde crinibus precabantur, suggerente sibi Polyxena apparatum sacri eius. Ac tum forte Achilles, versis in Polyxenam oculis, pulchritudine virginis capitur: auctoque in horas desiderio, ubi animus non lenitur, ad naves discedit. Sed ubi dies pauci fluxere, et amor magis ingravescit, accito Automedonte, aperit ardorem animi: ad postremum quaesiit, uti ad Hectorem virginis causa iret. Hector vero *daturum se in matrimonium sororem* mandat, *si sibi universum exercitum proderet.*

III. Dein Achilles, *soluturum se omne bellum pro Polyxena tradita,* pollicetur. Tum Hector, *aut proditionem ab eo confirmandam, aut filios Plisthenis atque Aiacem interficiendos: alias de tali negotio nihil se auditurum.* Ea ubi Achilles acce-

---

quam *supplicabant*, quod a glossatoris manu esse nemo non videt. OBRECHT. Etiam mea Ed. Crat. *supplicaturaeque* Bene.

antistites — redimitae — precabantur) Hanc librorum meorum et Merceri lectionem recte Vindingius defendit contra Barthium, corrigentem *antistes — redimita — precabatur* (scil sola Cassandra), ut editum est in Ed. Crat. et Obr. Praeterea Crat. *suggerente ei Pol* v. Gloss.

Ac tum) Bern. et Ed. Crat. *At.* Pro *auctoque* Bern. *actoque.* quam etiam lib. II. 41. habuimus varietatem.

et amor magis ingrav.) MS. Periz. *et amor magis et magis ingravescit.* Vid. lib. II. 7. 30. III. 3. OUDENDORP. ad Apul. Met II. p. 170. Sane Tacit. Ann. XIV. 8. *magis ac magis anxia Agrippina.* Cf. Gloss. ad I. 19. Sed libri scripti et editi, quos vidi, simpliciter *magis*

quaesiit) Ita libri nostri et Merc., citatque Oudend. ad Apul. Met. V. p 378. Lib. II. 52. *rex Patroclum quaesiit.* Ed. Obr. *rogat.* Crat. *petit.* ex interpretatione.

III. *pro Pol. tradita*) Ed. Crat. om. *pro.* Merc. om. *tradita.* Mox pro *alias* MS. Periz. (teste Oudend. ad Apul. Florid. p. 47) et Ed. Crat. *alioquin* ex glossa.

pit, ira concitus exclamat, *se, quum primum tempus bellandi foret, interemturum.* Dein animi iactatione saucius, huc atque illuc oberrans, interdum tamen, quatenus praesenti negotio utendum esset, consultare. At ubi eum Automedon iactari animo, atque in dies magis magisque aestuare desiderio, ac pernoctare extra tentoria animadvertit, veritus, ne quid adversum se aut in supradictos reges moliretur, Patroclo atque Aiaci rem cunctam aperit: hique, dissimulato quod audierant, cum rege commorantur. Ac forte quodam tempore recordatus sui, convocatis Agamemnone et Menelao, negotium ut gestum erat, desideriumque animi aperit: a queis omnibus, *ut bono animo ageret,* respondetur: *brevi quippe dominum eum fore eius, quam deprecando non impetraverit.* Quae res eo habere fidem videbatur, quoniam iam summa rerum Troianarum prope occasum erat. Omnes namque Asiae civitates, execratae amicitiam Priamidarum, ultro nobis auxilium societatemque belli offerebant: queis ab ducibus nostris benigne respondebatur, *satis sibi esse praesentium copiarum, neque auxiliorum egere:*

---

se quum) Ed. Obr. et Crat. *se eum quum.* In sequentibus auctoritate S. Gall. sec. IX. et Ed. Obr. omisi verba *primo proelio*, quae in cett. MSS. et Edd. ante *interemturum* leguntur.

a queis omn.) Ita Ed. Merc. et Obr. Libri mei *quis.* v. ad I. 15.

dominum eum fore eius) Bern. *dom. meum fore eius quem.* Ed. Princ. et Crat. *brevi quidem dom.* Daceriae scriptum fuisse videbatur *dominum eum vi fore eius.* contra quam vide disputantem Wopkens. p. 48.

eo habere) Imperite Vindingius volebat *ideo.* v. Perizon. Diss. §. XL et Wopk. p. 48. Infra S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *Omnesque As.*

queis ab d.) S. Gall. opp. et Ed. Crat. *Quis.* In seq. Bern. *auxilio egere.* Ed. Obr. om. *ultro suscipere.*

amicitiam sane, quam offerrent, ultro suscipere, voluntatemque eorum fore gratam omnibus: scilicet quia fluxa fides, et animi parum spectati, neque tam subita mutatio sine dolo credebatur.

IV. Iamque exactis hibernis mensibus ver coeperat, quum Graii, edicto prius, uti omnis miles in armis esset, mox signo belli edito, exercitum in campis productum ordinant: neque ea a Troianis segnius agebantur. Igitur ubi utrinque instructae acies advorsum processere, atque intra teli iactum ventum est, cohortati suos quisque manus conserunt, in medio locatis equitibus, et ob id primis congressis. Tumque primum reges nostri atque hostium ascensis curribus bellum ineunt, ascito sibi quisque auriga ad regendos equos. Sed primus omnium Diomedes, invectus Rhesi equis, Pyraechmem, regem Paeonum, hasta fronte ictum interficit. Dein ceteros, quos ob virtutem rex secum stipatores habuerat, conglo-

---

IV. *hibernis mensibus*) A Bern., Ed. Merc. et Dacer abest *mensibus*; et Daceria subintelligit: tempestatibus, mensibus. Ut historici dicunt *hiberna, aestiva* intellecto castra, sic sane apud posteriores reperitur *hibernum, vernum* intell. tempus. v. Freinsh. et Duker. ad Flor. I. 16. 3.

in campis prod.) Crat. *per campos*. v. Gloss. ad c. 5. Infra Ed. Crat. et Obr. *neque a Tr. s. agebatur*. Bene, si respicis ad lib. IV. 6. *neque segnius a Memnone actum*. Porro S. Gall. opp., Ed. Crat. et Merc. *adversum process.*

Tumque primum reg. nostri atq. host. ascensis curr.) *Tumque primi nostrorum, atque hostium escensis curribus bellum ineunt.* Ita in MS. legitur pro vulgato *ascensu*. et lib. III. 15. *Deinde ubi escendit, ipse Autom.* et lib. VI. 1. et 8 et 11. Haec hic adscripserat Perizonius. Oudendorp. ad Caesar. B. G. VII. 46. Libri scripti et editi, quos novi, praebent formam *ascendere*, hic et ceteris in locis, quos attulit Perizonius, excepto lib. VI. 11. Quod cetera attinet, Ed. Merc. exhibet *Tumque primi nostrorum atque hostium.*

Rhesi equis) Absunt haec verba a libris meis et Merc. Mox Bern. *hastae ictum* Ed. Merc. *hastae ictu*. Infra Bern. *deicit*. cf. ad II. 35. Ed. Crat. *curru deiicit*.

batos inter se atque ausos resistere, partim telo eminus fundit, alios curru per medios concito humi obterit. Dein Idomeneus, adhibito equis Merione, Acamanta, Thracum regem, deiicit, ruentique telo occurrit, atque ita interficit. Sed ubi Hector, situs in parte alia, medios suorum fundi accipit, dispositis satis strenuis ubi pugnabat, occurrit auxilio laborantibus, Glaucum secum ac Deiphobum et Polydamanta habens. Neque dubium, quin deleta a praedictis regibus ea pars hostium foret, ni adventu suo Hector nostrosque ulterius progredi, ac suos fugere cohibuisset. Ita Graeci, prohibiti caede reliquorum, represso gradu advorsum eos, qui supervenerant, constitere.

V. Ac mox, cognito per universum exercitum proelio in ea parte, reliqui duces, confirmatis ubi quisque pugnaverat, undique eo confluunt. Densatur utrinque acies, et proelium renovatum est. Igitur Hector ubi plurimos suorum adesse, et satis tutum se intelligit, tollit animos. Dein

---

occurrit auxilio) Vel reluctantibus ceteris MSS. et Edd., in quibus *accurrit*, ex Bern. et Ed. Merc. Septimio restitui *occurrit*, ut recte produxit etiam Cort. ad Sall. Vid. Gloss. Mox Edd. vulg. *Gl. et D. et P. secum habens. Nec dub.*

progredi) Ed. Dacer. *congredi*. In seq. *advorsum* S. Gall. sec. IX, Bern. et Ed. Princ., non *adversum*. Ed. Crat. *superfuerant*.

V. *cognito — proelio in ea parte*) Obrechtus edidit *proelium*. Perizonius Diss. §. XXXIX. vix se dubitare ait, quin legi debeat *proelium esse*. Frustra; cum nihil sit intelleclu verbi substantivi frequentius. Perizonius ipse affert Tacit. Ann. IV. 36. *comperto ficta in eum crimina.* scil. esse; suisque igitur se armis occidit. Atqui tres mei MSS., Ed. Princ. et cett. Edd. meae, ut et Barthius, praebent *proelio*. cui quidem lectioni nihil obstat; immo comprobatur lib. II. 43. *cognito apud naves Hectore*.

confirmatis) Certatim sic correxere Barthius, Vindingius, Perizonius. Cap. 4. *dispositis ubi pugnabat*. c. 10. *relicto ubi pugnabat*. MSS. et Edd. lectionem *confirmati* frustra tueri molitur Wopk. p. 50.

clamore magno singulos suorum nomine appellans, confidentius in hostem pugnare hortatur: ac progressus intra aciem, Diorem et Polyxenum, Alios, satis impigre pugnantes vulnerat. At ubi eum Achilles ita in hostem promptum animadvertit, simul subvenire his, quos advorsum bellabat, cupiens, et memor paulo ante repulsae in Polyxena, contra tendit: progressusque in medio Pylaemenem, Paphlagonum regem, impedimento sibi oppositum cominus fundit, non alienum sanguinis Priamidarum: perhibebatur quippe hic etiam ex his, qui a Phineo Agenoris originem propriam memoria repetebant: a quo etiam Olizonem genitam, postquam adoleverit, deductam in matrimonium Dardani.

VI. Ceterum Hector postquam ad se agmine infesto tendi videt, causas odii recordatus, non

---

Dior. et Pol. Alios) Ita diserte optimus Danielis codex: alter *et alios*: vulgo *aliosque*. Utrumque male. *Alius* pro: Elius, dorice: ut saepe in Captiv. Plauti, quod item antea corruptum, restitutumque a viris doctis. Mercer. Ed. Obr. *Elios*. Sed libri mei *Alios*. Diorem et Polyxenum ex *Alide* venisse, scribit Septim. I. 17.

in hostem pr.) Vult Vindingius *in hos*, scil. Diorem et Polyxenum. Temerario critico dignissima correctio. cf. Gloss. Infra *quos advorsum* S. Gall. sec. IX, Bern. et Ed. Princ., non *adversum*.

progressusque in medio) Ed. Obr. *in medios*. cuius formulae exempla dedi in Gloss. ad II. 19. Dicit etiam Septim. II. 48. *in medium progressus*. II. 36. *in campum progressi*. Apul. Met. II. p. 159. *producit in medium*. Sed libri mei, Ed. Crat. et Merc. *in medio*. Et hoc quoque loquendi genus probum est. v. Gloss.

Pylaemenem) S. Gall. opp. *Pylaemenea*. v. ad I. 19. Ed. Princ. *Pylaemenen*. v. ad II. 48. Crat. *Philemonem*. quod nequicquam tuetur Barthius. Mox pro *a Phineo Agenoris* Crat. *affines Agenoris*.

orig. propriam memoria rep.) Barthium, *propriam* male hic irrepsisse putantem, refellit Vindingius ad lib. I. 5. Libri mei *propria memoria*. v. Gloss.

VI. *tendi videt, causas*) Libri mei *tendi. et causas*. Infra libri mei *Tumque Achilles — interfecit*, non *eumque — interficit*. *Eum* facile subintelligitur.

ulterius impetum viri experiri ausus, ex acie subterfugit. Tumque Achilles insecutus, quantum acies hostium patiebatur, ad postremum iaculatus aurigam eius interfecit, postquam Hector per aliam partem relicto curru aufugerat. Dein ereptum sibi e manibus inimicissimum omnium dolens, rursus vehementius saevire, extractoque ex corpore aurigae iaculo, fundere obvios, quum prostratos alios invaderet desuper, ac proculcans obtereret. Inter quae tam trepida cunctis fugientibus, Helenus quaesitum ex occulto vulneri locum ubi nactus est, manum Achillis procul atque improvisus sagitta transfigit. Ita vir egregius bellandi, cuius adventu territus fugatusque Hector, multi mortales cum ducibus exstincti, clam atque ex occulto vulneratus eo die finem bellandi fecit.

VII. Interim Agamemnon et cum eo Aiaces

---

quum prostr. alios inv. des., ac proc. obtereret) Ex Cod. Argent. Obrechtus et Wopkens. p. 51. legunt: *ac prostratos, quum alios inv. des. proc. obterere.* Ita etiam Ed. Merc. et Crat., nisi quod in his *proculcans subterere*, ut citat etiam Wass. ad Sall. Iug. 99.: quae scriptura facile potuit ex altera corrumpi, tum negligenter scribendo, tum indistincte pronuntiando. Sed commodum sensum equidem ex verbis *quum alios invaderet desupere* cum eruere non valuissem, tentaveram olim: *ac prostratos alios invadere desuper et proculcans obterere.* Vult enim dicere Septimius: alios fundere obvios, alios iam prostratos obterere. Eodem nexu c. 4. *partim telo eminus fundit, alios - obterit.* lib II. 43. *ac fugientes nunc telo eminus prosternere, modo apprehensos obterere armis.* Atque *invadere* et *obterere* sic coniungit Apul. Met. VIII. p. 177. Bip. *Quid miseros homines - invaditis atque obteritis?* Libros MSS. nactus, in his exaratum video: *ac prostratos quum alios invaderet ac desuper proculcans obteret* (S. Gall. opp. *obtereret.* Bern. *oppeteret*): unde placuit efficere, quam lectionem tua repraesentat editio.

multi mortales) Ita MSS. mei, non *multique.* Mox Ed. Crat. *exstincti laniatique ex occulto vuln.* Orta vox *laniatique* ex prave contracta scriptura *clamatque*, ut exaratur in Bern.

VII. *Agamemnon*) S. Gall. opp., Bern. et Ed. Princ. *Atque Agam.*

duo, inter ceteram stragem ignotorum nacti plurimos Priami filiorum, interficiunt: Agamemnon Arsacum cum Deiopite, Archemachum, Laodocum et Philenorem: Aiax Oilei et Telamonius Melium, Astynoum, Doryclum, Hippothoum atque Hippodamanta. At in alia belli parte Patroclus et Lycius Sarpedon locati in cornibus, nullis propinquorum praesentibus, signo inter se dato solitarii certaminis, extra aciem processere. Moxque telis advorsum iactis, ubi uterque intactus est, curru

---

Arsacum cum Deiopite) Ita S. Gall. sec. IX., Ed. Crat. et Obr. In S. Gall. opp. *Arsachum Deiopithei*. Bern. et Ed. Princ. *Arsachum Deiopitheo*. Libri Merceri *Arsacum, Deiopitheo*. unde scribendum vir doctus putat *Arsacum*, *Deiopiten*. *Arsacum* inter Priami filios nusquam reperio. Daceria vult *Arrhetum* ex Apollod. III. 12, 5. Sed ecce inconstantiam matronae, quae lib. IV. 7, ubi inter Priami filios refertur *Areius*, Apollodorum exhibentem *Arrhetum* accusat, falseque eum vocare *Arrhetum*, qui fuerit *Areius*, affirmat. Librorum scripturae proximus est *Aesacus* Apollodori; qui quidem post Hectoris mortem dux nominatur in exercitu Penthesileae apud Tzetz. posthom. 51., et postea in avem est mutatus. Fuchsius Quaest. p. 49. nomen corruptum suspicatur ex *Ascanio* Apollodori. Praeterea recte scribitur *Deiopite* (non *Deiopte*) ex Hom. Il. XI. 420, quam scripturam restituit etiam Munckerus Hygin. fab. 90.

Laodocum et Philenorem) Bern., S. Gall. opp. et Ed. Princ. *Laudocum* (Crat. *Laudacum*). Recte quidem, secundum disputata Ios. Scaligero ad Fest. v. *Alumento*, ubi docet, veteres Latinos amasse et posteriores quoque passim solere *au* scribere in multis nominibus propriis pro *ao*. Sed optimus S. Gall. sec. IX. *Laodocum*, ut habet etiam Ed. Obr., scribendumque censet Mercerus. cf. Apollodor. l. l. Aeque in Trogi Prolog. XXVIII. permutantur *Laodamiam* et *Laudamiam*. Pro *Philenorem*, qui inter Priami filios ignoratur, Mercerus legendum ex Apollod. arbitratur *Philemonem* (*Philaemonem*). Hyginus nominat *Palaemonem*. Libri scripti et editi hic et lib. IV. 7. conspirant in *Philenorem*; quem hominem memoria lapsus bis occisum Dictys scribit. Filiam Priami *Philenoris* nomine novit Pausan. X. 26.

Melium, Astynoum) *Melium* S. Gall. sec. IX. et Ed. Obr., scripsitque ex Apollod. Mercerus. In ceteris meis *Molius*, quod Fuchsio Quaest. p. 48. placet nomen. Occiditur *Mulius* socer Augeae a Nestore Hom. Il. XI. 737, alius a Patroclo Il. XVI. 696, tertius ab Achille Il. XX. 472. Sed Priamidae nomen erat *Melius*. Porro libri *Astiochum*. Ed. Crat. *Astymenem*, ut citat etiam Munck. ad Hygin. fab. 90, ubi *Astynomus* in Priamidarum numero est. Scripsi *Astynoum* cum Fuchsio Quaest. l. l. Porro Bern. *Doryclum*, in cett. *Doriclum*.

advorsum) Ita hic et paulo infra libri, non *adversum*. In-

desiliunt, atque arreptis gladiis pergunt obviam. Iamque crebris advorsum se ictibus congressi, neque vulneratus quisquam, multum diei consumserant; quum Patroclus, amplius audendum ratus, colligit sese in arma, et cautius contectus ingressusque hostem complectitur, manu dextra poplitem succidens: quo vulnere debilitatum atque exsectis nervis invalidum propulsat corpore, ruentemque interficit.

VIII. Quod ubi animadvertere Troiani, qui iuxta steterant, gemitum magno clamore tollunt, relictisque ordinibus, signo dato arma in Patroclum vertunt, scilicet Sarpedonis interitu publicam cladem rati. At Patroclus, praeviso hostium agmine, telum positum humi propere rapit, compositusque in armis audentius resistit. Tunc ingruentem Deiphobum hasta cominus tibiam ferit, atque excedere ex acie coegit, interfecto prius Gorgythione, fratre eius: neque multo post adventu Aiacis fusi reliqui: quum interim Hector, edoctus quae acciderant, supervenit, ac mox conversam suorum aciem pro tempore restituit, in-

---

fra Bern. *currum desil.* germanismo. Ed. Crat. et Obr. *in arma sese.*

VIII. *gemitum magno clamore*) Ita editum est, scil. Obrechto auctore eiusque libris, ab Artopoeo. In cett. Edd. ut et libris meis est *gemitu magno clamorem tollunt.* ut correxisse videtur, cui dici non posse visum *gemitum tollere.* Sed vid. Gloss.

interitu) Ita MSS. et Ed. Princ., non *interitum.* Vel ad *cladem rati* intell. adesse: ut lib. V. 4. *existimantes finem belli atque discordiarum.* V. 10. *finem iam aerumnarum credentes.* scil. adesse, affore. Vel *interitu* explica per intellectum praepos. *in,* et compara lib. IV. 12. *in muris salutem credere.* IV. 1. *in se fiduciam credere.* ibique notata.

Tunc ingr.) Ita S. Gall. uterque, Ed. Princ. et Merc., non *Tum.* Mox Bern. *hastam.* Porro libri *coegit,* non *cogit.* De temporis enallage v. Gloss. ad I. 22.

crepatis ducibus, ac plerisque ex fuga reductis. Ita praesentia eius animi tolluntur et proelium incenditur. Tum vero, inclytis ex utraque parte ducibus confirmato exercitu, confligunt acies, nunc hinc nunc inde cedentibus instantes, et ubi acies nutaverat, praesidio accurrentes. Interea utriusque exercitus cadunt plurimi, neque fortuna belli mutatur. Sed postquam miles, per multum diem bello intentus, magis magisque fatigabatur, et diei vesper erat, utrisque cupientibus pugna decessum.

IX. Tum apud Troiam circa Sarpedonis cadaver cunctis deflentibus, ac praecipue feminis, luctu atque gemitu omnia completa sunt: queis non alii casus acerbissimi, ne interitus Priamidarum, prae desiderio eius cordi insederant. Tantum in eo vivo praesidium, et interfecto spes

---

nunc hinc nunc inde) S. Gall. sec. IX et Ed. Princ. *nunc hinc inde*. Delendum forte etiam alterum *nunc*. Dicit Septim. IV. 5. 9 V. 6. *hinc atque inde*. Verum sine copula *hinc inde* aliquo loco Suetonius. — Mox Ed. Princ. *mutaverat*.

praesidio accurrentes) Ex emendatione mea sic prodiit locus antea sordida oratione aeger. MSS. enim et Edd. *praesidiis accurrentibus*. Sed Ablativum numeri pluralis *praesidiis* (qui quidem locum habere possit) in optimo Cod. S. Gall. sec. IX. correctionis manifestare vestigia, eiusque loco primitus scriptum fuisse *praesidio*, animadvertit Orellius. Quam veram iudico scripturam; atque hinc ultro offertur emendatio *accurrentes*. cf. Gloss.

mutatur) Scripserat *nutat*, ait Mercerus. Abunde hoc explodit Wopkens. p. 52. Ad cap. finem Ed. Princ. et Crat. *decessum est*.

IX. *Tum ap. Tr.*) S. Gall. opp. *Iam ap. Tr.* Infra *queis* Bern et Ed. Obr. Cf. ad I. 15. Praeter cett. libros etiam Oudendorp. ad Apul. Met. II. p. 165. *Quis*.

ne interitus Priam.) Sensus: Quibus nulla alia mala, licet fuerint acerbissima, et ne interitus Priamidarum quidem, tanto dolori erant, quanto iactura Sarpedonis. Librorum meorum et Merceri lectionem *de interitu Priam.* nequicquam explicant et defendunt Daceria et Wopkens. p. 53. Eorum tamen auctoritati insistens eieci *quidem*, in Ed. Crat. et Obr. post *ne interitus* expressum; cum *ne* simpliciter saepe ponatur pro: ne quidem; ut docuit Oudendorp. ad Apul. Met. IV. p. 245, X. p. 704, XI. p. 806.

in eo vivo) Recte Ed. Obr. *vivo*, ut Anna teste emendaverat et

ablata credebatur. At Graeci, in castra regressi, primum omnium Achillem revisunt: eumque de vulnere percontati, ubi sine dolore agere vident, laeti ad postremum narrare occipiunt Patrocli facta fortia: dein reliquos, qui vulnerati erant, per ordinem circumeunt: ita inspectatis omnibus, ad tentoria sua quisque regreditur. Interim Achilles regressum Patroclum extollere laudibus: dein monere, uti reliquo quoque bello memor rerum, quas gesserat, hostibus vehementius ingrueret. Hoc modo nox consumitur. At lucis principio corpora suorum quisque collecta igni cremant, dein sepeliunt. Sed postquam dies aliquot triti, et vulnerati convaluerunt, arma expedire et producere militem placet.

X. Sed barbari more pessimo, nec quidquam compositum, nihil aliud, quam turbata atque insidiosa cupientes, clam atque ante tempus egressi proelium praevertere: tuncque effusi ruinae modo, clamorem inconditum simul et tela in hostes coniiciunt, semermos etiam tum atque incompositos. Caesi itaque nostrorum multi, in queis Ar-

---

am Andreas Daccria. MSS. et cett. Edd. *viro*. Mox S. Gall. sec. IX a m. pr. *primo omnium*.

percontati) Ita S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ., non *percunctati*. Formam *percontari* habes lib. II. 6, IV. 3. 15. 16, VI. 5. 15. Iidem libri mox *facta fortia*, non *fortia facta*. Cf. ad II. 25. Gloss. Pro seq. *inspectatis* Ed. Crat. *inspectis*.

At luc.) Bern. *Ac*. Infra S. Gall. opp. *dies aliquoti triti*.

X. *nihil aliud*) Praeter S. Gall. sec. IX et Ed. Princ. libri *nihilque*. Mox Bern. *tunc*, om. *que*. In seq. male distinguebatur post *inconditum*; nam *simul* ad *clamorem inconditum* pertinet, *et* ad *tela*. Porro S. Gall. opp., Bern. et Ed Princ. *se emersos*. Crat. *semiermes* Ed. Merc. *etiamnum*.

Caesi itaque) *que* adieci ex libris meis. Mox S. Gall. opp., Ed. Princ. et Crat. *in quis*. cf. ad I. 15.

cesilaus Boeotius, et Schedius Crissaeorum, uterque duces optimi: ceterum vulnerata pars maxima; Meges etiam et Agapenor, alter Echinadibus imperator, Agapenor Arcadiae. Inter quae tam foeda, tanta inclinatione rerum, Patroclus fortunam belli vincere aggressus, dum hortatur suos simul atque instat hostibus, promptior quam bellandi mos est, telo Euphorbi ictus ruit: statimque Hector advolans opprimit, ac desuper vulneribus multis fodit: moxque enititur abstrahere proelio, scilicet insolentia gentis suae illudere cupiens per universa genera dehonestamenti. Quod ubi Aiaci cognitum est, relicto ubi pugnaverat, propere accurrit, iamque eripere cadaver occipientem proturbat hasta. Interim Euphorbus a Menelao et Aiace altero summo studio circumventus, scilicet auctor interemti ducis, morte poenas luit. Dein occipiente vespera proelium diri-

---

Arces. Boeotius, et Sched. Criss., uterque) Recte sic distinxit Daceria. Vulgo *Schedius, Crissaeorum uterque duces.* Male: namque Arcesilaus non Crissaeorum, sed Boeotorum dux erat; Schedius autem imperitavit Crissae, Phocidis urbi (Hom. Il. II. 520, Noster I. 17.); atque Crissaei per eminentiam hic ponuntur pro Phocensibus. Pro *Crissaeorum* libri Merceri, ut et mei, praeter S. Gall. sec. IX, corrupte *tres eorum.*

alter Echinadibus imperator) Omittit haec verba Ed. Crat., in qua *Meges etiam et Agapenor Arcadiae;* omissaque invenit Barthius, qui ait: legendum *Meges et Elpenor Arcadae,* non *Arcadiae.* Vindingium, corrigentem *Echinadum,* refellit Perizonius Diss. §. XL. Cf. Gloss.

tanta inclinatione) Crat. *tantaque indignatione;* ut legit etiam Barthius. Vid. Wopkens. p. 54. Wopkensio tamen nihil erat in constructione mutandum: nam lib. I. 21. *Inter quae tam tetra, nulla requie tempestatis.* ubi vide notata.

promptior) Libri nostri *promptiore,* (scil. more) *quam bellandi mos est.* Bene. De qua ellipsi v. Gloss. ad II. 26. In seqq. Edd. vulg. *eum opprimit.* Crat. *confodit.* atque Crat. et Obr. *nititur.*

gentis suae) Cur illud *suae* omnino hinc delendum pronuntiaverit Barthius, non videre me libenter fateor. Wopkens. p. 54.

summo studio) *Summo* ignorant uterque S. Gall., Ed. Princ. et Merc. Recte, opinor. Lib. V. 15. *studio in partes discedunt.*

mitur, male et cum dedecore plurimis nostrorum interfectis.

XI. Sed postquam reductae utrinque acies, et iam in tuto miles noster erat, cuncti reges Achillem conveniunt, deformatum iam lacrimis atque omni supplicio lamentandi: qui modo prostratus humi, nunc cadaveri superiacens, adeo reliquorum animos pertentaverat, ut Aiax etiam, qui solandi causa astiterat, nihil luctui remitteret: nec Patrocli tantum mors gemitum illum cunctis incusserat, sed praecipue recordatio vulnerum per loca corporis pudibunda. Quod exemplum pessimum per mortales tum primum proditum est, nunquam antea a Graecis solitum. Igitur reges multis precibus atque omni consolationis modo tandem Achillem flexum humo erigunt. Dein Patrocli corpus elutum, mox veste circum-

---

XI. *reductae*) Bern. et Ed. Merc. *reducta*. Bene. Mox Ed. Princ. *tuto*. ut II. 12. *tuto collocare*.

Achill. conveniunt) Heins. ad Ovid. Fast. II. 667. et Ed. Crat. *ad Ach.* Legimus sane lib. II. 13. *ad Graecos conveniunt*. Sed omittitur praepos. lib. I. 11. II. 9. alibi.

lacrimis atque omn. suppl. lam.) Agnoscunt copulam *atque* S. Gall. sec. IX., Ed. Princ., Crat. et Obr.; abest a celt., omissamque invenere Vindingius, qui corrigit *omnique*, et Wopkens. p. 55, qui varie locum tentat. Coniicit praeterea Wopkensius *lamentabili*. Sed talium Genitivorum Gerundii usus Septimio frequens, ut doceo in Gloss.

nihil luctui rem.) Wopkensii emendationem *luctus* damnat Oudendorp. ad Apul. Met. III. p. 181. Cf. ad II. 36.

antea a Graecis solitum) Ita legendum putavi ex libris meis et Merceri. Ed. Crat., Obr. et Dresem. ad Ios. Iscan. VI. 267. *antea Graecis*; ut suspiceris *ante a Graecis*. Vindingius *autem a Gr.* exhibet. *A Graecis* i. e. a Graecorum parte, apud Graecos. v. Gloss. ad II. 38. Non tentandum praeterea *solitum*, pro quo Vinding. et Wopk. scribendum censent *cognitum*. Exemplum pessimum, huc usque apud Graecos insolitum, tum primum editum est.

humo er.) Crat. *humi*. et infra *elotum*.

veste circumtegitur) S. Gall. opp. et Ed. Obr. *contegitur*. Bene

tegitur, maxime ob tegenda vulnera, quae multis modis impressa haud sine magno gemitu cernebantur.

XII. Hic actis monet, uti custodes vigilias agere curarent, neque hostes, detentis circa funus nostris, more solito irruerent. Ita per distributionem officia sua quisque procurantes, igni plurimo in armis pernoctant. At lucis principio placet, uti ex omni ducum numero quinque in montem Idam vaderent, silvam caesum, quo Patroclus cremaretur: decretum quippe ab omnibus erat, funus eius publice uti curaretur. Iere igitur Ialmenus, Ascalaphus, Epios et cum Merione Aiax alter. Moxque Ulixes et Diomedes busto

---

Iustin. XIV. 6. *cooperuisse capillis os, et veste crura contexisse, ne quid posset in corpore eius indecorum videri.* et sic saepe *veste contegi* in re funebri Apuleius, ut Met. III. p. 53, VII. p. 498, VIII. p. 537. Cf. Gloss. ad c. 14 In cett. scriptis et editis libris *circumtegitur*, ut extulit etiam Forcellin. Lex.: quo raro verbo usus est Lucret. I. 1094. Graec. *περικαλύπτω.*

multis modis) Vana Barthii coniectura *occultis locis.* Cogita vulnerum varietatem. Multis Barthium refellit Wopkens. p. 55.

XII. *monet*) S. Gall. opp. *monent.* Ed. Crat. et Obr. *Achilles monet.*

curarent, neque host.) Ita Ed. Merc. et Dacer. Multa exempla ex Septimo congerit Wopkens. p. 56. ad librorum meorum et Ed. Obr. lectionem *ne qua host.* defendendam. Septimii manus fuit *neque.* Explica: Achilles monet, uti custodes vigilias agendas curarent, et monet, uti curarent, ne hostes irruerent. Plane ut Sall. Iug. 14. *tamen erat maiestatis populi Romani, prohibere iniuriam, neque cuiusquam regnum per scelus cresceret*, i. e. et prohibere, ne cresceret. Cum *nequa*, coniunctim in libris scriptum, iam arguat corruptionem, tum vero firmatur mea opinio lectione Ed. Crat.: *uti custodes vigilias agerent, curarentque, ne hostes-irruerent.* quod a scholiasta esse, qui istud *neque* concoquere nequiverit, nemo non videt.

quo Patrocl.) Libri mei et Ed. Merc. *qua*, scil. silva. Sed Ed. Crat. et Obr. *quo.* Recte. Sall. Iug. 24. 8. *Quid reliquum, nisi vis vestra, quo moveri possit.* ubi consulatur Cortius.

fun. eius p. uti cur.) Ed. Obr. *uti f. eius p. cur.* Infra Bern. *dimetietur.* Pro *advecta* S. Gall. opp. *adducta.*

locum dimetiuntur, quinque hastarum longitudine totidemque in transversum. Advecta dein ligni copia bustum exstruitur, impositumque desuper cadaver igni supposito cremant, exornatum decore omni pretiosae vestis: id namque Hippodamia et Diomedea curaverant, quarum Diomedea nimium iuveni et omni affectu dilecta fuerat.

XIII. Ceterum paucis post diebus, refectis ex labore vigiliarum ducibus, cum luce simul exercitus in campum productus per totum diem in armis agit, opperiens barbarorum adventum. Qui muris despectantes, postquam nostros paratos proelio vident, eo die certamen distulere. Ita occasu solis Graeci ad naves regressi. At vix principio diei Troiani, rati etiam nunc incompositos Graecos, armati portis evolant temere et cum audacia, uti antea soliti: instantesque circa vallum, certatim tela iaciunt crebra magis, quam cum effectu, nostris ad evitandos tantum ictus compositis. Igitur ubi ad multum diem barbari intenti iaculis fessi iam, neque ita vehementes animadvertunt, ex parte una nostri erumpunt,

---

XIII. *adventum*) Ed. Princ. *expectans bar. adv.* Sed Crat. et Obr. *opp. barb. occursum.* Bene. Excidit memoriae alter locus, ubi *occursus* a glossatore in *adventus* corruptum nuper legi.

paratos proelio) Crat. *ad proelium.* v. Gloss. Mox Ed. Merc. *viderent.*

tantum ictus) S. Gall. sec. IX a m. pr. et alter *tanto ictu.* S. Gall. sec. IX. a m. sec., Bern. et Ed. Princ. *tantos ictus.* Materiem corruptelae praebuere syllabae consonae praecedentis vocabuli *evitandos*, ultima et penultima.

animadvertunt) Suspicatur Wopkens. p. 56. *animos vertunt*, scil. ab ardore suo. *Animadvertunt* explico: ubi barbari, ad multum diem iaculis intenti, fessi iam sunt, neque ea, qua antea, alacritate animum ad hostes attendunt. *Vehementes* loco adverbii ponitur Fateor tamen magis placere Daceriae emendationem *animadvertuntur*,

incursantesque sinistrum latus fundunt fugantque: neque multo post ex alio, abnuentibus iam barbaris, ac sine ulla difficultate versis.

XIV. Ita plurimi barbarorum, terga ubi vertere, foede et vice imbellium ab insequentibus proculcati, ad postremum dispereunt: in quis Asius, Hyrtaco genitus, et cum Hippothoo Pylaeus, hi Larissaeis, Asius Sesto regnantes. Eodem die vivi a Diomede capiuntur duodecim, ab Aiace quadraginta. Capti etiam Isus et Evander, Priamidae. In ea pugna Graecorum Guneus interfectus, rex Cyphius, vulneratus etiam Idomeneus, dux noster. Ceterum ubi Troiani muros ingressi clausere portas, et finis instandi factus est, nostri spoliata armis hostilia cadavera apportataque in

---

i. e. neque tam vehementer bellantes ab hoste conspiciuntur: nec aliter edidit Obrechtus.

ex alio, abnuentibus iam barb.) Perizonio Diss. §. XXXIX. verba *ex alio* sonant: ex alia parte. Vindingius legi iubet *ex alia*, scil. parte; quod placet Wopkensio p. 57. ob praecedens *ex una parte*, et Oudendorpio ad Apul. Met. VI. p. 392. Perperam. Nam ne verbo quidem indicatur, Graecos bipartitos duabus ex partibus deinceps in barbaros irrupisse. *Ex alio* i. e. in alio, altero, dextro latere. cf. Gloss. Haec mea explicatio egregie sustentatur lectione MS. Periz. et Ed. Crat. *neque multo post ex alio latere abn. iam barb.* Idem Perizonius pro *abnuentibus* (S. Gall. sec. IX. *adnuentibus.* opp. et Ed. Princ. *annuentibus*), quod sensum habere satis commodum negat, vult *abeuntibus.* Quam coniecturam explosam iam video a Wass. ad Sall. Iug. 71. et Wopkens. p. 57. Saepe quippe *abnuere* milites dicuntur, qui detrectant pugnam, et officia militaria prae lassitudine recusant. cf. Gloss. Sensus denique totius loci hic est: Ex una parte simul omnes Graeci vehementem impetum in sinistrum hostium latus fecerunt, fessosque eos fuderunt: fugato hoc latere, statim etiam dextrum hostium cornu aggressi, in fugam verterunt; quippe fessi ex priore labore barbari pugnam recusarunt facileque terga dederunt.

XIV. *terga ubi vertere*) Hoc ordine S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ., non *ubi vertere terga.* Loco verborum *foede et vice imbellium* Ed. Crat. praebet *foede evicti in bello, et ab ins.* Mox Ed. Merc. *in queis.*

flumine praecipitant, memores paulo ante in Patroclo insolentiae barbarorum: dein captivos omnes, uti quem ceperant, in ordine Achilli offerunt: isque, vino multo sopitá iam favilla, reliquias in urnam collegerat: decretum quippe animo gerebat, secum in patrium solum uti adveheret, vel si fortuna in se casum mutaret, una atque eadem sepultura cum carissimo sibi omnium contegi. Itaque eos, qui oblati erant, deduci ad bustum, una etiam Priami filios, ibique seorsum aliquantum a favilla iugulari iubet, scilicet inferias Patrocli manibus: ac mox regulos canibus dilaniandos iacit, confirmatque, se non prius desinere pernoctando humi, quam in auctorem tanti luctus sui sanguine vindicasset.

XV. Sed nec multi transacti dies, quum repente nuntiatum, Hectorem obviam Penthesileae cum paucis profectum: quae regina Amazonibus, incertum pretio, an bellandi cupidine, auxiliatum

---

in flumine praecip.) Crat. *in flumen* et mox *in Patroclum.* Utrumque correctori debetur. De priore v. Gloss. ad h. l., de posteriore ad c. 5.

uti quem) Placuit olim haec Ed. Dacer. lectio Wopkensio p. 57. Recte. Adstipulantur tres mei MSS. In Ed. Merc. *uti quos.* Ed. Princ. Crat. et Obr. *Uti quemque.*

gerebat, secum in patr.) Recte sic distinxit Perizon. Diss. §. XXXIX. Antea *gerebat secum, in patr.* Ibidem Perizonius in seq. corrigit *in se casum maturaret*, et *casum* pro morte accipit. v. Gloss.

iacit) Crat. *obiicit.* et om. *in* ante *auctorem.* v. Gloss. In seq. Bern. *sui tanti luctus sang.* Pendet *sui* a *sanguine.*

XV. *Sed nec multi*) *Sed,* quod abest ab Ed. Crat. et Obr., addidi ex libris meis et Merc. *Nec* ponitur pro: non, apud optimos scriptores. Libri mei et Merc. ignorant etiam *sunt*, quod vulgo post *transacti* legitur; praebentque *nuntiatum*, non nuntiatur.

regina Amazonibus) Ita libris meis ducibus editum volui. Antea: *Amazonum.* v. Gloss. Infra Ed. Obr. *adventarat.*

gens bellatrix) Addi debere suspiceris *gens Amazonum bell.* Sed intelligenda modo haec ex praecedente *Amazonibus.* cf. Gloss. ad c. 8.

Priamo adventaverat: gens bellatrix, et ob id ad finitimos indomita, specie armorum inclyta per mortales. Igitur Achilles, paucis fidis adiunctis secum, insidiatum propere pergit, atque hostem securum sui praevortit: tum ingredi flumen occipientem circumvenit: ita eumque et omnes, qui, comites regulo, dolum huiusmodi ignoraverant, ex improviso interficit: at quendam filiorum Priami comprehensum, mox excisis manibus ad civitatem remittit nunciatum, quae gesta erant. Ipse cum caede inimicissimi, tum memoria doloris ferox, spoliatum armis hostem, mox constrictis in unum pedibus, vinculo currui postremo adnectit: dein ubi ascendit ipse, Automedonti imperat, daret lora equis. Ita curru concito per campum, qua maxime visi poterat, pervolat, hostem mirandum in modum circumtrahens: genus poenae novum miserandumque.

XVI. At apud Troiam ubi spolia Hectoris desuper ex muris animadvertere, quae Graeci praecepto regis ante ora hostium praetulerant, et ille, qui excisis manibus acerbissimae rei indi-

---

ad finitimos indom.) Ed. Crat. *a finitimis.* Varie tentat praepos. *ad* Wopkens. p. 58. Vindingius vult *apud fin.*, immemor videlicet, *ad* praepos. persaepe significare: apud. Quae Perizon. Diss. § XL. et Wass. ad Sall. Cat. 31. contra Vindingium disputant, iis adde, si tanti est, Gronov. ad Liv. VII. 7, XXXVIII. 55. et Oudendorp. ad Caes. B. G. VI. 38, Apul. Met. I. p. 42, ubi Septim. produxit.

praevortit) Sallustianum loquendi morem servarunt S. Gall. sec. IX, Ed. Merc. et Obr. In cett. *praevertit.* In seqq. Ed. Crat. *dolos huiuscemodi.* Cod. Bern. *excissis man.* Sed c. 16. *excisis manibus.*

adnectit) Ed. Princ. *advertit.* Infra MS. Perizon. *escendit.* v. ad. c. 4.

qua maxime visi pot.) Liber Danielis Merceri et meus Bern. *qua maxime vi pot.* Ed. Crat. *videri.* Cf. ad lib. IV. 4. et Gloss. — Mox MSS. mei *praevolat.*

XVI. *et ille qui-pertulerat*) Retinui haec verba ex S. Gall. sec.

cium in se ipse pertulerat, rem, ut gesta erat, disseruit; tantus undique versus per totam civitatem luctus atque clamor editur, ut aves etiam consternatae vocibus alto decidisse crederentur, nostris cum insultatione reclamantibus. Ac mox ex omni parte urbs clauditur: foedatur regni habitus, atque in modum lugubrem funestumque obducta facies civitatis: quum, sicut in tali nuncio assolet, repente cursus trepidantium fieret in eundem locum, ac statim sine ulla certa ratione per diversum fuga: nunc planctus crebri, modo urbe tota silentium ex incerto. Inter quae et spes extremas multi credere, cum nocte simul Graecos moenia invasuros excisurosque urbem, securos interitu tanti ducis: nonnulli etiam pro confirmato habere, Achillem exercitum, qui duce Penthesilea Priami rebus auxilio venerat, partibus suorum adiunxisse: postremo omnia adversa, hostilia, fractas ablatas-

---

IX, Ed. Crat. et Obr. Absunt a S. Gall. opp. et Ed. Princ.; eorumque loco in Bern. et Ed. Merc. legitur: *et filius Priami praemissus ab Achille rem ut g.*

editur) Ed. Merc. et Obr. *editus*. In seq. pro *crederentur* Wopkens. p. 58. coniicit *viderentur*.

Ac mox ex om. p. urbs cl.) Libri mei *ac* (Bern. *at*) *mox portis ex omni p. urbs clauditur*. quasi scriptum fuisset *ac mox portis ex omni parte urbis clausis*. Ed. Crat. *Mox ex om. p. cunctis clamantibus urbs clauditur*. Confunduntur *pars* et *porta* etiam lib. IV. 21. Videtur hic *portis* a scholiasta in margine vel inter lineas scriptum, inde in textum venisse.

in tali nuncio) Refer ad praecedentia: *ille qui-acerbiss. rei indicium-pertulerat*. Ed. Crat. *in tali negotio*. quod praefert Wopkens. p. 58. — Pro *cursus* Ed. Crat. et Obr. *concursus*.

sil. ex incerto) Verba *ex incerto* neque exstirpanda sunt cum bono Vindingio, neque ea cum Wopkens. p. 59. loco suo movenda. v. Gloss.

credere) Bern., Ed. Princ. et Merc. *credidere*. Infra *excisurosque* recte S. Gall. sec. IX. et Ed. Crat. Vid. ad II. 16. In cett. *exscisurosque*. quod nihili est. Etenim ab *exscindo* fit Supinum *exscissum*, non *exscisum*.

que opes, nullam salutis spem interemto Hectore in animo habere: quippe is solus omnium in ea civitate adversum tot milia imperatoresque hostium varia semper victoria certaverat; fortior quam felicior, cui, fama bellandi inclyto per gentes, nunquam tamen vires consilio superfuerant.

XVII. Interim apud Graecos, ubi Achilles ad naves rediit, et cadaver Hectoris in ore omnium est, dolor, quem ob Patrocli interitum paullo ante perceperant, nece metuendi hostis, et ob id praecipua laetitia circumscribitur. Ac tum universis placet, uti in honorem eius, quoniam abesset hostilis metus, certamen ludis solitum celebraretur; neque minus tamen reliqui populi, qui non certaturi spectandi gratia convenerant, in-

---

habere) S. Gall. opp. et Ed. Princ. *habuere*. Mox Bern., S. Gall. opp., Ed. Princ. et Merc. *exerc. eum, qui.* Infra Ed. Crat. et Obr. om. *in animo.* et Ed. Obr. praeterea exhibet *haberi*.

tot milia) Intell. hominum, militum; ut lib. IV. 4. *multis milibus*, scil. militum. Placet lectio etiam Wopkensio p. 51. Ed. Obr. *tot milites*.

fortior quam felicior) Haec ex Med. ed. addidimus: cui tamen detraximus glossatoris assumentum *cunctis ducibus nostris*. Iterum hic Sallustium imitatur Septimius. Sic enim ille de Sulla Iug. 95. *atque felicissimo omnium ante civilem victoriam, nunquam super industriam fortuna fuit: multique dubitavere, fortior an felicior esset.* Obrecht. Absunt illa verba etiam a libris meis et Merc. Lectio Ed. Crat. eadem est, atque Med. editionis. — Mox Ed. Princ. *quum fama*.

vires consilio superfuerant) Aut lege *defuerant*, aut intellige per *superfuerant*, nunquam supra consilium vires fuerant. Vinding. Vid. Gloss.

XVII. *rediit*) Bern., S. Gall. opp. et Ed. Princ. *redit*. Mox Ed. Crat. *dolorem quem*.

nece met. h.) S. Gall. opp. et Ed. Princ. *et met. h.* Bern. *et metuendis hostis.* In Ed. Crat. post *hostis* adiectum *sedatur*: inculcavit scholiasta, interpretatus sequens *circumscribitur*. v. Gloss.

cert. ludis solitum) Ed. Obr. *solutum*. quod non intelligo. Bern. pro *ludis* habet *laudis*. corrupte. Conieceram aliquando *certamen ludi solito* (scil. more) *cel.* Sed v. Gloss.

structi armis paratique adessent: ne qua scilicet hostis, quamvis fractis rebus, solito tamen insidiandi more irrueret. Igitur Achilles victorum praemia, quae ei videbantur maxima, statui imperat. Et postquam nihil reliquum erat, reges omnes ad considendum hortatur, ipse medius atque inter eos excelsior. Tum primum quadriiugis equis Eumelus ante omnes victor declaratur: bigarum praemia Diomedes meruit, secundo post eum Menelaus.

XVIII. Ceterum ad certandum, qui sagittarum arte maxime praevalebant, Meriones atque Ulixes, duos erexere malos, quis religatum linum tenuissimum atque ex transverso extentum utriusque capiti adnectebatur; medio columba sparto dependebat: eius contingendae certamen maximum. Tum reliquis incassum tendentibus, Ulixes cum Merione destinatum confixere. Quibus quum a reliquis favor attolleretur, Philocteta non columbam se, verum id, quo religata esset, sagitta

---

ne qua) S. Gall. opp. *neque.*

victorum praemia) Ed. Crat. et Obr. *victoribus.* Dudum ex Ed. Dacer. restitueram *victorum*; quod libris meis et Merc. confirmari iam laetor. Genitivus ponitur loco Dativi; plane ut lib. II, 33. *cuius id praemium fuerat.*

XVIII. *praevalebant*) Fert animus corrigere *praevalerent.* In seqq. Ed. Merc. *queis relig.* Ed. Princ *adnectebantur.* Bern. *advectabatur.*

media columba sparto) Arg. Cod. scriptura haec est. Al. *media col. parte dep.* Obrecht. Cum Arg. faciunt uterque S. Gall. et Ed. Princ. Videtur tamen haec lectio levem mutationem *medio-sparto* debere pati; quia *media columba* nimis poetica locutio est, infecta forte veneno alterius lectionis *media col. parte.* De *sparto* disputat Obrechtus. cf. Salmas. ad Spartian. Hadr. 19. p. 178. a.

Tum rel.) Bern. *Tunc.* In seqq. Arntzen. ad Aurel. Epit. 47. p. 592. exhibet *Ulyxes cum Mer.* Vindingius et Daceria corrigunt *destinatam*, scil. columbam. v. Gloss.

excisurum promittit: admirantibus deinde difficultatem regibus, fidem promissi non felicius quam solertius confirmavit: ita dirupto vinculo columba cum maxima populi acclamatione decidit. Praemia certaminis eius Meriones atque Ulixes tulere. Achilles duplici extra ordinem munere Philoctetam donat.

XIX. Cursu longo certantibus Oilei Aiax victor excipitur; post quem secundus Polypoetes. Duplici campo Machaon, singulari Eurypylus, saltu Tlepolemus, disco Antilochus victores abeunt. Praemia luctandi intacta permansere: quippe Aiax arripiens medium Ulixem deicit, qui ruens pedibus eius circumvortitur, 'atque ita praepedito obligatoque nixu, Aiax paene iam victor ad terram ruit. Cestibus reliquoque manuum certamine idem Aiax Telamonius palmam refert. Cursu in armis postremo Diomedes praevaluit. Dein ubi praemia certaminis persoluta sunt, Achilles primum omnium Agamemnoni donum, quod ei ho-

---

excisurum) Cave ne cum aliis MSS. legas *excussurum*. OUDENDORP. ad Apul. Met. V. p. 364. Infra pro *difficultatem* Bern. a m. pr. *facultàtem*.

XIX. *deicit*) Conspirant in contractam hanc formam uterque S. Gall., Ed. Princ., Merc. et Obr. Cf. ad II. 35. Al. *deiicit*, atque Cod. Bern. ex quo iam aliquoties indicavimus formam *deicit* (sed absque alius Cod. consensu) miror quod hic habeat *deiecit*.

circumvortitur - nixu) Ita ex Cod. Argent. et Ed. Mediol. edendum curavit Obrechtus; cui scriptioni firmandae esse dicit disputata in Gronov. Diatrib. ad Stat. c. 24. S. Gall. sec. IX. *circumvertitur - nixu*. opp. *circumvectitur - nixu*. Bern. et Ed. Merc. *circumnectitur - nexu*. Ed. Princ. *circumvestitur - nixu*. Crat. *circumvolvitur - nexu*.

cestibus) S. Gall. sec. IX. *caestibus*. Sic quoque a veteribus scribebatur. v. Serv. ad Aen. V. 69. Pro *reliquoque* Bern. *reliquorum*. Ed. Crat. *reliquo quoque*.

cursu in armis) S. Gall. sec. IX. om. *in*. S. Gall. opp. habet *cursum armis*, i. e. *cursu in armis*. Infra pro *certaminis* Crat. *certandi*.

primum omnium) Crat. *primo*. Paulo infra Ed. Princ. et Obr.

noratissimum videbatur, offert: secundo Nestori, Idomeneo tertio: post quos Podalirio et Machaoni: dein reliquis pro merito ducibus: ad postremum eorum sociis, qui in bello occiderant: hisque mandatum, uti, quum tempus fuisset, domum ad necessarios eorum perferrent. Postquam certandi praemiorumque finis factus, et iam diei vesper erat, ad sua quisque tentoria discessere.

XX. At lucis principio Priamus, lugubri veste miserabile tectus, cui dolor non decus regium, non ullam tanti nominis atque famae speciem reliquam fecerat, manibus vultuque supplici ad Achillem venit: quocum Andromacha, non minor, quam in Priamo, miseratio: ea quippe, deformata multiplici modo, Astyanacta, quem nonnulli Scamandrium appellabant, et Laoda-

---

secundum—tertium. Male videlicet relatum est *primum donum, secundum donum, tertium donum;* cum explicandum sit: primo, secundo, tertio loco; sequitur enim *post, dein, ad postremum.* Cf. c. 17. *Tum primum-Eumelus ante omnes victor declaratur: bigarum praemia Diomedes meruit, secundo post eum Menelaus.*

domum ad nec.) Vulgatam *donum* non erat quod Wopkens. p. 51. posthabere ambigeret Vindingii correctioni *domum,* cum praesertim haec correctio stet auctoritate utriusque S. Gall., Ed. Princ. et Obr. Ad *perferrent* intell. illud, scil. *donum.* Bern. *idoneum.* Ed. Merc. om. *domum.*

XX. *miserabile*) Ad Sall. Jug. 38 (33) legendum Wasseus arbitratur *veste miserabili,* delendumque *lugubri,* quam vocem meram explicationem τοῦ *miserabili* dicit. Perperam, ut vidit Wopkens. p. 61. Cf. Gloss.

manibus vultuque supplici) i. e. manibus supplicibus vultuque supplici. Exquisitior est haec Cod. Bern. et Ed. Merc. lectio, quam quae habetur in ceteris libris *supplicibus.*

Scamandrium) Ita libri, non *Scamandrum.* cf. Obss. Recte se habet etiam *appellabant,* cuius loco Bern., S. Gall. opp. et Ed. Merc. *appellant.* Eadem confusio deprehenditur Sall. Iug. 89. 4, Caes. B. C. III. 34, alibi. Ad sequens *addiderat* intell. eos, scil. filios. *Filii adduntur adiumentum* eadem latinitate dicitur, qua supra *Andromacha erat miseratio.* Cf. Hegesipp. V. 10. *Quibus-addidit Caesar adiumentum equitum potentiorum.* Ed. Obr. *aderat.* — Mox a libris meis abest *Sequebantur.*

manta, parvulos admodum filios, prae se habens, regi adiumentum deprecandi addiderat, qui moeroribus senioque decrepitus filiae Polyxenae humeris innitebatur. Sequebantur vehicula plena auri atque argenti pretiosaeque vestis: quum super murum despectantes Troiani comitatum regis oculis prosequerentur. Quo viso repente silentium ex admiratione oritur: ac mox reges, avidi noscere causam adventus eius, procedunt obviam. Priamus ubi ad se tendi videt, protinus in os ruit, pulverem reliquaque humi purgamenta capiti aspargens: dein orat, uti, miserati fortunas suas, precatores secum ad Achillem veniant. Eius aetatem fortunamque recordatus Nestor dolet: contra Ulixes maledictis insequi, et commemorare, quae apud Troiam in concilio ante sumtum bellum ipse adversum legatos dixerat. Ea postquam Achilli nunciata sunt, per Automedontem eum accersi iubet, ipse retinens gremio urnam cum Patrocli ossibus.

---

reliquaque) Cap. 19. *Cestibus reliquoque manuum certamine.* Ed. Princ. et Obr. *atque alia.* Fuitne *quaeque alia?* Tacit. Hist. I. 23. *quaeque alia turbamenta vulgi.* — Antiquam formam *aspargens* recepi ex optimo S. Gall. sec. IX, cum antea ederetur *aspergens.* Cf. Cort. ad Lucan. I. 385.

dolet) Libri *docet*; et mox Bern. et S. Gall. opp. *maledictis sine quiete comm.* corrupte. In seqq. *apud Troiam* recepi ex Ed. Crat., Merc. et quae ex his expressae sunt. MSS., Ed. Princ. et Obr. *ad Troiam.* v. Gloss. ad I. 5. Porro S. Gall. opp., Ed. Merc. et Obr. *in consilio.* v. ad I. 6.

per Aut. eum accersi iubet) Haec est optimi S. Gall. sec. IX. lectio. Eam comprobat ceterorum librorum scriptura: etenim Bern. et S. Gall. opp. *eum accersi*, omisso *iubet*; ut habuisse videtur etiam uterque Merceri liber, unde hic edidit *accersit.* Ed. Princ. *eum accersiri iubet;* ut est etiam in Ed. Crat., quae tamen om. *eum.* Haud equidem ignoro, quae secuti argumenta viri docti alteram formam *arcessere* vel ubique antiquis scriptoribus vel ex MSS. vel proprio inge-

XXI. Igitur ingressis ducibus nostris cum Priamo, rex genua Achilli manibus complexus, *Non tu mihi*, inquit, *causa huiusce fortunae, sed deorum quispiam, qui postremam aetatem meam, quum misereri deberet, in hasce aerumnas deduxit, confectam iam ac defetigatam tantis luctibus filiorum. Quippe hi, fisi regno, per iuventutem, quum semper cupiditates animi quoquo modo explere gestiunt, ultro sibi mihique perniciem machinati sunt: neque dubium cuiquam, quin contemtui sit ado-*

---

nio restituerint. Sed cum utraque forma linguae legibus non repugnet (v. Doederlein. lat. Synon. und Etymol. P. III. p. 281 sq.), atque *accersere* scriptoribus saltem posterioribus multis (Dareti, Sulpicio, Hegesippo, aliis) proprium sciam, in Septimii loco MSS. consensum sequi haud dubitavi. Ed. Obr. *per Aut. adversum iri iubet.* Sed cf. Malel. et Cedren. in Obss.

retinens) Bern. a m. pr. *tenens.* ex interpretatione. Vid. ad II. 49. ubi consulendum dixi Wopkens. p. 62.

XXI. *genua Achilli*) Ed. Crat. et Merc. *Achillis*; et sic legi volunt Vinding. et Wopkens. p. 62. Favet c. 27. *amplexus Achillis genua.* Attamen verum iudico *Achilli*, sive casu tertio accipias, sive secundo pro: Achillis; qualem Genitivum in ipso Septim. offendimus. v. ad II. 17. De casu secundo *Achilli* aliisque id genus permultis cf. Ruhnken. ad Vell. Pat. II. 43. 2, Voss. de Analog. II. 9. — Mox Bern. *huiuscemodi fort.*

misereri) Sic scripsi ex tribus MSS. et Ed. Princ.; cum antea ederetur *miserari.* Intell. eius, scil. aetatis. Infra: *miserere aetatis.* Praecedens Accusativus *postremam aetatem meam* pendet a sequente verbo transitivo *deduxit.* Apprime conveniunt, quae de notione verbi *misereri*, et de eius a *miserari* discrimine dicunt grammatici. Isidor. Different. II. fol. 143. A. 2. *Miseremur, cum eodem tempore et de alicuius casu dolet nobis, et subvenimus laboranti: miserari est consolari tantum et intra affectum doloris esse.* Non. p. 445. Merc. *Miserari et misereri ceteri his sensibus esse voluerunt, ut sit miserari flere et lamentari; misereri miserationem alienis casibus exhibere; et activo ad primum affectum, passivo ad secundum.*

defetigatam) Ita pro *defat.* rescripsi ex optimo S. Gall. sec. IX. Terent. Andr. IV. 1. 45. *deceptus sum, at non defetigatus.* Videtur antiqua forma restituenda ex MSS. esse etiam Favorino apud Gell. XV. 8.

gestiunt) Solita syntaxeos analogia postulat, ut scribatur hic *gestiant* Perizon. Diss. §. XXXIX. Reluctatur Wopkens. p. 62.

dub. cuiquam, quin cont.) S. Gall. sec. IX. *dubium cui. quam cont.*, id est, adnotat Orellius, *dub. cuiquam, quam cont.* Mox MS.

lescentiae senecta aetas. Quod si interitu meo reliqui huiusmodi facinoribus temperabunt, me quoque, si videtur, exhibeo poenae mortis; cui misero confectoque moeroribus omnes aerumnas, quibus nunc depressus infelicissimum spectaculum mortalibus praebeo, cum hoc exiguo spiritu simul auferes. Adsum en ultro: nihil deprecor: vel si ita cordi est, habe in custodia captivitatis: neque enim mihi quidquam iam superioris fortunae reliquum est; quippe interfecto Hectore cuncta regni concidere. Sed si iam Graeciae universae, ob meorum male consulta, satis poenarum filiorum sanguine et meis aerumnis persolvi; miserere aetatis, ac deos recordatus retorque animos ad pietatem: concede parvulis saltem, non animam parentis, sed cadaver deprecantibus. Veniat in animum recordatio parentis tui, omnes curas vigiliasque in te tuamque salutem impendentis. Sed illi quidem cun-

---

Oudendorpii ad Apul. Met. VII. p. 499. et Ed. Crat. *senectae aetas.* v. Gloss.

huiusmodi) Ita uterque S. Gall. et Ed. Princ., non *huiuscemodi.* In iisdem paulo infra *si videretur.* Porro pro *duferes* Bern. *auferens.*

Adsum en ultro) En adiecit Obrechtus, Med. Ed. vestigia secutus. Abest a meis MSS et Edd. Cf. Gloss.

satis poenarum cet.) Totum locum sic restitui ex optimo S. Gall. sec. IX; abs quo Ed. Crat. et Obr. non differunt, nisi quod habeant *ac meis aer.*, pauloque diversam interpunctionem. S. Gall. opp., Bern. et Ed. Merc. *satis poenarum est fil. sang. et* (Merc. *ac*) *meis aerumnis; at* (S. Gall. opp. *ad*) *Deos record.*, omissis verbis *persolvi, miserere aetatis.* Posteriora *mis. aetat.* ignorat etiam Ed. Princ., in qua *persolutum ñ est. At Deos rec.*, in ceteris cum S. Gall. sec. IX. conveniens.

non anim.) Crat. *si non an.*, a scholiasta, qui locum non intellexit.

cur. vigil. in te tuamque sal.) S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *vigiliasque intentumque salutem.* S. Gall. opp. *curasque vigiliasque in tantum atque salutem incenditis.* Mox Bern. *proveniat*, et *degant*, pro: *proveniant-degat.* Ed. Crat. *perveniant.*

cta secundum sua vota proveniant, longeque aliter, neque mei similem senectam degat.

XXII. Interea dum haec commemorat, paullatim animo deficere ac dissolvi membris, dein obmutescere occipit; quod spectaculum longe miserrimum omnibus, qui tunc aderant, dolori fuit. Dein Andromacha parvulos Hectoris filios ante Achillem prosternit: ipsa fletu lamentabili orans, uti sibi cadaver coniugis intueri saltim concederetur. Inter haec tam miseranda Phoenix cum Nestore Priamum sustollere, atque uti animum reciperet, hortari. Tum rex ubi in aliquantum refovit spiritum, nixus genibus atque utraque manu caput dilanians, *Ubi nunc illa est,* ait, *quae apud Graecos praecipue erat misericordia? an iuxta solum Priamum circumscribitur?*

XXIII. Iamque omnibus dolore permotis, Achilles, *Decuisse,* ait, *filios eum suos initio ab eo, quod admiserint, facinore cohibere, neque ipsum concedendo tanti delicti participem fieri. Ceterum ante id decennium non ita defessum senecta fuisse, ut suis despectui esset; sed obsedisse animos eorum desiderium rerum alienarum: neque ob mulie-*

XXII. *saltim*) Ita S. Gall. sec. IX, pro *saltem*. Cf. ad II 22. In *seqq.* verba *cum Nestore* exsulant a libris meis et Ed. Merc. Cf. Malelas. Bene Ed. Princ. *animum uti recip.*

refovit spiritum) Libri mei et Ed. Merc. *revolvit*, pro quo Wopkens. p. 63. vult *revocat* vel *revocavit*. Sed MS. Periz. apud Oudendorp. ad Apul. Met. IV. p. 252 et V. p. 384, itemque Ed. Crat. et Obr. *refovit*; quod verbum nonnunquam in MSS. corrumpitur, ut Ovid. Amor. II. 19. 15. *refoverat* in *resolverat*. cf. Praefat. p. LIII.

nixus gen.) Bern., S. Gall. opp., Ed. Princ. et Crat. *nixis*. Mox libri mei et Merc. *praecipue erat iusta miser.? an solum in Pr. circ.* Potior mihi visus est Ed. Obr. et Crat. consensus.

XXIII. *admiserint*) Bern *amiserint*, pro *ammis.* i. e. *admis.*

rem solum unam, sed Atrei atque Pelopis divitiis inhiantes, raptum res more incondito perrexisse: pro quis aequissimum esse, eiusmodi poenas vel etiam graviores pendere. Namque ad id tempus Graecos, secutos morem in bellis optimum, quoscunque hostium pugna conficeret, sepulturae restituere solitos: contra Hectorem, supergressum humanitatis modum, Patroclum eripere proelio ausum, scilicet ad inludendum ac foedandum cadaver eius: quod exemplum poenis ac suppliciis eorum eluendum, ut Graeci ac reliquae posthac gentes memores ultionis eius, moremque humanae conditionis tuerentur. Non enim Helenae neque Menelai gratia exercitum, relictis sedibus parvulisque, procul ab domo, cruentum suo hostilique sanguine, inter ipsa belli discrimina huiusmodi militiam tolerare; sed cupere dinoscere, barbarine Graecine summa

---

Atrei atque Pel.) Bern. om. *Atrei atque.* quae voces in S. Gall. opp. et Ed. Princ. corrumpuntur in *catratque.* v. Malel. in Obss. Infra Ed. Merc. *pro queis.* S. Gall. opp. et Ed. Merc. om. *esse.*

quoscunque hostium) Bern. et S. Gall. opp. *quosc. hos pugna.* Ed. Princ. *quosc. hostilis pugna.* Mox Crat. *conficerent.* sed melius *pugna* nominativo casu accipitur. Libri mei *sepult. rest.*, non *rest. sep.*

ad inludendum) Ita S. Gall. sec. IX. In cett. *ad illud.* Ed. Obr. *ad ludendum.* Sed *illudere* in eadem re c. 10. et IV. 12. Infra Bern., S. Gall. opp. et Ed. Princ. *ut Graeciae ac.* forte pro *ut Graecia ac.*

memores ultionis eius, moremque) Legendum puto *morem quoque.* Vel etiam *que* per me deleatur, nisi velis *memores essent ultionis eius, moremque.* Wopkens. p. 64. Omnino legendum *modumque.* Daceria. De ellipsi τοῦ *essent* ago in Gloss. In rem Daceriae facere tibi videantur praecedentia *supergressum humanitatis modum.* Sed eodem modo Livius XXVI. 48. coniungit *modum modestiamque*, quo Sall. Cat. 50. et Septim. II. 21. *morem modestiamque*; et passim horum promiscuum obtinere usum recte animadvertit Wopkensius, et nos monuimus ad lib. I. 9. Cf. Gloss.

militiam) S. Gall. sec. IX. *militia.*

barbarine Graecine) Elegantius in duobus MSS. inveni *barbari*

rerum potirentur: quamquam iustam causam fuisse inferendi belli etiam pro muliere: namque uti ipsi raptu rerum alienarum laetarentur, ita maxime dolori esse his, qui amiserint. Ad haec multa infausta detestandaque imprecari, confirmareque, *se capto Ilio ante omnes tanti admissi poenas sanguine eius expetere, ob quam, patria parentibusque carens, Patroclum etiam, solicitudinis suae levamen maximum, amiserit.*

XXIV. Dein consiliatum cum supradictis ducibus surgit: quis omnibus una atque eadem sententia est, scilicet uti, acceptis quae allata essent, corpus exanime concederet: quod ubi satis placuit, singuli ad sua tentoria discedunt. Moxque Polyxena, ingresso Achille, obvoluta genibus eius, sponte servitium sui pro absolutione cadaveris pollicetur. Quo spectaculo adeo commotus iuvenis, ut, qui inimicissimus ob mortem Patrocli Priamo eiusque regno esset, tum recordatione filiae ac parentis ne lacrimis quidem temperave-

---

Graecine. Oudendorp. ad Apul. Met. IX. p. 604. Et sic etiam Ed. Crat. Sed libri mei, Ed. Merc. et Obr. *barbarine Graecine.* Recte. v. Gloss. Mox Bern. *referendi belli fuisse.*

imprecari) Antea edebatur *Helenae imprec.*; quam vocem auctoritate librorum meorum et Merceri delendam putavi. Helenae commemoratione hic non opus esse tibi persuadebis, lectis sequentibus Achillis verbis, et hac facta interpunctione *sanguine eius expetere, ob quam* (scil. Helenam); cum antea distingueretur *expetere: ob quam.* — Mox Ed. Crat. *capto atque everso Ilio.*

XXIV. *consiliatum*) Crat. *consultatum.* cf. Gloss. In seqq. Bern. et Ed. Merc. *queis.* Ed. Princ. om. *est.* S. Gall. opp. *discedere.* Ed. Princ. *discedit.*

ingresso Achille) Crat. *Achilli*, ut quis correxit ob sequens *pollicetur*; ad quod verbum ex ablativo absoluto *ingresso Achille* intelligendum modo: illi. Cf ad II. 49.

filiae ac parentis) scil. Polyxenae et Pelei. Ita Ed. Crat. et Obr. Recte; ut iam vidit Daceria. Libri mei et Merc. *filii.* Mox Bern. *temptaverit.* S. Gall. opp. *temperavit.* Ed. Princ. *temperaverat.*

rit. Itaque manu oblata Polyxenam erigit, praedicto prius mandataque cura Phoenici super Priamo, ut delutaretur. Sed rex *nihil se luctus neque praesentium miseriarum remissurum* ait. Tum Achilles confirmare, *non prius cupitis eius satis futurum, quam mutato in melius habitu cibum etiam secum sumeret.* Ita rex, veritus ne, quae concessa videbantur, ipse recusando impediret, demisse omnia, quaeque imperarentur, facienda decrevit.

XXV. Igitur ubi excussus comis pulvis, totusque lotus est, mox a iuvene ipseque et qui cum eo venerant, cibo invitantur. Dein ubi saties omnes tenuit, hoc modo Achilles disseruit. *Refer iam nunc mihi, Priame, quid tantum causae fue-*

---

praedicto prius mand.) Occupasse iam hanc meam correctionem video Wopkensium p. 64. MSS. et Edd. *praedicta*. cf. Gloss. De seqq. *ut delutaretur* disputavi in Praefat. p. XLVI.

cupitis - satis futurum) Ita Cod. Heinsii ad Vell. Pat. II. 45. 3, Ed. Merc. et Obr.: quam insolentem formulam retinendam putavi, cum etiam libri mei *futurum*, sed om. *satis*. Dares c. 34. *satis suae vitae esse*. et sic ille alibi. Ed. Crat. *satisfacturum*. quod praefert Wopkens. p. 65.

impediret, demisse omnia, quaeque imp.) Sic scribendum censui ex librorum meorum corrupta lectione *impediret dedisse omnia*. Ed. Obr. *imp., dein omnia*. Crat. et Merc. *impediret, omnia, quaeque imp.*

XXV. *lotus*) Ex quibusdam MSS. et Ed. Obr. *lautus* scribit Oudendorp. ad Apul. Met. IX. p. 639, conferens lib. I. 15. et IV. 8. Sed MSS. mei et Merc. *lotus*. Ed. Princ. *letus* i. e. *lotus*.

saties) Bern., Ed. Crat. et Merc. *satietas*. Cod. Heinsii apud Drakenb. ad Sil. IV. 110. et S. Gall. opp. *satias*. cui addictus est Wopkens. p. 65. Sic sane loquuntur Livius (v. Intpp. ad Liv. XXVII. 49.), Sallustius (v. Cort. ad Hist. III. p. 966.), Tacitus, Ammianus, alii. Sed amata antiqua forma *saties* nostro est, et comprobatur hic, lib. IV. 7. V. 2 et 13. auctoritate S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Obr.

disseruit) Bern. *deser*. Mox Ed. Crat. et Merc. *iam nunc*. In seqq. coniicias *quid tandem*, et *ingrav. etiam*. Porro S. Gall. opp. et Ed. Princ. *perpuleritis*. Crat. *repul*. Heinsius ad Ovid. Met. V. 448. exhibet *repellite*. Post *omnium* Ed. Princ. om. *est;* atque ante *exsecrati* Bern. et Ed. Merc. om. *hi*.

rit, cur, deficientibus quidem vobis in dies copiis militaribus, ingravescentibus autem calamitatibus atque aerumnis, Helenam tamen in hodiernum retinendam putetis, neque velut contagionem infausti ominis propuleritis? quam prodidisse patriam parentesque et, quod indignissimum omnium est, fratres sanctissimos, cognoveritis. Namque hi exsecrati facinus eius, ne in militiam quidem nobiscum coniuraverunt: scilicet ne, quam audiri incolumem nollent, ei per se reditum in patriam quaererent. Eam igitur quum cerneretis malo omnium civitatem intravisse vestram, non eiecistis? non cum detestationibus extra muros prosecuti estis? Quid illi senes, quorum filios pugna in dies conficit: nonne adhuc persenserunt, eandem causam extitisse tantorum funerum? Itane ergo divinitus vobis eversa mens est, ut nullus in tanta civitate reperiri possit, qui, fortunam labentis patriae dolens, de pernicie publica cum exitio eius transigat? Ego qui-

---

audiri incol.) Vulgo et S. Gall. opp. *audire*. Perizonius Diss. §. XXXIX. corrigit *redire*; cum tamen fortius dictum sit, fratres sanctissimos eam ne *audire* quidem incolumem voluisse. Sed S. Gall. sec. IX, Bern. et Ed. Princ. *audiri*. et sic editum volui. In seqq. Ed. Crat. *ea per se — quaereret*. Bern. *reiecistis*. S. Gall. opp. *persecuti*.

persenserunt) Bern., Ed. Crat. et Merc. *praesens.*, quod placet Wopkensio p. 66, male *praesentire* idem esse quod *persentire* affirmanti. S. Gall. uterque, Ed. Princ., Obr., ut et MS. Voss. apud. Oudend. ad Apul. Met. VIII. p. 536. *persenserunt*, i. e. nonne, tot cladibus persuasi, toto animo senserunt; vel simpliciter: nonne senserunt. Ex MSS. *persentire* scribendum etiam lib. IV. 3. V. 9. 12. ut *persentiscere* lib. IV. 11. Eadem varietas in permultis Apuleii, cui familiarissima haec verba sunt, locis obtinet, ut docuit Oudend. l. l. et alibi.

Itane ergo) Bern. et S. Gall. opp. *Ita ergo*. Infra Ed. Merc. et Obr. *labantis*. Oudendorp. ad. Apul. Met. VIII. p. 526. citat: *quia fort. labenti p. d.*, sed adnotat duos MSS. habere *labentis*. cf. Senec. Octav. 176. *labentem domum*.

de pernicie p. cum exitio eius trans.) Integritatem loci omnino

dem aetatis tuae contemplatione atque harum precum cadaver restituam, neque unquam committam, ut, quod in hostibus comprehenditur crimen malitiae, ipse subeam.

XXVI. Ad ea Priamus, renovato fletu quam miserabili, *Non sine decreto divum adversa hominibus irruere*, ait: *deum quippe auctorem singulis mortalibus boni malique esse: neque, cui beatum esse licitum sit, cuiusquam in eum vim inimicitiasque procedere. Ceterum se diversi partus quinquaginta filiorum patrem, beatissimum regum omnium habitum: ad postremum Alexandri natalem*

---

agnosco, nec cum Anna legendum arbitror *perniciem publicam exitio eius transigat.* Nihil enim Tullio aliisque frequentius, quam
de re transigere, decidere, conficere, pro transigere cet. id quod
ad rem illam attinet. Neque *cum* magis hinc eliminandum, quam
ex his Io. Sarisberiensis Policr. VI. 24. *omnia namque cum pretio–obtinebis.* infinitisque locis aliis, quorum nonnulla collegit Perizo
nius ad Sanct. Min. IV. 6. 8, Wopkens. p. 66. Huic favere videtu
Oudend. ad Apul. Met. III. p. 526. Sordem ac barbariem loco ad
haerere, nemo diffitebitur. Correxeram: *qui — cum pernicie public*
exitio eius transigat, i. e. qui occisâ Helenâ finiat perniciem publi
cam: ut Tacit. Agr. 34. *transigite cum expeditionibus.* Apul. I.
cum luce iam transegerat. Sed iterum me revocaveram ad *transige*
de re, Graec. *διαπράττεσθαι περί τινος;* et explicaveram: qui d
pernicie publica amolienda agat; et *cum exitio* barbare dictum st
tueram, pro: et Helenam interficiat; vel Helenâ morte multatâ.

harum precum) MSS. et Ed. Obr. *horum.* Intelligendum esse
liberorum, Astyanactis et Laodamantis. Atqui hi nihil oraverant; or
verant autem Andromacha (c. 22.) et Polyxena (c. 24.) Quare m
lius et praeterea commodius arbitratus sum *harum precum*, ut leg
tur in Ed. Princ., Crat. et Merc.; sive intelligas: harum mulieru
sive femininum genus nominis substantivi respicias.

XXVI. *quam miserabili*) Ed. Princ. *qua miserabile.* In se
Bern. et S. Gall. opp. om. *sine.*

cui beatum) Ed. Crat. et Merc. *quoad*, ut citat etiam Wa
ad Sall. Libri mei *quod* pro *quoad*, ut centies in MSS. Acqui
centi in hac lectione in seqq. pro *in eum* corrigendum esset *in a*
quem, vel *in eos*, scil. mortales. Recipere visum est lectionem I
Obr.: totum locum expedio in Gloss.

ad postremum) Ed. Obr. *at postr.* Libri mei simpliciter *p*
stremum. Servant *ad* Ed. Crat. et Merc. Pergitur in libris meis
Merc. *Alex. nat. diem*; *quem evitari.* Ed. Crat. *quem evitare.* I

diem; quem evitari ne diis quidem praecinentibus potuisse. Namque Hecubam, foetu eo gravidam, facem per quietem edidisse visam, cuius ignibus conflagravisse Idam; ac mox continuante flamma deorum delubra concremari, omnemque demum ad cineres collapsam civitatem, intactis inviolatisque Antenoris et Anchisae domibus. Quae denunciata cum ad perniciem publicam spectare aruspices praecinerent, internecandum editum partum placuisse. Sed Hecubam more foemineae miserationis clam alendum pastoribus in Idam tradidisse: eum iam adultum, cum res palam esset, ne hostem quidem

---

Obr. *diem evitari*, omisso *quem*. v. Gloss. Mox pro *diis* Ed. Princ. *dis*.

conflagravisse) Ed. Princ. et Obr. *flagravisse*. Crat. *conflagrasse*.

continuante flamma) Teste Oudendorpio Perizonius ad Caesar. B. G. VII. 28. hunc locum adscripserat, legens ex MS. *continente flamma*. Dicit quidem Caesar B. G. VIII. 5. *continens flamma*. aliaque similia, docente Oudendorpio; verum etiam *continuare* eadem notione intransitive usurpatur. v. Gloss. Atque *continuante* lego in MSS. meis et Edd. In MS. Periz. forte librarius *continante* scribere voluit pro *continuante*; quam formam aliquoties occurri apud recentiores docuit Salmas. ad Capitolin. Pertin. 12. p. 564. b.

Quae denunciata cum) Vulg. *quae dum denunc.* quod placet Wopkensio p. 67. S. Gall. opp. et Bern. *Quae denunciatum*, i. e. *denunciata cum*. ut recte habetur in S. Gall. sec. IX. et Ed. Obr. In Ed. Princ. om. *cum*. — Mox Bern. et Ed. Princ. *exspectare*. S. Gall. opp. *espectare*. forte pro *respectare* i. e. respicere.

more foemineae miserationis) Ed. Princ. et Obr. *more foemineo, causa miserationis*. Edita mihi ex Ed. Crat. et Merc. lectio probatur Codd. scriptura *more foemineo miserationis*.

in Idam tradidisse) Sequitur in vulg. *in id dextram dedisse*: quod abest a Cod. Arg. et Ed. Med., atque ex vitiosa verborum praecedentium scriptura irrepsisse palam est. Obrecht. S. Gall. opp. et Bern. *pastoribus velide (valide) tradidisse in id dextram dedisse*. Sed Ed. Princ. *pastoribus ide tradidisse*. atque veritatem Obrechti de verborum *in id dextram ded.* origine opinionis egregie ostendit corrupta scriptura S. Gall. sec. IX. *pastoribus iniddextra dedisse*.

ne hostem quidem) Bern. et Ed. Merc. om. *quidem*. Non male: nam *ne* poni pro: ne quidem, audivimus ad c. 9. Sed ob hanc omissam vocem Anna perversam seriem sensumque introduxit. v. Gloss.

quamvis saevissimum, ut interficeret, pati potuisse; tantae scilicet fuisse eum pulchritudinis atque formae. Quem coniugio deinde Oenoni iunctum cupidinem cepisse visendi regiones atque regna procul posita. Eo itinere abductam, Helenam urgente atque instigante quodam numine cunctorum civium animis, sibi etiam laetitiae fuisse, neque cuiquam, quum orbari se filio aliove consanguineo cerneret, non acceptam tamen; solo omnium adversante Antenore: qui initio post Alexandri reditum filium suum Glaucum, quod eius comitatum sequutus erat, abdicandum a penatibus suis decreverit, vir domi belloque prudentissimus. Ceterum sibi, quoniam ita res ruerent, optatissimum appropinquare naturae finem, omissis iam regni gubernaculis atque cura: tantum se in Hecubae filiarumque recordatione cruciari, quas, post excidium patriae captivas, incertum cuius domini fastus manerent.

XXVII. Dein omnia, quae ad redimendum filium advecta erant, ante conspectum iuvenis

---

Oenoni) Ed. Crat. et Merc. *Oenonae.* Bern. *enoni* i. e. *Oenoni.* In seqq. Crat. *cup. desideriumque maximum.* Eadem et Merc. *videndi.* Obr. *adductam.* Post *Helenam* in Crat. interpolatum *venusto aspectu decoram.* Bern. et S. Gall. opp. *urgentem atque instigantem.* Sed numen potius instigabat ad amorem Helenae; quasi divino stimulo homines ad amorem impellebantur.

domi belloque) Ex vet. Cod. suo Heinsius ad Ovid. Met. XII. 185. rescribendum esse dicit *domi bellique*, ut habet etiam Ed. Crat.; atque ita corrigit lib. V. 15 et VI. 15. contra plurimorum atque optimorum librorum fidem. cf. Gloss.

in Hec. — recordatione) Haec contra Vindingium, deleri *in* iubentem, defendit Periz. Diss. §. XL. Innumeris locis similiter loqui Apuleium, ait Oudend. ad Apul. Met. XI. p. 754. sq. ubi etiam noster locus producitur.

fastus manerent) *Fastus* Nom. plur. est, hac constructione: *filias fastus* (superbiae) *manent;* nota formula. Bern. et Ed. Princ. *fastum sustinerent.* a librario, qui oblitus est corrigere etiam *quae - captivae.*

XXVII. *advecta erant*) Ita S. Gall. sec. IX, Ed. Crat. et Obr.

exponi imperat: ex quis, quidquid auri atque argenti fuit, tolli Achilles iubet; vestis etiam, quod ei visum est: reliquis in unum collectis Polyxenam donat, et cadaver tradit. Quo recepto rex, in gratiamne impetrati funeris, an si quid Troiae accideret, securus iam filiae, amplexus Achillis genua orat, uti Polyxenam suscipiat sibique habeat: super qua iuvenis aliud tempus atque alium locum tractatumque fore respondit; interim cum ea reverti iubet. Ita Priamus, recepto Hectoris cadavere, ascensoque vehiculo, cum his, qui se comitati erant, ad Troiam redit.

Nec male al. *advectaverat.* quo verbo utitur Tacit. Ann. VI. 13. Infra Bern. et Ed. Merc. *ex queis.*

vestis etiam cet.) Sic locus interpungendus est. Tolli iubet etiam vestis (i. e. vestium. v. Gloss. ad cap. 20.), quicquid tollere visum ei est. Malel. p. 158. *καὶ τεθέντων τῶν λύτρων ἐπὶ τῆς γῆς, ἰδὼν ὁ Ἀχιλλεὺς τὸ πλῆθος τῶν δώρων, τόν τε χρυσὸν καὶ τὸν ἄργυρον δέχεται, καὶ ἐκ τοῦ ἱματισμοῦ μέρος. τὰ δὲ λοιπὰ Πολυξένῃ χαρισάμενος, ἀπέδωκε τὸν νεκρόν.* Mox Bern. et S. Gall. opp. *tradidit.*

securus iam filiae) Anna corrigit *filii.* v. Gloss. Infra libri mei *super quam*; quasi fuisset *super qua re.* ut Cic. Att. 16. 6. *hac super re scribam ad te.* Ed. Merc. et Obr. *super quae.* Crat. *super qua.* ut edidi. Malelas, cuius verba mox describam, ait *κατ' αὐτήν.* Mox Bern. a m. pr. *traditumque*: superscripsit manus longe recentior *tractatumque.*

cum ea reverti) Ita scripsi, reclamantibus MSS. et Edd., in quibus *cum eo.* Achilles iubet Priamum cum Polyxena reverti. Malel. p. 159. *Ὁ δὲ Πρίαμος παρακαλεῖ τὸν Ἀχιλλέα, Πολυξένην παρ' αὐτῷ καταλιπεῖν. ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ, εἰς τὸ Ἴλιον αὐτὴν ἀγαγεῖν, εἰς ἄλλον καιρὸν τὰ κατ' αὐτὴν ἀναβαλλόμενος. Ὁ δὲ Πρίαμος ἀνελθὼν εἰς τὸ ὄχημα, ἔχων τὸ σῶμα τοῦ Ἕκτορος, ἅμα τοῖς σὺν αὐτῷ εἰς τὴν πόλιν εἰσῆλθεν.*

DICTYS CRETENSIS

EPHEMERIDOS

BELLI TROIANI

LIBER QUARTUS.

I. Sed postquam Troianis palam est, regem perfecto negotio inviolatum atque integro comitatu regredi, admirati laudantesque Graeciae pietatem ad coelum ferunt: quippe quis animo ita haeserat, nulla spe impetrandi cadaveris, ipsumque et qui cum eo fuissent, retineri ab Graecis, maxime ob Helenae, quae non remitteretur, recordationem. Ceterum viso Hectoris funere, cuncti cives sociique accurrentes fletum tollunt, divellentes comam foedantesque ora laniatibus, neque in tanta populi multitudine quisquam in se virtu-

I. *Troianis pal. est*) Bern. *Troiani pal. esse.* In seqq. S. Gall. opp. *egredi*. Bern. et Ed. Merc. *quippe queis*. Crat. Ed. *nulla spes*. Vult Vindingius *an. inhaeserat nulla spes.* cuius audaciam recte impugnat Wopkens. p. 69. Cf. Gloss.

cum eo) S. Gall. opp. *cum ipso*. In seqq. Edd. vulg. *a Graecis*. Ed. Princ. *adcurrentes*. S. Gall. opp. *foedantes*. Ed. Crat. *neque in virtute sua spei bonae fiduciam ponere*.

tis aut spei bonae fiduciam credere, illo interfecto, qui, inclyta per gentes fama rerum militarium, in pace etiam praeclara pudicitia; ex qua haud minorem, quam reliquis artibus gloriam adeptus erat. Interea sepelivere eum haud longe a tumulo Ili regis quondam. Dein exorto quam maximo ululatu postrema funeri peragunt, hinc foeminis cum Hecuba deflentibus, hinc reclamantibus Troianis viris, et ad postremum sociorum gentibus. Quae per dies decem, concessa bellandi requie, ab ortu solis ad usque vesperam per Troianos gesta, nullo usquam remisso lugendi officio.

II. Interim per eosdem dies Penthesilea, de qua ante memoravimus, cum magna Amazonum manu reliquisque ex finitimo populis supervenit. Quae postquam interemtum Hectorem cognovit, perculsa morte eius regredi domum cupiens, ad postremum multo auro atque argento ab Alexandro illecta, ibidem opperiri decreverat. Dein exactis aliquot diebus copias suas armis instruit:

---

qui, inclyta — fama) Vindingius tentat *qui inclytus*, Wopkensius cui vel *cuius inclyta*, vel *qui inclyta — fama erat rer.* Nihil hic movendum. Post *pudicitia* intell. erat. *Inclyta fama* sextus casus est, absolute positus, quo nihil Septimio frequentius. Cf. Perizon. Diss. §. XL. Pro *pudicitia* Crat. *prudentia*. Infra S. Gall. opp. *ab tumulo*.

hinc — hinc) Vult Vindingius *hinc — illinc*. At cap. 8. *hinc Aethiopas — hinc Graecos*. Cf. Virgil Aen. IX. 550, X. 760, XII. 457. Sed ad satietatem iam protulit in re parva contra Vinding. exempla Wopkens. p. 70. Infra libri mei et Merc. *Troianis viris*, non *viris Troi*. S. Gall. opp. *usque*, om. *ad*.

nullo usquam) Ed. Merc. et Dacer. *nusquam*. non mala glossa; nam *nullo* poni apud Romanos pro: nullo loco, docuit Gronov. ad Liv. XXII. 53. Melius tamen iungis *nullo officio*. Apul. Met. VIII. p. 521. *omnia quidem lugentium officia solerter affingit*.

II. *ex finitimo*) Ed. Princ. et Crat. *ex finitimis*. Bern. *ex infinitimo*. v. Praefat. p. XLI. sq. Infra pro *perculsa* Bern. *percussa*.

at seorsum a Troianis ipsa, suis modo bellatoribus satis fidens, in pugnam pergit; cornu dextro sagittariis, altero peditibus instructo, medios equites collocat, in quis ipsa. Contra ab nostris ita occursum, ut sagittariis Menelaus atque Ulixes et cum Teucro Meriones, peditibus Aiaces duo, Diomedes, Agamemnon, Tlepolemus et cum Ialmeno Ascalaphus opponerentur, in equites ab Achille et reliquis ducibus pugnaretur. Hoc modo instructo utrinque exercitu conflixere acies. Cadunt sagittis reginae plurimi: neque ab Teucris secus bellatum. Interim Aiaces et qui cum his erant, pedites, contra quos steterant, caedere, ac restantes detrudere umbonibus, moxque repulsos obtruncare. Neque, quoad deletae peditum copiae, finis fit.

III. Achilles inter equitum turmas Penthesileam nactus, hasta petit, neque difficilius quam foeminam equo deturbat; atque manu compre-

---

at seorsum) Ita S. Gall. sec. IX, Bern. et Ed. Princ., non *ac seorsum.*

in quis ipsa) Expressa haec verba sunt in S. Gall. sec. IX. et Ed. Obr. Recte. Malel. p. 159. *ἡ δὲ Πενθησίλεια μέσον τῶν ἱππέων ὑπῆρχε σὺν τῷ σίγνῳ.* cf. Tzetz. posth. 56. Absunt a cett. MSS. et Edd.

Cadunt) S. Gall. sec. IX, Ed. Obr. et Crat. *caduntque.* Infra S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *Aiaces duo et.* quod profectum videtur ex superioribus *Aiaces duo.*

restantes) Cod. Argent. et Ed Princ. *resistentes.* v. Obrecht. Permutantur eadem verba in MSS. Sall. Iug. 52. init. ubi cf. Cort.

repulsos) Oudendorp. ad Apul. Met. IX. p. 619. ex MS. Perizon. praefert *detrusos*, ut est etiam in Ed. Crat: enatum scil. ex praecedentibus *detrudere umbonibus.*

finis fit) Bern. et Ed. Merc. *finis fuit.* Cap. 5. *neque finis fit, quoad.* 7. *neque prius finis factus, quam.*

III. *Achilles*) Ed. Obr. *At Achilles.*

atque manu comp. coma, ita — detrahit) MSS. et Edd. lectio est *manu comp. comam, atque ita — detrahens.* Attamen Ed. Obr.

hendens coma, ita graviter vulneratam detrahit. Quod ubi visum est, tum vero nullam spem in armis rati, fugam faciunt: clausisque civitatis portis, nostri reliquos, quos fuga bello exemerat, insecuti obtruncant; foeminis tamen abstinentes manus parcentesque sexui. Dein uti quisque victor, interfectis quos advorsum ierat, regrediebatur, Penthesileam visere seminecem etiam nunc admirarique audaciam. Ita brevi ab omnibus in eundem locum concursum, placitumque, uti, quoniam naturae sexusque conditionem superare ausa esset, in fluvium, reliquo adhuc ad persentiendum spiritu, aut canibus dilanianda iaceretur. Achilles interfectam eam sepelire cupiens, mox a Diomede prohibitus est. Is namque percontatus circumstantes, quidnam de ea faciendum

---

coma. Recte. Graec. *λαβὼν τῆς κομῆς.* *Detrahens* i. e. ex equo detrahens. Atqui hasta eam equo iam deturbaverat. Absurda igitur lectio est. Malelas p. 160. ita retulit: *καὶ πλησίον ἵππου αὐτῆς φθάσας, δόρατι κρούσας αὐτὴν ἀπὸ τοῦ ἵππου καταβάλλει· καὶ ἔτι ζῶσαν αὐτὴν ἕλκει πεσοῦσαν ἐκ τῆς κομῆς.* Cedrenus p. 105. *δόρατι κρούσας τοῦ ἵππου καταβάλλει. ἣν δὲ κομῆς ἑλκύσαντες κ. τ. λ.* Insultans igitur equo deturbatae reginae, coma eam traxit Achilles. De qua insultatione cf. Quint. I. 656. sq., qui de deturbata equo regina canit v. 621. Scribendum igitur *atque manu comp. coma, ita — trahit.* Ut tamen *detrahit* ediderim, me permovere verba Quinti. *Detrahit* i. e. deturbatam intervallo quodam ab equo abstrahit: quo sensu accipiendus est Quint. 654. *ἐξείρυσε Πηλέος υἱὸς ὠκέος ἐξ ἵπποιο, καὶ αἰνῆς Πενθησιλείης.* *Detrahere* autem apud bonos scriptores haud raro dicitur pro simplici trahere usque ad aliquem locum.

clausisque) Passim sic coniunctione *que* inchoantur periodi, ut ostendimus ad Cic. N. Deor. II. 58. ac Vell. II. 17. et alibi. Immerito itaque copulam hanc exterminandam putat Vindingius. Wopkens. p. 70.

abst. manus) Crat. *manum.* Libri mei *manu.* Nota formula *manus abstinere aliqua re.* Infra libri *utique victor.* S. Gall. sec. IX. *advorsum.* opp. *ierant.*

placitumque) In Petavii libro *pacatumque*, ut videatur scribendum *actumque*, h. e. deliberatum. Mercer. Sed vid. Gloss. Mox Bern. *praesent.* v. ad III. 25. Ed. Crat. *persentiente spiritu.*

esset, consensu omnium pedibus attractam in Scamandrum praecipitat; scilicet poenam postremae desperationis atque amentiae. Hoc modo Amazonum regina, deletis copiis, quibuscum auxiliatum Priamo venerat, ad postremum ipsa spectaculum dignum moribus suis praebuit.

IV. At sequenti die Memnon, Tithoni atque Aurorae filius, ingentibus Indorum atque Aethiopum copiis supervenit, magna fama: quippe in unum multis millibus armatis vario genere, spes etiam votaque de se Priami superaverat. Namque omnia circum Troiam et ultra, qua visi poterat, viris atque equis repleta, splendore insignium refulgebant. Eos omnes iugis Caucasi montis ad Troiam duxit: reliquos neque numero inferiores, imposito Phala duce atque rectore, mari misit. Qui appulsi Rhodum, ubi animadvertere insulam Graecis sociam, veriti, ne re cognita incenderen-

---

poenam) Vult Daceria *poena* vel *in poenam*. Vindingius addi iubet *luituram*. Ed. Princ. et Obr. *poena*. Fuit Septimii manus *poenam*, quam servant MSS. mei, Merc. et Crat. Ed. Hom. Il. XXI. 27. *ζωοὺς ἐκ ποταμοῖο δυώδεκα λέξατο κούρους, ποινὴν Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο θανόντος*. Apollod. II. 5. 9. *ἵππους — ἃς ὁ Ζεὺς ποινὴν τῆς Γανυμήδους ἁρπαγῆς ἔδωκεν αὐτῷ*. Et sic loquuntur etiam Romani. Cf. Wopkens. p. 71.

IV. *Tithoni*) Libri *Tithonis*.

armatis vario genere) In MSS. et Edd. adiicitur *insignium*; quae vox recte abest ab Ed. Obr., ut quae ex seqq. *splendore insignium ref.* irrepsisse palam sit. Non de insignium, sed de militum pro genere et loco varietate sermo est. Crat. *armatorum*.

qua visi poterat) Ita Ed. Obr. et Cort. ad Sall. Iug. 101. 11. *postremo omnia, qua visus erat, constrata telis*. Habuimus III. 15. *qua maxime visi poterat*. Fateor tamen, cunctanter me et anxie Obrechtianam lectionem recepisse, contra MSS. meorum et Merceri consensum *quae visi poterant*; quae lectio patet etiam in Ed. Princ. scriptura *qui visi poterant*, cui favet egregia glossa Edd. Crat. *quae visui patebant*, quaeque exhibetur a Wass. ad Sall. loc. (c. 108.)

iugis) Crat. *iugo*, et expressae ex ea Edd. Basil. *e iugo*. Cf. Gloss. Infra Ed. Merc. *advertere*. Bene; ut in Prolog.

tur naves, ibidem opperiebantur: ac mox divisi in Camirum et Ialysum, urbes opulentas. Neque multo post Rhodii Phalam incusare, *quod, paullo ante eversa ab Alexandro Sidona patria sua, auxilium ei, a quo laesus sit, ferre cuperet*: quo animos exercitus permoverent, confirmare, *haud dissimiles barbarorum videri eos, qui tam indignum facinus defenderent*: multa praeterea, quae accensura vulgum, et pro se facturi essent, disserere: quae res haud frustra fuit. Phoenices namque, qui in eo exercitu plurimi aderant, permoti querelis Rhodiorum, an cupidine diripiendarum rerum, quas secum advexerat, Phalam lapidibus insecuti necant: distributique per supradictas urbes, aurum ac reliqua praedae inter se dispartiunt.

V. Interim exercitus, qui cum Memnone venerat, positis per locos patulos castris, nam intra moenia haud facile tanta vis hominum retineri poterat, diversi suo quisque genere exercebantur.

Phalam inc.) Libri nostri *palam*. Eodem modo nomen paulo infra in nonnullis libris corrumpitur. *Sidona* scripsi ex Bern. et Ed. Princ. In S. Gall. opp. *Sidonia*. S. Gall. sec. IX. et Edd. vulg. *Sidone*. v. ad I. 5.

laesus sit) Ed. Princ. *laesi sint — cuperent*. In seqq. Ed. Merc. et Obr. *quoque anim*. Ed. Obr. om. seq. *eos*.

pro se facturi) Ita uterque S. Gall. et Ed. Princ. Recte. Popularium animos contra Phalam excitabant, et consilia sibi ipsis contra eum capta palam eloquebantur. Bern., Ed. Crat. et Merc. *factura*. atque Ed. Obr. *multa pr. accens. vulg., et quae pro se factura essent*.

permoti — an cup.) Crat. *dein cupid*. Vindingius ait: lege *permotine — an*. v. ad I. 20.

advexerat) Sic scripsi. Antea *advexerant*. S. Gall. opp. *adduxerant*. Lib. VI. 10. *ductore interfecto, ablataque praeda*, scil. ductoris.

dispartiunt) S. Gall. opp. et Ed. Princ. *dispertiunt*. v. ad I. 15.

Neque eadem arte simplex atque idem modus, sed ut quemque regionis suae mos assuefecerat, ita telis aliis in alium modum formatis, scutorum etiam et galearum multiformi specie horrendam belli faciem praebuerant. At ubi triti aliquot dies, et miles bellum cupit, simul cum luce exercitus omnis signo dato in proelium ducitur; cum his Troiani et qui intra moenia socii fuerant. At contra Graeci instructi pro tempore opperiri, debilitati aliquantum animos metu ingentis atque incogniti hostis. Igitur ubi intra teli iactum ventum est, tum vero barbari clamore ingenti ac dissono ruinae in modum irrumpunt: nostri confirmati inter se satis impigre vim hostium sustentavere. Sed postquam acies renovatae atque in ordinem reformatae sunt, et iaci hinc atque inde tela coepere, cadunt utriusque exercitus plurimi: neque finis fit, quoad Memnon curru vectus, adhibito secum fortissimo quoque, medios Graeco-

---

V. *Neque eadem arte simplex atque idem modus*) Crat. *in eadem arte.* Intelligere sibi videtur sensum loci Wopkens. p. 72. Equidem non assequi ingenue fateor. Scriptum fuisse suspicor: *Neque etiam armis*, vel *neque armaturae simplex atq.* De vario exercitationis genere modo sermo fuit; iam de armaturae varietate disseritur. Armorum varia genera exponunt Malel. p. 161, Cedren. p. 106, Tzetz. posth. 218.

telis aliis in alium mod.) Ab Ed. Crat. et Obr. abest *aliis*. Anna vult *alii*, scil. populo. Recte se habet librorum meorum et Merceri lectio *aliis*, scil. populis. Curt. IX. 2. *tela aliis hastae, aliis secures erant.* Ceterum distinctionem maiorem post *formatis* mutavi.

cum his Troi.) Ita Bern. et Ed. Merc., non *cumque his.* v. ad I. 13. Paulo infra Bern. om. *contra.* v. Gloss. Infra Crat. *debil. al. animo.* v. Gloss. ad II. 40. S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *animos et vigentis.* Bern. *et vi gentis.* S. Gall. opp. *et ingentis.*

ruinae in modum) Crat. *ruinae modo.* cf. Gloss. ad III. 10. Infra Bern. et Ed. Merc. *in ordinem,* om. *atque.* quod cum omissum etiam Vindingius invenisset, voluit *inque ordinem.*

rum invadit, primum quemque obvium fundens aut debilitans. Ita iam plurimis nostrorum interfectis, duces, ubi fortuna belli eversa, neque spes reliqua nisi in fuga est, victoriam concessere. Eo die incensae deletaeque naves omnes forent, ni nox perfugium laborantium ingruentes hostes ab incoepto cohibuisset: tanta in Memnone bellandi vis peritiaque, et nostris adversae res.

VI. Igitur Graeci, postquam requies est, perculsi inter se ac summae rerum diffidentes, per universam noctem, quos in bello amiserant, sepeliere. Dein consilium futuri certaminis adversum Memnonem ineunt: ac placet sorte eligi nomen ducis cum eo bellaturi. Tunc Agamemnon Menelaum excipit, Ulixem, Idomeneum: reliquorum sors agi coepta Aiacem Telamonium votis omnium deligit. Ita refectis cibo corporibus, reliquum noctis cum quiete transigunt. At lucis principio armati instructique pro negotio egre-

---

plurimis nostrorum) Ita recte Ed. Crat. et Obr. Libri mei et Merc. *primis*. Eandem corruptionem deprehendimus c. 7. 12. 16. Mox Crat. *interfectis ducibus*.

fort. b. eversa) Vulg. *versa* i. e. mutata, ut loquitur Sept. III. 8. et alii. cf. Wopkens. p. 52. Sed tres MSS. et Ed. Princ. *eversa*, i. e. deleta. Nova scil. captat Septimius. Coniicias *aversa*, i. e. alienata, vel *adversa*. In seqq. Ed. Obr. *incensae nav. del. omnes*. Crat. *ingruens*, scil. nox.

adversae res) Ed. Princ. *advorsae*. Vult Daceria *et n. tam adversae res*. Tu vero ex praeced. *tanta* hic intell. *tantae adversae res*. v. Gloss. Mirum sensum extorquet Wopkens. p. 72, deleta *et* copula.

VI. *perculsi*) Bern. *percussi*. Infra Bern., S. Gall. opp. et Ed. Princ. *sepelivere*.

Ulixem, Idomeneum) Ita S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Obr.; quibus favet Crat. *Ul. et Idomeneum*. Tres viros pugna abstinere omnium duci placuit: de ceteris autem instituta sortitione electus est Aiax. In cett. *Ul. Idomeneus*. Mox Ed. Princ. *agere*. Sed V. 13. *reliquarum sors agi coepta*.

diuntur. Neque segnius a Memnone actum, cum quo Troiani omnes. Ita hinc atque inde ordinato exercitu proelium initum. Plurimi utriusque partis, ut in tali certamine, cadunt, aut icti graviter proelio decedunt. In quo bello Antilochus Nestoris obvius forte Memnoni interficitur. Moxque Aiax, ubi tempus visum est, inter utramque aciem progressus, lacessit regem, praedicto prius Ulixi et Idomeneo, ab ceteris uti se defenderent. Igitur Memnon ubi ad se tendi videt, curru desilit confligitque pedes cum Aiace, magno utriusque partis metu atque exspectatione: cum dux noster summa vi umbonem scuti eius, telo in aliquantum foratum, gravis atque summis viribus in-

---

egrediuntur) Crat. *pugnam aggrediuntur*. Infra Ed. Princ. *Troi. omnes aderant.*

Plurimi) Ed. Obr. et Crat. *tum plur.* In seqq. Bern. *ictu grav.* Bern. et Ed. Merc. *Mox Aiax.*

ab ceteris) Ita S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ.: Ed. Crat., Obr. et Oudendorp. ad Apul. Apol. p. 472. *a ceteris.* Sensus: uti se tutarentur contra vim ceterorum hostium, qui, si male rem gereret Memnon, irruere in Aiacem poterant: quod etiam factum est. In cett. *ac ceteris.* Atqui Aiacem tutelam multorum implorasse, non convenit cum virtutis eius iactatione, ut qui se solum parem Memnoni putaverit.

cum dux) Ita S. Gall. uterque et Ed. Princ. In cett. *Tum dux.*

gravis atque summis viribus) Ita uterque S. Gall., MSS. Oudendorp. ad Apul. Met. III. p. 181, Ed. Merc. et Obr. Meus Bern. *gravius.* Ed. Princ. *gravibus.* quod restituendum putat Oudendorpius. Haudquaquam spernendum esse *gravis*, dicit Wopkens. p. 72. Immo non aliter scripsit Septimius. Adiectivum autem ponitur instar Adverbii. Malel. p. 163. *ἐπιπεσὼν αὐτῷ βαρέως.* Cedren. p. 106. *ἐπέθετο βαρέως αὐτῷ.* Iure contra offendit Wopkensius in tautologia *summa vi—atque summis viribus*: coniectat ideo *atque firmis nisibus.* Verba *summa vi* trahes ad *foratum*, et verba *atque summis viribus* ad *ingruens impulit.* Ex Apuleii loco: *maribus animis et viribus alacribus dormientes aggrediamur*, levis emendatio esset *atque animis maribus*; cui quidem nonnihil favere videatur exarata in margine MS. Perizon. scriptura $\overline{as}$, i. e. *animis*, ut enucleat Oudendorpius. Vel ex Plaut. Mercat. 1. 2. init. *ex summis opibus viribusque*, corrigas: *atque summis opibus.* Attamen proclivior est

gruens impulit vertitque in latus. Quo viso regis comites accurrere, Aiacem exturbare nitentes. Tum Achilles, ubi barbaris intercedi videt, pergit contra, et nudatum scuto hostis iugulum hasta transfigit.

VII. Ita praeter spem interfecto Memnone, animi hostium commutantur, et Graecis aucta fiducia: iamque Aethiopum versa acie, nostri instantes caedunt plurimos. Tum Polydamas, renovare proelium cupiens, circumventus ad postremum atque ictus inguina, ab Aiace interficitur: Glaucus Antenoris, adversum Diomedem astans, Agamemnonis telo cadit. Tum vero cerneres hinc Aethiopas cum Troianis, per omnem campum sine ordine atque imperio fugientes, multitudine ac festinatione inter se implicari, cadere, ac mox palantibus equis proculcari: hinc Graecos resumtis animis sequi, caedere, impeditosque dissolvere, atque ita confodere laxatos. Redundant

---

animus, ut controversa verba a scholiasta ad interpretandum illud *gravis* adiecta esse credam. *Gravis* enim est idem quod lib. II. 43. de eodem Aiace *tota mole*, i. e. omnibus viribus. Atque huic adiuvandae opinioni esse tibi videantur descripta verba Malelae et Cedreni, nec non lectio Ed. Crat. *viribus ingruens*, omissis verbis *gravis atque summis.*

ubi barbaris) pro: *a barbaris*; ut est in omnibus, quas vidi editionibus. Abest praepos. a tribus MSS. Recte. Lib. II. 20. *cunctis decernitur*, pro: a cunctis. V. 3. *cui non amicus — inveniri posset*, pro: a quo.

VII. *caedunt plurimos. Tum Pol.*) Libri mei *caedunt. Primus tum Pol.* Eodem modo *plurimis* corruptum in *primis* vidimus c. 5.

inguina) Ed. Princ. *inguine*. v. Gloss. ad II. 40. In seqq. S. Gall. sec. IX. *adstans*. Idem et Ed. Princ. *Tunc vero*. Crat. *Aethiopes*. De Accus. *Aethiopas* consulas Heins. ad Ovid. Met. I. 152, Fast. III. 439. Noster c. 17. *Myrmidonas*. V. 16. *Plisthenidas*.

cadere) Ed. Princ *et cadere*. Infra Crat. *impeditos*. ut vult etiam Vindingius,, contra quem v. Wopkens. p. 73.

circum muros campi sanguine, et omnia, qua hostis intraverat, armis atque cadaveribus completa sunt. In ea pugna Priami filiorum Aretus et Echemmon ab Ulixe interfecti; Dryops, Bias et Corython ab Idomeneo; ab Aiace Oilei Ilioneus cum Philenore; itemque Telestes a Diomede; ab Aiace altero Antiphonus, Agavus, Agathon atque Glaucus; et ab Achille Asteropaeus: neque prius finis factus, quam Graecos saties et ad postremum fatigatio incessit.

---

intraverat) Ita libri mei et Merc. Videtur interpretatio esse, quod in Ed. Crat. et Obr. legitur *ingruerat.*

Aretus et Echemmon) *Areius* est in libris meis et Merceri inque Ed. Obr. Ed. Crat. *Atreus.* ut nominatur Hygin. fab. 90. Exhibet Apollodor. III. 12. 5. *Arrhetum.* Scripsi *Aretum* ex Hom. Il. XVII. 494. 517. 535. quo postremo loco occiditur. Porro *Echemon* habetur in utroque S. Gall. et Ed. Princ., ediditque Mercerus; et sic vocatur Apollod. loc. Bern. *Archemon.* Danielis Merceri *Archemmon.* Petavianus *Echemmon. Echemmon* Priamides a Diomede necatur Hom. Il. V. 160. Ed. Crat. *Echion.*

Dryops, Bias et Corython) Bern., S. Gall. opp. et libri Merc. *Dyraspispia et Choritan* (*on*). Ed. Princ. *Dryops bisbia et Choritan ab Idumenea.* Crat. *Drapsis Bias et Corintha. Dryops* et *Bias,* Priami filii (v. Apollod. loc.), dudum restituti sunt a viris doctis, et habentur in meo S. Gall. sec. IX: quorum ille ab Achille cadit Hom. Il. XX. 455, hic in pugnam descendit Il. IV. 296. Iidem videntur esse Hygini (l. l.) *Drypon* et *Biantes.* In tertio corrupto nomine Mercerus *Gorgythion*, licet occisus hic dicatur iam lib. III. 8., Fuchsius Quaest. p. 48. *Chromium* latere putant. Retinui equidem scripturam Cod. S. Gall. sec. IX. et Ed. Obr. *Corython.* Scio ignorari eiusmodi nominis Priamiden; sed ignotus est etiam *Philenor,* ignotosque exhibet Hyginus.

itemque Telestes a Diom.) Ed. Obr. *Thelestes.* Crat. *Thelesites.* Libri mei et Merc. *Telestes.* notus Priamides ex Apollod. loc. Sed MSS. et Edd. *itemque Thyestes et Telestes a Diom.* Certe ignotum nomen *Thyestes* corruptio est nominis *Telestes*, quae, inter lineas inculcata, postea novi hominis speciem praetulerit. Quare eiicere non dubitavi. Etiam Ovid. Met. IX. 716. *Telestes* corrumpitur in *Thelestes* et *Thyestes.*

ab Aiace altero) Ed. Crat. et Merc. *ab Ai. vero alt.* Mox *Antiphonus* scripsi ex Hom. Il. XXIV. 250. MSS. et Edd. *Antiphus.* quem occisum iam audivimus lib. II. 43.

Asteropaeus) Non audio Fuchsium Quaest. p. 50. corrigentem *Cebriones.* v. Obss.

saties) Ita S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Obr., non *satias.* v. ad III. 25. In iisdem om. seq. *ad.*

VIII. At ubi ab nostris in castra recessum est, missi ab Troianis, qui peterent eorum, qui in bello ceciderant, humandi veniam: ita collectos suos quisque igni cremant, et more patrio sepeliunt; seorsum ab ceteris cremato Memnone, cuius reliquias urnae conditas per necessarios remisere in patrium solum. At Graeci lautum bene cadaver Antilochi, iustisque factis, Nestori tradunt, eumque orant, ferret animo aequo fortunae bellique adversa. Ita ad postremum corpora sua quisque curantes vino atque epulis per mul-

---

VIII. *ab nostris*) Ita uterque S. Gall. et Ed. Princ., non *a nost.*

eorum — humandi veniam) Vindingii conatum *eos* explodit Perizon. Diss. §. XXXIX. cui adde Gronov. ad Liv. XXIV. 23. Ed. Crat. *eorum — corpora humandi.* ab interpolatore, qui, aeque ac Vindingius, in duplici Genitivo haeserit. Mox a libris meis et Ed. Merc. abest *ita.* v. ad II. 20, V. 13.

urnae conditas) Vulg. *urna.* Legimus sane Ovid. Met. XIV. 442. *Aeneia nutrix condita urna marmorea.* Plin. VII. 54. 55. et Virgil. Aen. V. 48. *condere mortuos terra.* At vero tres MSS. et Ed. Princ. *urnae*; ut c. 18. S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *ossa—urnae condita.* lib. V. 15. *reliquiasque urnae aureae conditas.* ubi nulla lectionis varietas. Atque etiam alii scriptores *condere* cum Dativo iunxerunt Prudent. Psych. 105. *gladium vaginae condere.* ubi al. *vagina*, sed MSS. *vaginae*, teste Heinsio. Lucan. I. 607. *fulmen terrae condere.* Sed vide sis viros doctos, quos laudat Wopkens. p. 95.

iustisque factis) Ed. Obr. et Crat. om. *que*; delerique id iubet Vindingius. Particulam recte tuentur Perizon. Diss. §. XXXIX. et Wopkens. p. 73 et 81. Cf. Gloss.

orant, ferret animo aequo) Ed. Princ. *an. aeq. ferret orant.* Ed. Obr. et Perizon. l. l. *orant aeq. an. ferret.* Bern. et S. Gall. opp. *orant ferre an.* Ed. Crat. et Merc. *orant ferre aeq. an.* Ferri posset Infinitivus. Sulpic. Dial. II. 1. 1. *orans sibi vestimentum dari.* Dares 31. *rogaret eum in bellum prodire.* Sed potior mihi visa est lectio verborumque ordo Cod. S. Gall. sec. IX. Lib. II. 48. *orare, susciperent negotium.* V. 16. *orare, omitterent iras.*

fortunae bellique adversa) Vindingio, delenti *que*, accedit Perizon. l. l. Recte copulam defendit Wopkens. p. 73. Potest utraque notio, *adversa fortuna, adversa belli*, licet alibi iuncta, bene distingui: altera alterius quasi comes est; namque ab adversa fortuna pendent adversa belli.

tam noctem, Aiacem simulque Achillem laudibus celebrant atque ad coelum ferunt. At apud Troiam, ubi requies funerum est, non iam dolor in casu Memnonis, sed metus summae rerum et desperatio incesserat: quum hinc Sarpedonis interitus, inde insecuta paullo post Hectoris clades spes reliquas animis abstulisset: neque, quod postremum in Memnone fortuna obtulerat, reliquum iam exsisteret. Ita confluentibus in unum tot adversis, curam omnem exsurgendi omiserant.

IX. At post paucos dies Graeci instructi armis processere in campum, lacessentes, si auderent, ad bellandum Troianos. Quis dux Alexander cum reliquis fratribus militem ordinat, atque adversum pergit. Sed priusquam ferire inter se acies, aut iaci tela coepere, barbari desolatis ordinibus fugam faciunt: caesique eorum plurimi, aut in flumen praeceps dati, quum hinc atque inde ingrueret hostis, atque undique ademta fuga esset. Capti etiam Lycaon et Troilus, Priamidae,

---

simulque Ach) Bern. *atque Ach.* Ed. Merc. *simul atque.* In seqq. Crat. *ad coelum tollunt.* Eadem *ex casu.* et sic legi iubet Vindingius. Sed v. Perizon. Diss. §. XL. ad lib. III. 26. Ed. Princ. et Obr. *metus et sum. rerum desp.* Mediol. Obrechti et mea Crat. *metus sum. rei et desp.* S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *inde secuta.*

abstulisset) Singularem numerum servant S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Obr. Al. *abstulissent.*

neque — exsisteret) Conspirant S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Obr.; faventque, quae, a glossatore videlicet profecta, legimus in Ed. Crat, *neque quod postr. per Memnonem fortuna auxilium obtulerat, rel. iam ex.* In Bern., S. Gall. opp. et Ed. Merc. est: *atque ad postr. in Mem., quem fort. obt., reliquum iam nil (nihil) exsistere.* quod amplectitur Wopkens. p. 74.

omiserant) Bern., Ed. Dacer. et Basil. posteriores *amiserant.* v. Gloss.

IX. *Quis dux*) Bern. et Ed. Merc. *Queis.*

desolatis ordinibus) Ed. Obr. et Crat. *solutis.* a correctore. v. Gloss.

praeceps dati) Ed. Obr. *praecipites.* etiam hoc ex correctione. v. Gloss.

quos in medium productos Achilles iugulari iubet: indignatus nondum sibi a Priamo super his, quae secum tractaverat, mandatum. Quae ubi animadvertere Troiani, tollunt gemitus, et clamore lugubri Troili casum miserandum in modum deflent, recordati aetatem eius admodum immaturam: qui in primis pueritiae annis cum verecundia ac probitate, tum praecipue forma corporis amabilis atque acceptus popularibus adolescebat.

X. Dein transactis paucis diebus solemne Thymbraei Apollinis incessit, et requies bellandi per inducias interposita. Tum utroque exercitu sacrificio insistente, Priamus, tempus nactus, Idaeum ad Achillem super Polyxena cum mandatis mittit. Sed ubi Achilles in luco ea, quae inlata erant, cum Idaeo separatim ab aliis recognoscit, cognita re apud naves, suspicio alienati ducis, et ad postremum indignatio exorta. Namque antea rumorem proditionis, ortum clementer per exercitum, in verum traxerant. Ob quae, simul uti concitatus militis animus leniretur, Aiax cum Diomede et Ulixe ad lucum pergunt: hique ante templum resistunt, opperientes, si egrederetur,

---

X. *nactus*) S. Gall. sec. IX. *nanctus*. litera *n* puncto notata, signo delendi.

quae inlata erant, cum Id. sep.) Ita interpungenda est lectio S. Gall. sec. IX; in quam conspirant S. Gall. opp., Bern. et Ed. Merc., nisi quod habeant *illata*. Ed. Princ et Obr. *quae perlata erant tum ab Idaeo, sep.* Crat. *quae illata erant, tum ab Idaeo.* De verbo *inferre* consulatur Oudend. ad Caes. B. G. I. 39. Noster lib. I. 6. *alia huiusmodi inferens*

concitatus mil.) S. Gall. sec. IX. *concitatis.* An *concitatis militibus* ?

Achillem, simulque uti rem gestam iuveni referrent; de cetero etiam deterrerent, in colloquio clam cum hostibus agere.

VI. Interim Alexander, compositis iam cum Deiphobo insidiis, pugione incinctus ad Achillem ingreditur, confirmator veluti eorum, quae Priamus pollicebatur: moxque ad aram, quo ne hostis dolum persentisceret, aversusque a duce, adsistit. Dein ubi tempus visum est, Deiphobus

---

deterrerent, in colloquio — agere) Crat. *deterrent, ne colloquium haberet.* En scholiastae manum. Cf. Gloss.

XI. *insidiis*) Cod. Heinsii ad Petron. Sat. c. 136. *consiliis.* Ciofan. ad Ovid. Met. XII. 609. om. *iam.*

pugione incinctus) Ed. Obr. *pugione accinctus.* ut Liv. XL. 13. *gladiis accincti* Virgil. Aen. VII. 640. *accingitur ense.* Apul. de Mund. p. 357. *accingitur gladio.* Sulpic. Vit. Mart. 3. 2. *ferro accinctus.* Vetus Cod. Heinsii l. l., Ed. Crat. et Ciofan. ad Ovid. loc. *pugione cinctus.* ut Apul. Met. II. p. 134 et Curt. IX. 14. *gladio cinctus.* Libri mei et Merceri *pugionem cinctus.* ut Hom. Il. XXIII. 130. *χαλκὸν ζώννυσθαι.* Dio Cass. lib. LIII. p. 577. Xyland. *ξίφος παραζωννύμενος.* Tres igitur varietates admittunt defensionem. Attamen ex librorum vestigiis unice verum iudico *pugione incinctus.* Apul. Met. VIII. p. 543. *correptoque gladio, quo se Tlepolemus solebat incingere.* etiam hic al. *accingere.* ad quem loc. ita adamatum esse *incingere* Apuleio docet Oudendorpius. Obrechti *accinctus* interpreti debetur, qui notam formulam loco minus notae reposuit.

ad Achillem ingreditur) Cod. Heinsii l. l., Ed. Crat. et Ciofan. l. l. *Achillem aggreditur.* Iidem paulo infra *ad aram Apollinis.* Sed Malel. p. 165 ὁ *Πάρις παραγίνεται πρὸς τὸν Ἀχιλλέα.* et p. 166. *παρὰ τὸν βωμόν.* Ed. Princ. *ad Achillen.* v. ad II. 48.

quo ne hostis) Heinsius l. l. mavult *ne qua.* contra quem v. Wopkens. p. 75. Idem Heinsius infra in voce *aversusque* delendum ait *que.* Frustra. Mox Ciofan. l. l. *praesentisceret.* v. ad III. 25.

adsistit) Cum melioribus MSS. Septimii Oudendorpius ad Apul. Met. VIII. p. 537. legit *restitit.* Heinsius, qui in vet. suo Cod. vidit *restitit*, legendum arbitratur *substitit.* Correctio mala, MSS. lectio bona. Etenim *resistere* notione subsistendi in aliquo loco frequens est Romanis, ut docuerunt Oudend. l. l., Scheffer. ad Phaedr. I. 13. 3, III. 15. 2. et Wopkens. p. 75, qui ipsum affert Septim. c. 10. *Hique ante templum resistunt.* Verum tres mei MSS., Ed. Princ. et ceterae quas vidi Edd. exhibent *adsistit*, quod in al. MSS. invenit etiam Oudend., citatque Ciofan. l. l.: quem gravissimum in proba voce consensum ut desererem, adduci non potui.

amplexus inermem iuvenem, quippe in sacro Apollinis nihil hostile metuentem, exosculari gratularique super his, quae consensisset, neque ab eo divelli aut omittere, quoad Alexander, librato gladio procurrens, aversum hostem per utrumque latus geminato ictu transfigit. At ubi dissolutum vulneribus animadvertere, parte alia, quam venerant, proruunt: re ita maxima et super vota omnium

---

Scriptura Bern. *asistit*, et Ed. Crat. *assistit* non habenda est pro varia lectione. Malelas p. 166. utitur verbo *ἵσταται*.

quae consensisset) Ita libri mei, Cod. Heins. l. l. et Ed Merc. Intell. quae Achilles consensisset cum Priamo. Malel. p. 166. *τὰ μετ' αὐτοῦ (Πριάμου) καὶ Ἀχιλλέως εἰρημένα.* Ed. Obr. *consensissent.* Crat. *concessisset.* a correctore, qui offendit in formula *consentire aliquid.* Ciofan. l. l. *concessit.* et paulo infra *neque amittere.*

quoad Alexander) Non prius, ait Septimius, eum omisit Delphobus, quam Paris duo vulnera inflixerat. Cf. Malel. in Obss. Perperam igitur Wopkens. p. 75. defendere conatur *quo Alex.*, ut est in Ed. Crat. et Dacer. (Ed. Merc. *omittere. Quo Alex.*); quae vocula saepe in MSS. corrumpitur pro *quoad*, docente vel Oudend. ad Caes. B. G. V. 17. Origo corruptionis perspicua est in Cod. Bern., ubi *omittere. Quo ad Alex.* Omissum postea *ad.*

librato gladio procurrens, aversum host.) Citat *vibrato* nescio unde Ciofan. l. l. *Librato* est in libris meis scriptis atque editis, in MSS. Leidd. apud. Oudend. ad Apul. Met. IX. p. 665., apud Barth. ad Stat. Theb. II. 719, multisque defendit Wopkens. p. 76. contra Heinsium, qui ad Petron. l. l., Ovid. Met. VI. 551 et Fast. II. 793. ex Cod. suo scribit *liberato gladio*, i. e. vagina liberato, educto. Non tamen effecit Wopkensius, ut rariorem loquendi formulam, imperitia librariorum saepe eiectam, tantopere damnarim, cum praesertim etiam MS. Perizon. a m. pr. teste Oudendorpio diserte praebeat *liberato.* quae formula, aliquoties Apuleio usurpata, atque aliis quoque scriptoribus non infrequens, neque Oudendorpio displicuit. — Porro ex MSS. Leidd. Oudendorpius legit *procurrensque*, ut est etiam in Bern. et S. Gall. opp. Non placet. Denique *aversum hostem* certatim viri docti ex optimis MSS. revocarunt, cum al. *proc. adversum* (— *us*) *hostem*; perpetua fere in MSS. confusione. Supra: *aversusque a duce.*

At ubi) S. Gall. opp. et Ciofan. l. l. *Ac ubi.*

parte alia) Libri mei *e parte alia.* S. Gall. opp. et Ciofan. l. l. *qua ven.* Bern. et S. Gall. opp. *venerunt.* Ex MSS. Periz. et Heins. Oudendorpius ad Apul. Florid. p. 9. legit *proruunt sese.* Non displicet: et forte in librorum meorum lectione latet *se parte alia— proruunt.* Mox Ed. Obr. *Reque ita m.*

perfecta, in civitatem recurrunt. Quos visos Ulixes, *Non temere est*, inquit, *quod hi turbati ac trepidi repente prosiluere.* Dein ingressi lucum, circumspicientesque universa, animadvertunt Achillem stratum humi, exsanguem atque etiam tum seminecem. Tum Aiax, *Fuit*, inquit, *confirmatum ac verum per mortales, nullum hominum exsistere potuisse, qui te vera virtute superaret? Sed, ut palam est, tua te inconsulta temeritas prodidit.* Dein Achilles, extremum adhuc retentans spiritum, *Dolo me atque insidiis*, inquit, *Deiphobus atque Alexander Polyxenae gratia circumvenere.* Tum exspirantem eum duces amplexi cum magno gemitu atque exosculati, postremum salutant. Denique Aiax exanimem iam humeris sublatum e luco effert.

XII. Quod ubi animadvertere Troiani, omnes simul portis proruunt, eripere Achillem nitentes atque auferre intra moenia, scilicet more solito illudere cadaveri eius gestientes. Contra Graeci

---

Quos visos Ulixes) Ex Ed. Mediol. Obrechtus scripsit *Quo viso*, ut est etiam in Crat. Vindingius corrigit *Quis visis*. Haud dubie lectio librorum meorum et Merc. *Quos visos* Septimii manus fuit; quam intactam relinquas quaesumus. v. Gloss.

prosiluere) Edd. vulg. *prosilivere*. Infra Bern. et Ed. Merc. *etiamnum*.

verum per mort.) Wopkens. p. 77. coniicit *creditum per m.* Sed vid. Malelae verba, quae statim ponam.

exsistere potuisse) S. Gall. opp., Ed. Princ. et Obr. om. *potuisse*. Male. Nam Malelas p. 166. *ἦν ἄρα ἀληθῶς ὅστις ἀνθρώπων ἠδύνατο κτεῖναί σε, ἀλκῇ διαφέροντα πάντων; ἀλλ' ἡ σὴ προπέτεια ἀπώλεσέ σε.* Cedren. p. 107. *ἆρ' ἦν ἄνθρωπος δυνάμενος κτεῖναί σε; ἀλλ' ἡ σὴ προπέτεια μόνη σε ἀπώλεσεν.* Ex his posui etiam interrogandi signum post *superaret*. Mox vulg. *uti palam*.

prodidit) Ed. Crat. *perdidit*. Malelae et Cedreni *ἀπώλεσε* non obstat, quominus retineamus *prodidit*. Saepe confundi *prodidit* et *perdidit* docet Heins. ad Ovid. Fast. II. 454 et Met. XII. 596. ubi et Sept. affert. Sic *prodendum* et *perdendam* mutant Septim. I. 9.

XII. *cadav. eius, infens.*) Ed. Crat. *cadav., dein infens.*

cognita re, arreptis armis tendunt adversum: paullatimque omnes copiae productae: ita utrinque certamen brevi adolevit. Aiax, tradito his, qui secum fuerant, cadavere eius, infensus Asium Dymantis, Hecubae fratrem, quem primum obvium habuit, interficit. Dein plurimos, uti quemque intra telum, ferit: in quis Nastes et Amphimachus reperti, Cariae imperitantes. Iamque duces Aiax Oilei et Sthenelus adiuncti multos fundunt atque in fugam cogunt. Quare Troiani, caesis suorum plurimis, nusquam ullo certo ordine aut spe reliqua resistendi, dispersi palantesque ruere ad portas, neque usquam nisi in muris salutem credere. Quare magna vis hominum ab insequentibus nostris obtruncantur.

XIII. Sed ubi clausis portis finis caedendi factus est, Graeci Achillem ad naves referunt. Tuncque deflentibus cunctis ducibus casum tanti viri, plurimi militum haud condolere, neque, uti res exposcebat, tristitia commoveri: quippe quis animo inhaeserat, Achillem saepe consilia

---

plurimos, uti quemque int. tel., ferit) Ed. Crat. et Borrich. de Var. L. L. Aet. p. 12. *uti q. int. t. fecerant.* Varie locum tentant Perizon. Diss. §. XXXIX et Wopkens. p. 77. Nihil mutandum censeo, sed insolentiore et liberiore ellipsi intelligendum: habet, nanciscitur. Pro *plurimos* S. Gall. sec IX et Ed. Princ. *primus*, S. Gall. opp. *primos*. Corrupte. Cf. ad c. 5.

In quis) Bern. et Ed. Merc. *In queis*. Pro *Nastes* plurimi libri *Rastes*: pro *Sthenelus* Crat. *Menelaus*. Infra Bern., S. Gall. opp. et Ed. Merc. *multos interficiunt*. Ed. Princ. *m. caedunt*. Crat. *fundunt plurimos*.

nusquam) S. Gall. opp. et Ed. Princ. *nunquam*. Fine cap. *obtruncantur* restitui ex S. Gall. sec. IX., cum in cett. *obtruncatur*. v. ad II. 30.

XIII. *Tuncque defl.*) Libri *Cumque*.

haud condolere) Edd. vulg. *haud dolere*. Libri *haud cum dolore* i. e. *condolere*, adnotante Orellio.

q. quis animo inhaeserat) S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *quippe*

prodendi exercitus inisse cum hostibus: ceterum interfecto eo summam militiae orbatam et ademtum complurimum; cui viro egregio bellandi ne honestam quidem mortem, aut aliter quam in obscuro oppetere licuerit. Igitur propere ex Ida apportata ligni vis multa, atque in eodem loco, quo antea Patroclo, bustum exstruunt. Dein imposito cadavere subiectoque igni, iusta funeri peragunt, Aiace praecipue insistente, qui per triduum continuatis vigiliis labore non destitit, quam reliquiae coadunarentur. Solus namque omnium paene ultra virilem modum interitu Achillis consternatus est, quem, dilectum praeter ceteros animo, summis officiis percoluerat: quippe cum amicissimum et sanguine coniunctum sibi, tum praecipue plurimum virtute ceteros antecedentem.

---

animo inhaeserat. S. Gall. opp., Bern. et Ed. Merc. *quippe in animo haeserat.* Crat. *quippe quis in animo haeserat.* Supra c. i. *quippe quis animo ita haeserat.* Veram hinc iudices Ed. Obr. lectionem, quam secutus sum.

interfecto eo sum. cet.) Ed. Crat. et Merc. om. *eo.* Vindingii correctionem *orbitatem* non intelligo. Pro *complur.* Ed. Princ. *quam plur.* Crat. *spei quamplur.* v. Gloss. Mox libri mei et Merc., Vindingius et ex Ed. Dacer. Wopkensius p. 77. *et viro egr. bellandi — licuerit.* Wass. ad Sall. Iug. 17. *Viro egregio bellante — licuerit.* Daceria et Vindingius corrigunt *et viro — licuisse.* Ed. Obr. et Perizon. Diss. §. XL. (ad cap. 8.) *cum viro — licuerit.* Crat. Ed. *cui viro — licuerit.* Recte, meo quidem iudicio. *Cui* i. e. cum ei; ex qua interpretatione fluxisse videtur *cum*, quod est in Ed Obr. Non absimili loco Sept. III. 16. *cui fama bellandi inclyto per gentes.* Sed cf. Gloss. Misere totum locum corrumpit Wopkensius.

vis multa) Bern. *magna.* Infra S. Gall. sec. IX a m. pr. et Bern. *iusta funera.* cf. Gloss. ad c. 1.

labore non dest.) Bern. et Ed. Merc. *laborare.* Bene. Crat. Ed. *haud prius obire dest.* et expressae ex ea Edd. Basil. *abire.*

animo summis off.) Ed. Princ. *e summis.* Obr. *et summis.* Non opus est particula; referas modo *animo* ad *dilectum.* Mox pro *percoluerat* libri mei *perconsuluerat.*

antecedentem) Crat. addit *sciret.* Scire glossator debuit, Accusativos pendere a praecedente *quae percol.*

XIV. Contra apud Troianos laetitia atque gratulatio cunctos incesserat, interfecto quam metuendo hoste: hique Alexandri commentum laudantes ad coelum ferunt, scilicet quum insidiis tantum perfecerit, quantum ne in certamine auderet quidem. Inter quae tam laeta nuncius Priamo supervenit, Eurypylum Telephi ex Moesia adventare; quem rex multis antea illectum praemiis, ad postremum oblatione desponsae Cassandrae confirmaverat. Sed inter cetera, quae ei pulcherrima miserat, addiderat etiam vitem quandam auro effectam, et ob id per populos memorabilem. Ceterum Eurypylus, virtute multis clarus, Moesiacis modo Ceteiisque instructus legionibus, summa fama laetitiaque a Troianis exceptus, spes omnes barbaris in melius converterat.

XV. Interim Graeci ossa Achillis urna recondita, adiunctaque simul Patrocli, in Sigeo sepelivere: cui sepulchrum etiam exstruendum ab

---

XIV. *cunctos incesserat*) Praeter libros meos et Ed. Obr. ita etiam MSS. Oudendorpii ad Apul. Met. III. p. 181. Ed. Merc. et Crat. *cunctis*. Dativus rarior. Caes. B. C. III. 74. *exercitui omni incessit dolor*. Virgil. Aen. IV. 67. *discordia regibus incessit*. Val. Max. Praef. 1. *mihi — cupido incessit*. Cf. Heins. ad Val. Flacc. V. 551.

auderet quidem) Vindingii *quidam* refellunt Perizon. Diss. §. XLI et Wopkens. p. 78. Infra verba *tam laeta* recepi ex Ed. Crat. et Obr., cum absint a libris meis et Merc.

Ceterisque instr. leg.) Ita est in S. Gall. sec. IX et Ed. Princ., et ex Argent. scriptura *Citisque* edidit Obrechtus. *Κητείους* in Eurypyli exercitu memorant Hom. Od. XI. 520 et Quint. VI. 168. Ceteri libri scripti et editi *ceterisque*. Supra Crat. Ed. *virtutibus multis*. Infra libri mei *summa laetitiae a Troi.*

XV. *urna recondita*) Ed. Crat. et Merc. *condita*. Ed. Princ. *urnae*. Bene; de quo Dativo v. ad c. 8.

exst. ab his, qui) A MS. Oudendorpii ad Apul. Met. I. p. 67. exsulat praepos. *ab*. v. ad cap. 6. et II. 20.

in eo loco habebant) MS. Voss. et tres mei *habebant*. Recte.

his, qui in eo loco habebant, mercede Aiax locat, indignatus iam de Graecis, quod nihil in his dignum doloris iuxta amissionem tanti herois animadverterat. Per idem tempus Pyrrhus, quem Neoptolemum memorabant, genitus Achille ex Deidamia Lycomedis, superveniens offendit tumulum exstructum iam ex parte maxima. Dein percontatus exitum paternae mortis doctusque, Myrmidonas, gentem fortissimam et inclytam bellandi, armis atque animis confirmat; impositoque faciendo operi Phoenice, ad naves atque ad tentoria parentis vadit: ibi custodem rerum Achillis Hippodamiam animadvertit. Moxque adventu eius cognito, in eundem locum a cunctis ducibus concurritur: hique, uti animum aequum haberet, deprecantur. Quis benigne respondens, *nec sibi*, ait, *ignoratum esse, omnia, quae divinitus confierent, forti pectore patienda, neque cuiquam super*

Plaut. Aulul. Prol. 5. *qui nunc hic habet*, pro: habitat. Bacch. I. 2. 6. *quis istic habet?* et sic alibi Plautus aliique, docente Heinsio ad Ovid. Met. IV. 773. Confirmat lectionem glossa MS. Perizon. *habitabant*, ut est etiam in Ed. Princ. et Crat., legique iubet Vindingius. Ed. Merc. et Obr. *agebant*, quod verum iudicat Oudendorp. ad Apul. loc.

indignatus iam de Gr.) Haec lectio libris meis debetur. Ed. Merc. et Crat. om. *de*. Ed. Obr. habet *indign. inde Gr.* Mox S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *animadverterat*, non *animadverteret*, ut antea edebatur.

genitus Achille) Contra Vindingii *Achilli* v. Periz. Diss. §. 40. In seqq. Crat. *percont. exitium patris.* Bern. et S. Gall. opp. om. *doctusque*. Infra sequens *vadit* debeo S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Crat., cum antea *contendit*. Porro Bern. et Ed. Merc. *Queis benigne.*

quae — confierent) MSS. mei *conferrent*. Ed. Princ. *conferrentur*. Crat. *quaecunque — fierent*. Sed Ed. Merc., Obr. et Oudendorp. ad Apul. de Dogm. Plat. p. 262. *confierent*. Recte. De quo verbo haud raro in MSS. corrupto v. Oudend. l. l. et ad Sueton. Caes. 20, Heins. ad Virgil. Aen. IV. 116. Mox Crat. *forti animo pectoreque.*

fatum vivendi concessam legem: turpem namque ac detestandam viris fortibus conditionem senectae, contra imbellibus optabilem. Ceterum sibi eo leviorem dolorem esse, quod non in certamine, neque in luce belli Achilles interfectus esset; quo fortiorem ne optasse quidem quemquam exsistere nunc, vel in praeteritum, excepto uno illo Hercule. Addit praeterea: *solum virum dignum ea tempestate, sub cuius manibus exscindi Troiam deceret: neque tamen abnuere, quod imperfectum a patre relictum esset, a se atque a circumstantibus perfici.*

XVI. Postquam finem loquendi fecit, in proximum diem certamen pronunciatum. Duces omnes, ubi tempus visum est, solito ad Agamemnonem coenatum veniunt: in quis Aiax cum Neoptolemo, Diomedes, Ulixes et Menelaus: hique inter se eundem locum coenandi capiunt. Interim inter epulas plurima iuveni patris fortia facinora numerare, virtutemque eius commemorando efferre laudibus: quis Pyrrhus non mediocriter laetus, accensusque industria, se omni ope conari

---

turpem namque) Wopkens. p. 79. aptius putat *turpemque*. Infra pro *leviorem dolorem* Vindingius vult *graviorem*. Sed v. Pezon. Diss. §. XLI.

ne optasse quidem) Ed. Crat. et Merc. *non optasse quidem*. Vult Wopkensius *non potuisse quidem*. Traxit scil. *quemquam* ad *fortiorem exsistere*. Tu vero iunge: ne optasse quidem quemquam.

imperfectum) Crat. *infectum*. Vim verbi *imperfectum* expono in Gloss. ad I. 11.

XVI. *inter ep. plurima*) Ed. Obr. *primas*. Obrechtum scil. in libris invenisse arbitror *prima*, corruptum ex *plurima* (cf. ad c. 5.); unde perperam fecit *epulas primas*: quae praeterea distinctio inter mensam primam et secundam importuna hoc loco est.

numerare) Ed. Crat. et Obr. *enumerare*. Cf. Gloss. Infra pro *laetus* Ed. Crat. *laetatus*. Sed c. 20. *laetus Philoctetae facinoribus*, h. e. laetatus. Curt. IX. 9. *laetus his acclamationibus*. IX. 1. *victoria laetus*. X. 4. *his laetus*. Et sic alii scriptores.

respondit, quo ne indignus patris meritis exsisteret. Dein ad sua quisque tentoria quietum abeunt. At postero die simul cum luce iuvenis, castris egressus, offendit Diomedem cum Ulixe: quos salutatos, quid causae foret, percontatur: hique aiunt, *interponendam dierum moram ad reficiendos militum eius animos, longo itinere maris torpentibus etiam nunc membris, et ob id nequaquam satis firmo nisu, ut solitis viribus agerent.*

XVII. Itaque ex eorum sententia biduum interpositum: quo transacto omnes duces regesque, suis quisque militibus instructis, exercitum ordinant, atque ad pugnam vadunt. In quis Neoptolemus, regens medios, circum se Myrmidonas statuit atque Aiacem, quem adfinitatis merito parentis loco percolebat. Interim Troiani vehementer

---

accens. industria, se omni ope conari resp.) Ed. Obr. *laetus accensusque, nisurum se omni ope resp.* procul dubio ex emendatione. Scilicet Obrechtum in MS. suo legisse suspicor *accensusque industria se omni ope resp.* ut habetur etiam in S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. Desiderans autem Infinitivum, ad *respondit* necessarium, vocem *industria* corruptam ex *nisurum* arbitratus est. Quod quidem priores vocis literas spectanti non displicuerit. Sed libri Merceri meique S. Gall. opp. et Bern. atque Ed. Crat. explent illud desiderium, post *ope* (Crat. *opere*) praebentes probum Infinitivum *conari*, in ceteris autem cum edita a me lectione convenientes. Ceterum in Ed. Obr. non satis placet *accensus* praecise positum: bene autem se habet *accensus industria*, i. e. studio arripiendi patris partes, et Troiae ruinam perficiendi. De *conari* pro: conaturum esse, dixi in Gloss. ad II. 37.

quid causae foret) Crat. *quid causae ad se veniendi foret.* Proba glossa. Mox pro *percontatur*, quod Bern. et Ed. Princ. omittunt, Ed. Merc. et Crat. *rogat.* Infra S. Gall. opp. *diei moram.* Ed. Crat. *e longo itinere.*

solitis viribus) Vindingii *solidis* placet Wopkensio p. 79. Male. Laudatur militum virtus, qua semper excellere soliti fuerint: iam autem, torpentibus ex maritimo itinere membris, quies necessaria erat, ut solitae illae vires redirent. Cf. Gloss.

XVII. *ad pugnam*) Crat. *in pugn.*

pavere; maxime quod, suis in dies deficientibus auxiliis, novus adversum se miles pararetur cum memorando duce: tamen Eurypyli hortatu arma capiunt: is namque, adiunctis secum regulis, copias suas Troianis mixtas porta educit: atque ita ordinata acie medium sese locat. Tum primum Aeneas aspernato certamine intra muros manet: exsecratus quippe Alexandri facinus commissum in Apollinem, cuius sacra is praecipue tuebatur. Sed ubi signum bellandi datum est, manus conserunt, magna vi utrinque decertantes, caduntque plurimi. Interim Eurypylus, obvium forte nactus Peneleum, proturbat hasta atque interficit. Inde multo saevior Nirea aggressus, mox obtruncat. Iamque deturbatis, qui in acie steterant, medios aggrediebatur: quum Neoptolemus re cognita cominus advolat, deiectumque curru hostem, et ipse desiliens, gladio impigre interficit. Tum ablatum propere cadaver, atque ad naves iussu eius perla-

---

maxime quod — pararetur) Absunt haec verba a Bern., S. Gall. opp., Ed. Princ. et Merc. In Edd. Basil. posterioribus est *in suis in dies*; quod ubi etiam Barthius invenit, defensionis conquirit argumenta, licet prius *in* ex seq. *in dies* irrepsisse manifestum sit. — Ed. Princ. *commemorando duce*, i. e. *cum memorando*, ut est in S. Gall. sec. IX, Ed. Crat. et Obr. Ex Ed. Princ. scriptura liquet origo lectionis Bern., S Gall. opp. et Ed. Merc. *commemorato duce*.

is namque) A libris meis et Merc. abest *is*.

aspernato cert.) Libri mei et Merc. *parato cert.* quod corruptum ex negligenter contracta scriptura verborum *Aeneas aspernato*, qua alterum *as* facile potuit excidere. In praecedente Bern. et S. Gall. opp. *Tunc prim.*

commissum in Apollinem) Libri *in Apolline*. Nos: am Apollo verübt. Sed lib. V. 8. *ob commissum — scelus in Apollinem*. II. 20. *adversum se domumque suam admissa*.

magna vi — caduntque) Ed. Obr. *magnaque vi — cadunt*.

Nirea) Plurimi libri *Nerea*, ut c. 18. *Nereus*. cf. I. 14. In seqq. S. Gall. sec. IX. *moxque*, et infra *aggrediebantur*. Ed. Crat. *obturbatis*. Ed. Obr. *impigre gladio*. Bern. et Ed. Merc. om. *impigre*.

tum. Quod ubi animadvertere barbari, quibus spes omnis in Eurypylo fuerat, sine certo ordine aut rectore, fuga proelium deserunt, atque ad muros revolant: tum plurimi eorum in fuga interfecti.

XVIII. Igitur postquam fusis hostibus ad naves revertere Graeci, ex consilii sententia Eurypyli cremata ossa atque urnae condita patri remittunt, scilicet memores beneficiorum atque amicitiae. Cremati etiam per suos Nireus atque Peneleus, seorsum singuli. At postero die per Chrysen cognoscitur, Helenum Priami, fugientem scelus Alexandri, apud se in templo agere: moxque ob id missis Diomede et Ulixe, tradidit sese, deprecatus prius, uti sibi partem aliquam regionis, in qua reliquam vitam degeret, semotam ab aliis, concederent. Dein ad naves ductus, ubi concilio mixtus est, multa prius locutus, *Non metu*, ait, *se mortis patriam parentemque deserere, sed deorum coactum aversione, quorum delubra violari ab Alexandro, neque se neque Aeneam nequisse pati: qui metuens Graecorum iracundiam*

XVIII. *urnae condita*) Ita S. Gall. sec. IX et Ed. Princ., non *urna*. v. ad c. 8. Infra S. Gall. opp. *Chrysim*. Ed. Princ. *Chrisin*. S. Gall. sec. IX. *tradit sese*.

concilio mixtus) S. Gall. opp. et Éd. Merc. *consilio*. v. ad. I. 6. Ed. Princ. et Obr. om. sequens *prius*. Paulo infra Obr. *mortis se patr*.

Aeneam) S. Gall. sec. IX. *Aenean*. Ubique idem MS. *Aeneam*; videturque exitus *an* repetendus esse ex litera initiali *n* sequentis verbi *nequisse*.

neque — nequisse pati) S. Gall. sec. IX et Ed. Princ. *quisse*. Offendit scil. scholiasta in duplici negatione, quam nesciverit non affirmare, sed negare. v. Gloss. S. Gall. opp. *ne quis se parati*, i. e. *nequisse pati*. ut legitur in Bern., Ed. Crat., Merc., Obr. et apud Oudendorp. ad Apul. Met. V. p. 335. Infra Bern., Ed. Crat. et Merc. *agere*.

apud Antenorem ageret senemque parentem; de cuius oraculo imminentia Troianis mala cum cognovisset, ultro supplicem ad eos decurrere. Tunc nostris festinantibus secreta dinoscere, Chryses nutu, uti silentium ageretur, significat, atque Helenum secum abducit. A quo doctus, cuncta Graecis, uti audierat, refert. Addit praeterea tempus Troiani excidii, idque administris Aenea atque Antenore fore. Tum recordati eorum, quae Calchas edixerat, eadem cuncta congruentiaque animadvertunt.

XIX. Dein postero die, egresso utrinque milite ad bellandum, plurimi Troianorum cadunt, sed ex sociis auxiliariis pars maxima. At ubi vehementius a nostris instatur, et omni ope bellum finire in animo est, signo dato dux duci occurrit, atque in se proelium convertunt. Tunc Philo-

---

cum cognovisset) Ita Ed. Princ. et Obr. A tribus MSS., Ed. Merc. et Crat. exsulat *cum*; qua re Vindingius post *oraculo* inserendum putavit *postquam*. Wopkensii p. 70. ratio, post *cognovisset* duobus punctis distinguentis, et pergentis *se ultro*, non placet. Forte scriptum fuit: *de cuius ore cum im. Tr. mala cognovisset.* Cf. Apul. Met. XI. p. 812. *et de eius ore, quo singulorum fata dictat, audisse.*

dinoscere) Ita libri, non *dign.* v. ad III. 23. In seqq. Crat. Ed. *Chryses manu.* Merc. *agerent.* Pro *administris* Bern., S. Gall. opp. et Ed. Crat. *a ministris.* Ed. Princ. *aministris*, pro *amministris* i. e. *administris.*

quae Cal. edixerat) Libenter recepi *edixerat*, quod ex MSS. Leid. reposuit Oudend. ad Apul. Met. VII. p. 451. Mei libri scripti et editi *dixerat.* Cf. ad II. 30. Verum in seq. Septimium scripsisse *eadem, cunctaque congruentia inter se*, ut ex iisdem MSS. legi iubet Oudendorpius, vix adducor ut credam. Multo minus audio Vindingium, tollentem *que.* MSS. meorum et Edd. lectionem recte explicuit Wopkens. p. 80.

XIX. *ad bellandum — maxima*) Obrechtum secutus sum, qui ita locum restituit ex Ed. Mediol.; quacum conspirat Ed. Crat., in qua tamen *ex sociis tamen pars max.* Libri mei et Merc. *milite ab Alexandro cadunt ad solis partem maximam.*

cteta progressus adversum Alexandrum, lacessit, si auderet, sagittario certamine. Ita concessu utriusque partis Ulixes atque Deiphobus spatium certaminis definiunt. Igitur primus Alexander incassum sagittam contendit. Dein Philocteta insecutus sinistram manum hosti transfigit; reclamanti per dolorem dextrum oculum perforat; ac iam fugientem tertio consecutus vulnere, per utrunque pedem traiicit, fatigatumque ad postremum interficit: quippe Herculis armatus sagittis, quae infectae Hydrae sanguine, haud sine exitio corpori figebantur.

XX. Quod ubi animadvertere barbari, magna vi irruunt, eripere Alexandrum cupientes: multisque suorum interfectis a Philocteta, negotium tamen peragunt, atque in civitatem reportant. Tum Aiax Telamonius insecutus fugientes, ad usque portam peregit. Ibi caesa vis multa hostium, quum, festinantibus inter se, et singulis inter pri-

---

a nostris instatur) Bern. et Gall. opp. *ab nost.* et uterque S Gall. *statur.*

Tunc Phil.) Ita S. Gall. sec. IX. et Bern., non *Tum.* Sequentia olim sic distinguebantur: *progressus adversum, Alex. lacessit si auderet sag.* Ed Crat. *progressum Alexandrum, et sagittarun cert.*

definiunt) S. Gall. opp., Ed. Princ. et Obr. *diffiniunt.* Praetulere *definire* viri docti etiam Apul. de Dogm. Plat. p. 231, Hygin Astron. I. 6, aliisque locis, ubi eadem varietas obtinet.

tertio cons. vulnere) Crat. om. *consecutus.* Insolens videlice scholiastae visa est locutio *vulnere aliquem consequi,* de qua v Gloss. — Ed. Obr. om. sequens *ad.* Infra pro *corpori* S. Gall. sec IX. et Ed. Princ. *corporis.*

XX. *Tum Aiax*) Ita S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ., non *tumque.* Paulo infra idem S. Gall. et Ed. Obr. recte *peregit* i. e. coegit, pepulit. In cett. *pergit.*

festinantibus) Corrigit Wopkens. p. 80. *festinantes*, offenden in liberiore Ablat. absol. Contra eum v. Oudend. ad Apul. Met. X p. 699. et nos ad lib. II. 12.

mos evadere cupientibus, magis in ipso aditu multitudine sua detinerentur. Interim multi eorum, qui primi evaserant, super muros siti, collecta undique cuiuscemodi saxa super clypeum Aiacis deiicere, congestamque quamplurimam terram desuper volvere, scilicet ad depellendum hostem, quum supra modum gravaretur: quae egregius dux facile scuto decutiens, haud segnius imminere. Denique Philocteta eos, qui in muris locati erant, eminus sagittis proturbat, multos interficit. Neque secus ab reliquis in parte alia res gestae. Atque eo die excisa eversaque moenia hostium forent, ni nox iam ingruens nostros ab incoepto cohibuisset. Qui ubi ad naves regressi sunt, laeti Philoctetae facinoribus, et ob id maximam animo fiduciam gestantes, summo favore ac laudibus ducem celebrant. Qui simul cum luce, adiunctis sibi reliquis ducibus in proelium egressus, hostes

---

cuiuscemodi saxa) Ita recte libri mei et Ed. Obr. v. ad II. 27. Ed. Merc. *cuiusquemodi*. Infra uterque S. Gall. et Ed. Princ. *deiecere*, et paulo infra S. Gall. sec. IX. *volvere*.

quum supra modum gravaretur: quae egreg.) Bern. et Ed. Merc. *super modum*. Sed lib. VI. 10. *supra modum dolore adfecta*. Cetera Oudendorp. ad Apul. Met. VI. p. 434. legit: *hostem: quum supra mod. gravaretur egregius dux, facile sc.* Nec aliter libri mei, Ed. Crat. et Merc.: in quo desideres sanum sensum. Melius Wopk. p. 81. distinguit: *hostem, quum — gravaretur. Egregius dux fac.* Sed utut interpungas, incommoda manet oratio. Quare secutus sum Ed. Obr. *Quum* i. e. si, eo quod. *Quae* i. e. sed ea, scil. saxa. Praeterea S. Gall. sec. IX. *facili scuto* optime, sed nimis poetice.

in muris) S. Gall. opp. *in muro*. In seqq. Bern., S. Gall. opp., Ed. Crat. et Merc. *perturbat*; atque Bern., Ed. Merc. et Crat. *multosque*. *Ab reliquis* libri mei, non *a rel.*

parte alia) Ed. Princ. *parte alia quam*, pro *alia qua*. Tres MSS. *parte aliqua* i. e. alia qua. Lubentissime amplecterer, nisi legerem lib. III. 4. *Hector situs in alia parte*. III. 6. *Hector per aliam partem — aufugerat*. III. 7. *in alia belli parte*.

eversaque) Crat. *versaque*. Infra eadem *metu suo*. v. Gloss. ad I. 23; et *terruit*, ex glossa. v. Wopkens. p. 81.

metu sui adeo deterruit, ut vix se moenibus defensarent.

XXI. Interim Neoptolemus apud tumulum Achillis, postquam in auctorem paternae caedis vindicatum est, initium lugendi sumit; una cum Phoenice atque omni Myrmidonum exercitu comas sepulchro deponit, pernoctatque in loco. Per idem tempus filii Antimachi, de quo supra memoravimus, adiuncti Priami rebus, ad Helenum veniunt; eumque, ut ad amicitiam cum suis redeat, deprecati, ubi nihil proficiunt, ad suos remeantes, Diomedi atque Aiaci alteri itineris medio occurrunt: ab quis comprehensi perductique ad naves, quinam essent, et rem, ob quam venerant, omnem expediunt. Tum recordati patris eorum, et quae adversum legatos dixerit molitusque sit, tradi eos popularibus atque ante conspectum barbarorum produci iubent, dein lapidibus iniectis necari. Interim Alexandri funus per portam aliam ad Oenonem, quae ei ante Helenae raptum nupserat, necessarii sui, uti sepeliretur, perferunt. Sed fertur Oenonem, viso cadavere Alexandri, adeo commotam, uti amissa mente obstupefieret, ac paullatim per moerorem defi-

---

XXI. *una cum*) Ita libri, non *et una cum*. In seqq. Crat. *in amicitiam*. Bern. et Ed. Merc. *ab queis*. Crat. *Tum nostri recordati*, et *legatos nostros*.

per portam aliam) Libri mei, Ed. Crat. et Merc. *per partem aliam portae*. Ed. Obr. *per partem aliam*, omisso *portae*. Scripsi *per portam aliam*. Ad unam urbis portam, Graecorum castra spectantem, necabantur filii Antimachi; per alteram, huic oppositam, urbe elatum Alexandri cadaver. Intelligenda hic ea porta est, quae versus Idam patebat; in Ida enim versabatur Oenone, et illuc corpus ferebatur. Qua de re Apollod. III. 12. 6.

ciente animo concideret. Atque ita uno eodemque funere cum Alexandro contegitur.

XXII. Ceterum Troiani, ubi hostes muris infestus magis magisque saevit, neque iam resistendi moenibus spes ulterius est, aut vires valent, cuncti proceres seditionem adversus Priamum extollunt atque eius regulos: denique accito Aenea filiisque Antenoris, decernunt inter se, uti Helena cum his, quae ablata erant, ad Menelaum duceretur. Quod postquam Deiphobus cognovit, traductam ad se Helenam matrimonio sibi adiungit. Ceterum ingressus concilium Priamus, ubi multa ab Aenea contumeliosa ingesta sunt, ad postremum consilii sententia iubet ad Graecos cum mandatis belli deponendi ire Antenorem: qui ex muris signum ostendens legationis, ubi a nostris recessum est, ad naves venit. Ubi benigne salutatus atque exceptus, summum fidei benevolentiaeque erga Graeciam testimonium capit; maximeque a Nestore, quod Menelaum, insidiis Troianorum appetitum, consilio suo atque auxilio filiorum servaverit: pro queis eversa Troia multa prae-

---

XXII. *Ceterum Troiani*) Crat. *Ceterum apud Troiam.* v. Gloss. Infra S. Gall. opp. et Ed. Princ. *adversum Priamum.*

duceretur) In Voss. et Periz. Codd. exarari *ducerentur*, testatur Oudend. ad Apul. Met. III. p. 224. De quo plur. numero diximus ad I. 16.

ingr. concilium) S. Gall. opp. et Ed. Merc. *consil.* Infra S. Gall. sec IX et Ed. Princ. *in concilii sententia.* S. Gall. alter, Bern. et Ed. Merc. *concilii* (Merc. *consil.*) *sent.*, omissa praepos. Ed. Crat. et Obr. *ex consil. sent.*

ex muris) Ed. Obr. *pro muris* i. e. de, ex muris. Recte, ni fallor. Sall. Iug. 67. *ad hoc mulieres puerique pro tectis aedificiorum saxa et alia mittere.* De qua praepos. vi cf. Duker. ad Flor. IV. 2. 91. Mox. S. Gall. sec. IX et Ed. Princ. *sign. leg. ostend.* Pro seq. *exceptus* S. Gall. opp. *receptus.*

pro queis eversa Tr.) Ita Ed. Merc. et Obr. In Crat. *pro quis*

clara polliceri; hortarique, uti dignum memoria pro amicis adversum perfidos moliretur. Tum longam exorsus orationem, *Semper*, ait, *principes Troiae poenam ob male consulta divinitus consequi.* Dein subiungit *Laomedontis adversum Herculem famosa periuria, insecutamque eius regni eversionem: qua tempestate Priamus, parvulus admodum atque expers omnium, quae gesta erant, petitu Hesionae regno impositus est. Eum male iam inde desipientem cunctos sanguinis sui iniuriis insectari solitum, parcum in suo atque appetentem alieni: quo exemplo veluti pessima contagione imbutos filios eius neque sacro neque profano abstinuisse. Ceterum se eadem stirpe, qua Priamum, Graecis coniunctum, animo semper ab eo discerni. Hesionam quippe, Da-*

---

ev. Tr. Uterque S. Gall. et Ed. Princ. *eversa pro quis Troia*. Bern. *ev. pro queis Tr.*

uti dignum memoria) Legendum videtur *ut quid dignum*. Durior enim hic τοῦ *quid* vel *aliquid* absentia. WOPKENS. p. 82. Immo frequens haec ellipsis, ut abunde docuit Cort. ad Sall. Cat. 26. extr. Iug. 22. 2. Cf. Terent. Eun. 5. 2. 25. *non te dignum, Chaerea, fecisti.* Cod. Bern. *uti indignum mem.*

Tum long.) Bern., S. Gall. opp. et Ed. Princ. *Tunc*. In seqq. S. Gall. opp. om. *male*. Bern. et Ed. Merc. *ob inconsulta*. Crat. *consecuti*. et mox *famosam periuriam*, ut citat etiam Borrich. de Var. L. L. Act. p. 12; et *eius atque regni evers.*

sanguinis sui iniuriis) Ita Med., pro quo al. *sanguine et iniuriis*. Noster paulo post in hac eadem oratione: *Ceterum Priamum cuncta iura affinitatis proculcantem, magis in suos superbiam atque odium exercuisse*. OBRECHT. Libri mei et Merc. *sanguine et iniuriis.*

parcum in suo atque appetentem alieni) Haec quoque Med. ed. correctio debetur. Vulg. *pravum insuetum atque app. al.* Παρῳδία ad Sallustianum illud in Cat. 5. *alieni appetens, sui profusus.* Parsimonia in suo mox iterum exprobratur Priamo V. 2. *Solus suas opes intus custodiat Priamus; solus divitias potiores civibus teneat.* OBRECHT. Libri mei et Merc. *pravum insuetum atque app. al.*

ab eo discerni) Ed. Crat. *dissensisse*. non mala interpretatio. Vult nempe Septimius intelligi, Antenoris animum semper a Priamo abalienatum fuisse.

Hesionam) Bern. *Plionam*. S. Gall. opp. et Ed. Princ. *Esio-*

nai filiam, Electram genuisse; ex qua ortum Dardanum, Olizonae Phinei iunctum, qui Erichthonium ediderit: eius Tros, dein ex eo Ilus, Ganymedes et Cleomestra: ex Cleomestra Assaracus, atque ex eo Capys, Anchisae pater: Ilum dein Tithonum et Laomedontem genuisse: ex Laomedonte Hicetaonem, Clytium, Lampum, Timoetem, Bucolionem atque Priamum genitos: rursusque ex Cleomestra et Aesyete se genitum. Ceterum Priamum, cuncta iura affinitatis proculcantem, magis in suos superbiam atque odium exercuisse. Postquam finem loquendi fecit, postulat, uti, quoniam a senibus legatus pacis missus esset, darent de suo numero,

---

nam, pro *Hesionam*, ut est in libris Merceri, Obrechti, Oudendorpii, in meo S. Gall. sec. IX. et Ed. Crat. v. ad I. 9.

ex qua ortum Dardanum, qui — ediderit) Sic locum scripsi, ducibus libris scriptis et editis. S. Gall. sex. IX. *ex quo ortum Dard. Ol. Ph. iunctus Erich. ei dederit.* Sic et Ed. Princ., nisi quod pro *ei dederit* habeat *genuisse*, ex glossa. S. Gall. opp. et Bern. *ex quo ortum Dard. Obzone finei iunctos Erich. ei dederit.* Ed. Merc. *ex qua ortum Dard. Olizonae* (MSS. Merceri *Obzone*) *Ph. iunctum Erich. ei dederit.* Vindingius vult *ex qua ortum — iunctum, Erich. edidisse.* cui favet Ed. Princ. Wopkens. p. 82. legit: *ex qua ortum — iunctum: Erich. ea peperit.* Deesse particulam *quae*, dicit Mercerus, scribens *quae Er. ei dederit.* Scripsi *qui* (scil. Dardanus) ex Ed. Crat. Illud *ediderit* debeo Ed. Obr., in qua diversa ab istis lectio est *ex qua ortus Dardanus Ol. Ph. iunctus Erich. ediderit.* quam, per se probam, tamen interpretem auctorem habere suspicor: pariter atque eam, quae est in Crat. *ex qua ortus est Dardanus, qui Teucri filiae iunctus Erichthonium dedit.* Audaci manu scholiastes molitus est genealogiam congruam facere cum ea, quam memoriae prodidere veteres. Cf. ad I. 9.

et Cleomestra: ex Cleomestra Assar.) Edd. vulg. *Cleomestra et Assaracus.* Eosdem sane filios, Ilum, Ganymedem et Assaracum, filiamque Cleopatram (non Cleomestram) perhibet Appollod. III. 12. 2. Sed tres MSS. et Ed. Princ. *et Cleomestra. Ex Cleomestra Assar.* Atque ab Apollodoro aliisque veteribus diversus abit Dictys etiam paulo infra, Tithonum dicens Ili filium, cum fuerit Laomedontis. Praeterea librorum lectioni favere videntur seqq. *rursusque ex Cleom.*

senibus) Bern. *senioribus*, et mox *missus erat.*

de suo numero) Ita S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ., non *ex suo num.* Dares c. 33. *de quorum numero.* 24. *de Graecorum numero.*

cum queis super tali negotio disceptaret: electique Agamemnon, Idomeneus, Ulixes atque Diomedes, qui secreto ab aliis proditionem componunt. Praeterea placet, uti Aeneae, si permanere in fide vellet, pars praedae et domus universa eius incolumis maneret; ipsi autem Antenori dimidium bonorum Priami, regnumque uni filiorum eius, quem elegisset, concederetur. Ubi satis tractatum visum est, Antenor ad civitatem dimittitur, referens ad suos composita inter se longe alia: in queis, donum Minervae parari a Graecis, eosque cum gratia cupere, recepta Helena acceptoque auro, bellum omittere atque ad suos regredi. Ita composito negotio Antenor, traditoque sibi Talthybio, quo res fidem acciperet, ad Troiam venit.

Frequentior in hac formula est praepos. *ex* v. Cort. ad Sall. Cat. 32. Ceterum utrumque dicitur, ut etiam *ex consilii sententia* et *de cons. sent.*, *ex improviso* et *de imp.*, aliaque multa. Infra S. Gall. sec. IX., Ed. Princ. et Crat. *cum quis*, v. ad I. 15. Pro *disceptaret* Crat. *dissertaret*, et pro *secreto ab aliis* eadem *secreti ab aliis*. de quo v. Gloss. Bern., S. Gall. opp. et Ed. Princ. om. sequens *maneret*.

in queis) Uterque S. Gall. et Ed. Crat. *in quis*. Infra Ed. Princ. et Obr. *tradito*, omisso *que*. v. ad c. 8.

fidem acciperet) Ed. Crat. et Merc. *finem*. Libri mei *finem acceperit*. Ipsa quidem formula proba est. Scaevol. Dig. 4. 4. 39. *quo minus res finem accipiat*. Sed sensus efflagitat lectionem Ed. Obr. *fidem*, quam recte defendit Wopkens. p. 83.

DICTYS CRETENSIS

EPHEMERIDOS

BELLI TROIANI

LIBER QUINTUS.

I. Antenore Talthybioque civitatem ingressis, cuncti populares sociique cognita re propere concurrunt, cupientes dinoscere, quae apud Graecos actitata essent: quis Antenor in proximum diem relata differt: atque ita dimisso conventu disceditur. Tum inter epulas, quum Talthybius in-

---

I. *dinoscere*) Ita uterque S. Gall. et Ed. Princ., non *dign.* v. ad III. 23. Pro *actitata* Bern., S. Gall. opp. et Ed. Merc. *acta.* cf. Gloss. *Quis Antenor* libri, non *quibus.*

relata differt) Ed. Obr. *relatum,* i. e. relationem, renuntiationem legationis. Bene. Tacit. Ann. XV. 22. *abnuentibus consulibus de ea re relatum,* i. e. relationem. Sed in eundem sensum dici potest *relata.* v. Gloss.

disceditur) Infra: *finito convivio, quietum disceditur.* Frequentes sunt in Septimio tales repetitiones, quae non sunt tentandae. Wopkens. p. 83. nempe coniicit *discumbitur.* Moverit virum doctum etiam Ed. Dacer. lectio: *Cum inter epulas Talth. interesset.* Non aliter habetur in libris meis et Merc. Vindingius vult *Cum inter ep. T. esset;* immemor videlicet, saepe praepositionem, cum qua verbum componitur, in regimine repeti. Consimili argumento Vindingium impugnat Wopkensius. Atqui quanto melior ad

teresset, filios suos monere Antenor, nihil his in vita custodiendum, quam uti antiquissimam ducerent cum Graecis amicitiam: dein singulorum probitatem, fidem atque innocentiam commemorando, admiratur. Ita finito convivio quietum disceditur. At lucis principio, omnibus iam in consilio exspectantibus audire, si quis modus tantis malis fieret, cum Talthybio ipse venit, neque multo post Aeneas, dein Priamus cum residuis regulis. Denique ubi ea, quae a Graecis audierat, dicere iussus est, hoc modo disseruit.

II. *Grave, Troiani principes vosque socii, grave, bellum nobis extitisse adversum Graeciam; gravius vero, multoque durius, mulieris causa hostes effectos quam amicissimos, qui inde iam a Pelope orti, affinitatis etiam iure nobis coniuncti sunt.*

---

rerum seriem est lectio Ed. Obr. et Crat., quam retinui, hoc sensu: Postea inter epulas, quae exhibebantur, *praesente Talthybio*, filios suos monuit Antenor. Ad *quum Tal. interesset* intell. epulis. cf. c. 7. *interesse convivio.* 12. *spectaculo.*

nihil his in vita cust.) Miror, quod tanto opere coniecturam suam *nihil his ita cust.* confirmare moliatur Wopkens. p. 84., cum neque ellipsis τοῦ *magis* ante *quam*, ut vidit ipse, neque etiam verba *in vita* quid habere videantur offensionis.

admiratur) S. Gall. sec. IX. *ammiratur* i. e. *admiratur*, ut habetur in Ed. Princ., vultque Vindingius. Crat. *admirari.* In cett. *admiratus.*

quietum disced.) Ambabus manibus amplector hanc Ed. Obr. lectionem. Lib. IV. 16. *quietum abeunt.* Cett. Edd. et libri mei *tum disc.* cf. Gloss. Mox S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Crat. *lucis principio*, non *initio.*

II. *extitisse*) Ita scribendum ex S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. In cett. *excitasse.*

mulieris causa hostes eff.) S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Obr. *mulieris causa, hostesque eff.* Gravis ubique horum consensus. Attamen re clamante hic cum cett. libris et Cortio ad Sall. Jug. 14. Exc. III. 4. particulam abesse volui. Sensus: gravius vero est, ruptum esse mulieris causa artissimum atque antiquissimum amicitiae vinculum. Pro seq. *orti* Bern. *nati.*

Namque si praeterita mala summatim attingere oporteat, en unquam civitas nostra depressa aerumnis ad requiem emersit? Unquamne nobis defuere fletus, aut sociis imminutae calamitates? Quando non amici, parentes, propinqui, filii denique in bello amissi? Et, ut ex me reliquorum luctuum memoriam recenseam, quidnam in Glauco filio toleravi? cuius interitus, quanquam acerbus mihi, tamen non ita dolori fuit, quam tempus illud, quo adiunctus Alexandro ad raptum Helenae comitatum sui praebuit. Sed praeteritorum saties: futuris saltem parcendum ac consulendum est. Graeci homines custodes fidei ac veritatis, principes benevolentiae atque officiorum. Testis his rebus Priamus, qui ipso strepitu discordiarum, fructum tamen misericordiae eorum tulit: neque inferendo bellum quidquam prius temeratum ab his, quam perfidiam in ipsa legatione insidiasque ab nostris experti sunt. In qua re, dico enim quod sentio, Priamus eiusque filii auctores: in his etiam Antimachus, qui recens amissis liberis iniquitatis

---

en unquam) Ita scripsi, cum in vulgatis esset *quando*, in MSS. *nunquam*. Mercer. Libri mei *nunquam*. Ed. Obr. *en unquam*. Recte. v. Gloss. Crat. *quando-emerserit?*

unquamne nobis) Libri mei, Merc. et Obr. *usquam ne* et *usquamne*. Ed. Crat. *unquam* om. *ne*. Expressae ex hac Edd. Basil. *unquamne*. Recte. Mox pro *defuere* Bern. *defluere*, et pro *imminutae* idem *immunitae*. Ed. Crat. *propinqui, parentes*. Bene.

tamen non ita) Sic S. Gall. uterque, Ed. Princ. et Merc., non *non tamen ita*. Seq. *fuit* om. Bern. et S. Gall. opp.

praeterit. saties) S. Gall. opp., Bern. et Ed. Crat. *satias*. Ed. Merc. *satis*. cf. ad III. 25. Ed. Princ. om. seq. *est*.

ipso strepitu) Ed. Crat. et Obr. *in ipso strep.* Nihil frequentius apud Romanos et ipsum nostrum omissa praepos. *in*.

temeratum) Lege *tentatum*, aut si mavis *temere actum*. Mercer. Ed. quidem Crat. *tentatum*. Sed v. Perizon. Diss. § XL. et Wopkens. p. 85. Infra S. Gall. opp., Bern. et Ed. Crat. *insidias aeque*.

in his etiam Ant.) i. e. in quorum insidiatorum numero etiam

suae poenas luit. Haec omnia in gratiam Helenae gesta, scilicet eius mulieris, quam ne Graeci quidem recipere gestiunt. Retineatur igitur in civitate ea foemina, ob quam nulla gens, nulli usquam populi amici, aut non infesti huic regno. Nonne sponte supplices, ut recipiant eam, rogabimus? non omni modo satisfaciemus laesis iam totiens per nos? non in futurum saltem reconciliabimus tales viros? Ego quidem abibo hinc iam et discedam longius, neque committam, ut ulterius intersim malis nostris. Fuit tempus, quo manere in hac civitate iucundum erat; socii, amici, propinquorum salus, patria denique incolumis attinuere in hunc diem. Contra nunc quid horum non imminutum, aut in totum sublatum nobis est? Non feram me cum his morari, quorum opera cuncta cum patria concidere. Et eos quidem, quos in bello fortuna eripuit, utcunque iam sepelivimus, concedentibus ultro veniam hostibus: sed postquam deorum arae atque delubra sanguine humano per scelus infecta sunt, hoc etiam amisimus: quippe quis maiora supplicia post mortem carissimorum, quam in ipsa amissione subeunda sunt. Quae ne accidant, nunc

---

Antimachus erat. Ed. Obr. om. *in.* At vero Antimachus non erat auctor Priamo eiusque filiis, sed Priamidae Antimacho. v. Obss. ad I. 11. Infra Bern. et Ed. Princ. *in gratia.* Libri mei *nulli usquam populi am.*, non *nulli pop. am. usquam.*

totiens) Ed. Merc. et Crat. *toties.* Usitata antiqua forma Sallustio, Tacito eorumque aemulis.

non feram me — morari) Proclivis animus est Wopkensii p. 85. delere *me.* Sed v. Gloss. In seqq. post *cuncta* ab Ed. Obr. recte abest vocula *mihi*, in cett. Edd. et libris meis inculcata.

quippe quis) Ed. Merc. et Obr. *quibus.* Libri mei ignorant seq. *ipsa.* Uterque S. Gall. et Ed. Princ. *aliis huiusmodi*, non *huiusm. al.* Ed. Princ. om. seq. *est.*

saltem providete. Auro atque aliis huiusmodi praemiis redimenda patria est. Multae in hac civitate dites domus; singuli pro facultatibus in medium consulamus. Postremo offeratur pro vita hostibus, quod mox interitu nostro ipsorum futurum est. Templorum etiam, si necesse erit, ornamentis pro incolumitate patriae utendum est. Solus suas opes intus custodiat Priamus, solus divitias, potiores civibus suis, teneat: his etiam, quae cum Helena rapta sunt, incubet, videatque, quem ad finem utendum putet patriae calamitatibus. Nos victi iam sumus malis nostris.

III. Haec atque alia cum lacrimis disserente eo, cuncti simul gemitum edunt: tendentes ad coelum manus, annuere; tot adversis rebus Priamum singuli vel inter se omnes finem miseriarum deprecantes. Ad postremum uno ore *patriam redimendam* clamant. In quis Priamus dilanians caput fletu quam miserabili, *Non solum iam se odio diis, verum suis hostem effectum:*

---

rapta sunt) S. Gall. opp., Ed. Princ. et Crat. *raptae.* quod quis correxit ob antecedens *divitias.* Vide disputata de enallage generis in Gloss. ad lib. II. 26. Mox Crat. *Ipse viderit.* Ed Princ. *in patriae calam.* bona interpretatio; sensus enim est: si patria ruinam traxerit.

III. *tend. ad coelum manus, annuere; tot adv.*) Ita locum restituit ex Ed. Med. Obrechtus, cui suffragantur S. Gall sec. IX et Ed. Crat. In cett. *abnuere tot adv.* quod et Wass. ad Sall. Iug. 71. exhibet, et defendere nititur Anna. Obrechto subscribit, explicatque locum Wopkens. p. 85.

non solum iam se odio diis, verum suis hostem eff.) Haec lectio est S. Gall. opp., Bern. (in his tamen *dis*), Ed. Crat. et Merc., eademque se manifestat in S. Gall. sec. IX. *iam se ait diversum suis.* Ed. Princ. *iam se odio diversum suis.* Derelictum se conqueritur Priamus et a diis et ab amicis. Argent. Obrechti *iam se ait hostibus odio, verum suis.* ut edidit Artopoeus, deserens hic Obrechtum, qui ex Ed. Mediol. legi vult *hostibus odiosum*, quemque sequitur

quippe cui non amicus antea, non propinquus, non denique civis inveniri posset, qui aerumnis suis ingemisceret. Namque optasse haec non nunc demum, verum vivis Alexandro atque Hectore agi coepta. Sed quoniam praeterita revocare nulli concessum est, praesentium habendam rationem curamque futuris adhibendam. Se namque omnium, quae haberet, ad redemtionem patriae potestatem dare: quam rem Antenori agendam permittere. Ceterum se, quoniam odio iam suis esset, abire e conspectu, consentientem his, quae inter se decernerent.

IV. Tum separato rege placet, uti Antenor ad Graecos redeat, exploratum voluntatem certam; adiunctusque ei, uti voluerat, Aeneas. Ita

---

Wopkens. p. 86. Atqui solet hostis hostem odio persequi; neque erat, quod hostile odium imprimis hic deploraret. De intellectu verbi *ait* alibi monuimus.

non amicus antea) Suspicatur Wopkens. *non amicus, ut antea.* Nihil tentandum in frequenti Septimio formula, de qua ago in Gloss. ad II. 20.

ingemisceret) S. Gall. sec. IX. *ingemesceret.* In seqq. pro *Namque optasse* Wopkens. coniicit *Iamque opt.* Infra Ed Merc. *revocari.*

praes. habendam rationem curamque fut. adh.) S. Gall. sec. IX. et Bern. *praes. hab. rationemque futuris adh.* Corruptum quid est in voce *rationemque.* Post *rationem* insertum in Ed. Crat. *spemque.* bene. quod ut omitteretur a librariis, ob cognationem literarum ultimarum vocis *rationem* totiusque vocabuli *spem* facile fieri potuit. Aliud tamen melius vocabulum excidisse scriptura S. Gall. opp. persuadeor ut credam. In hoc enim Cod. exaratum *praes. hab. rationem quam fut. adh.* Hinc Septimio restitui optimam formulam *curam adhibere rei*, qua utuntur Cic. Fam. II. 7. 7, Sueton. Vesp. 5. et ipse Septim. II. 10. Ad sententiam noster c. 2. *futuris parcendum ac consulendum.* Mercerus edidit *praes. hab. rationem futurisque adh.* Obrechtus *praes. hab. futurisque adh. rationem.* Tacite utrumque sic MSS. verba suo quisque ingenio transposuisse palam est. Wopkens. coniectaverat *praes. hab. rationem futurisque advigilandum*, et *futurisque adhib. curam.* hoc alterum ingeniose; quod e librorum vestigiis modo comprobavimus.

quae haberet) Cetera indirectae orationis tempora respiciens contemtui habebit Vindingii *habeat.* cf. Wopkens.

composita re disceditur. Sed media ferme nocte Helena clam ad Antenorem venit, suspicans tradi se Menelao, et ob id iram derelictae domus metuens: itaque eum orat, uti inter cetera sui quoque apud Graecos commemorationem faceret, ac pro se deprecaretur. Ceterum, ut cognitum est, post Alexandri interitum invisa ei apud Troiam fuere omnia, desideratusque ad suos reditus. At lucis initio, quibus imperatum erat, ad naves veniunt, decretum civium cunctis narrant: itaque cum quis antea ad confirmanda, quae tempus monebat, secedunt. Ibi quum multa de republica ac summa rerum dissererent, voluntatem quoque Helenae docent, veniamque orant: et ad postremum confirmant inter se proditionis pactionem. Dein ubi tempus visum est, cum Ulixe et Diomede ad Troiam veniunt, cohibito Aiace ab Aenea, scilicet ne qua insidiis opprimeretur talis vir, quem solum barbari non secus quam Achillem metuebant. Igitur postquam duces Graeci in civitate conspecti sunt, cuncti cives tollunt spe animos, existimantes finem belli atque discordiarum. Itaque propere senatus habitus, ubi nostris praesentibus decernitur, primum omnium Antimachum ex omni Phrygia exsulandum, scilicet auctorem tanti mali. Dein super conditione pacis tractari coeptum.

IV. *cum quis antea*) Ita libri, non *quibus*. Forte legendum *cum quibusdam* ait Vinding. Nihil hic movendum. Orationem recte expedit Anna: ad confirmanda ea, quae tempus monebat, secedunt cum iisdem, quibuscum antea. cf. Perizon. Diss. §. XL. Pro *secedunt* Bern. *succedunt*. Ed. Princ. *scedens*. — Ad calcem cap. Bern. *super communi conditione*.

V. Inter quae repente strepitus ex Pergamo, ubi regia Priamo erat, clamorque ingens editur. Qua re turbati, qui in consilio erant, foras prosiliunt, credentes insidias tentatas solito a regulis: itaque in templum Minervae propere concedunt. At paulo post ex his, qui ex arce descenderant, cognoscitur, Alexandri filios, quos ex Helena susceperat, casu camerae exstinctos: hique erant Bunomus, Corythus atque Idaeus. Quare consilio dilato, duces nostri ad Antenorem abeunt, ibique acceptis epulis pernoctant. Praeterea cognoscunt ab Antenore, editum quondam oraculum Troianis, maximo exitio civitati fore, si Palladium, quod in templo Minervae esset, extra moenia tolleretur. Namque id antiquissimum signum coelo sullapsum, qua tempestate Ilus, tem-

---

V. *regia Priamo*) Ita edidi ex Bern. et S. Gall. opp. In cett. *Priami*. v. Gloss. ad c. 8. Infra Bern. *turbati animi qui*.

solito) Ed. Mediol. et Crat. addunt *more*. e glossa. Lib. IV. 16. *solito ad Agam. coenatum veniunt*. cf. Obrecht. Bern. om. *solito*. Ed. Crat. om. *tentatas*. et fine sententiae adiicit *fieri*. S. Gall. opp. *ab regulis*.

Bunomus, Corythus atque Idaeus) Fert animus ex Malel. p. 140 et Cedren. p. 107. scribere *Bunimus*, vel ex Tzetz. Posth. 440 et ad Lycophr. 851. *Bunicus*. *Corythus* restitui ex S. Gall. sec IX, cum Bern., S. Gall. opp., Ed. Merc. et Obr. *Corithus*. Ed. Princ. et Crat. *Corinthus*. Malelae et Cedreno nuncupatur *Κορύθαιος*. leg. *Κόρυθος*. v. Obss. Recte porro MSS. *Idaeus*, non *Idus*, ut est in Crat. et apud Cedrenum, ubi scrib. *Ἴδαιος*.

ibique accept.) S. Gall. sec. IX et Ed. Princ. *hique*.

acceptis epulis) Scite monet Daceria, latine dici *accipi epulis*, non *accipere epulas*; eademque mente, qua docta matrona scriptum hic fuisse contendit *accepti*, Casaubonus emendat *acceptus* in his Lamprid. Sever. 61. *cibo militari accepto*. Sed utroque loco nihil mutandum esse, exemplis comprobatur Wopkensii p. 87. cf. nos ad I. 2. Gloss.

cognoscunt) Ciofan. ad Ovid. Met. XIII. 337. addit *Graeci*. Idem mox: *oraculum, Troianis maximo exitio civitatique fore, si Pall. — auferretur*. Etiam Crat. *auferretur* pro *tolleretur*.

coelo sullapsum) Egimus de hoc loco in Praefat. p. XLVII. In seqq.

plum Minervae exstruens, prope summum fastigii pervenerat: ibique inter opera, quum necdum tegumen superpositum esset, sedem sui occupavisse: idque signum ligno fabrefactum esse. Hortantibus dein nostris, uti secum ad ea omnia eniteretur, facturum se, quae cuperent, respondit. Atque his praedicit, publice se in consilio super qualitate eorum, quae postulaturi essent, exertius disserturum, scilicet ne qua suspicio sui apud barbaros oriretur. Ita composito negotio, cum luce simul Antenor ac reliqui proceres ad Priamum vadunt; nostri ad naves redeunt.

VI. Dein ubi iusta pueris facta sunt, post diem tertium Idaeus supradictos duces accitum venit: quis praesentibus Panthus ceterique, quorum consilium praevalebat, multa disserere, atque docere, *ea, quae antea gesta essent temere et inconsulta, non per se; quippe qui, contemti despectique a regulis, arbitrio alieno agerent.* Ce-

---

Bern. *summo fastigio*. Bern. et S. Gall. opp. *tegimen*. Ed. Crat. et Merc. *tegmen*.

sedem sui) Ita uterque S. Gall., Ed. Princ., Crat. et Ciofan. l. l. Recte. v. Gloss. Bern. *sedemque sui* Ed. Merc. et Obr. *sedem sibi*. Infra Bern. *emitteretur*, et *super qual. horum*.

exertius disserturum) Disputavi de hoc loco in Praefat. p. LI.

VI. *pueris*) Ed. Crat. addit *Alexandri*. Infra Bern. et Ed. Merc. *queis praes*. Bern. *ceteri quoque*. S. Gall. opp. et Crat. *ante gesta*. Ed. Merc. et Crat. *temere et inconsulte*. ut sane iungit Cic. N. Deor. I. § 61. Sed v. Gloss.

Panthus) Antea edebatur *Lampus*, ex Codd. *Lampus* Laomedontis filius nominatur IV. 22. Celebratur Lamponis (Lampo i. q. Lampus) Priamidae consilium apud Apul. de Deo Socrat. p. 161. alios (v. Intpp. ad l. Apul.). Sed de *Priamida* nostro loco cogitari nequit, ut verba oratoris manifestant. Scribi autem debere *Panthus* ex fine huius cap. liquet, ubi idem nominatur. Idem hic est Panthus, qui verba facit etiam II. 23 et 25. Tres eius orationes eiusdem sunt indolis. cf. Obss. ad II. 23.

contemti despectique) Ita omnino legendum, ut est in Ed. Merc.

terum quod arma adversus Graecos tulissent, non sponte factum: namque qui sub imperio alieno agerent, exspectandum his atque exsequendum esse nutum eius, qui teneat. Ob quae dignum esse, Graecos data venia consulere eis, qui semper auctores pacis fuerint. Ceterum a Troianis ob male consulta satis poenarum exactum. Dein multo hinc atque inde habito sermone, ad postremum de modo praemiorum agi coeptum. Tum Diomedes quinque millia talentorum auri ac totidem argenti optat: praeterea tritici centena millia: eaque per annos decem. Tum silentio habito a cunctis, Antenor, *non Graecorum more agere eos adversum se*, ait, *sed barbaro: namque quod impossibilia postularent, palam fieri, praetextu pacis bellum eos instruere: ceterum auri tantum atque argenti ne tum quidem, priusquam in auxilia conducta dilaceraretur, civitati fuisse. Quod si permanere in eadem avaritia vellent, superesse Troianis, uti clausis portis incensisque intus deorum aedificiis, ad postremum idem sibi cum patria exitium peterent.* Contra Diomedes: *Non civitatem vestram consideratum Argis venimus, verum adversum vos dimicaturi. Quocirca, sive etiam nunc*

---

et Obr., latetque in S. Gall. sec. IX et Ed. Princ. scriptura *disiectique. Contemtus et despectus* iungunt Cicero, alii. cf. Non. p. 436. Merc. Praeterea S. Gall. opp. et Ed. Princ. *ab regulis.*

eaque per annos) Ita Ed. Crat. et Obr., legitque quasi ipse ita corrigens Wopkeus. p. 88, cum in Ed. Dacer. invenisset *aeque per an.* MSS. mei et Ed. Princ. *aeque.* Orellius adnotat: „*aeque* ex correctione. Videtur fuisse *haeque* i. e. *haecque.*"

quod imposs.) Recte sic Ed. Merc. et Obr. *Quod* i. e. ex eo, quod. Libri mei *quo*, corrupte, ut centies in MSS. Ed. Crat. *Nam quum imposs.* ab interprete. Infra Bern. *civitati defuisse.* Libri mei *superesse Troiani sicuti claus.*

bellare in animo est, parati Graeci: sive, ut ais, igni dabitis Ilium, non prohibebimus: quippe Graecis, affectis iniuria, quoquo modo ulcisci hostes suos finis est. Tum Panthus in proximum diem veniam deliberandi orat. Ita nostri ad Antenorem abeunt, atque inde in aedem Minervae.

VII. Interim cognoscitur in apparatu rerum divinarum portentum ingens: nam aris composita sacrorum consueta mox subiectus ignis non comprehendere neque consumere, uti antea, sed aspernari. Qua re turbati populares, simul uti fidem nuncii noscerent, ad aram Apollinis confluunt, atque ita superpositis extorum partibus, ubi flamma admota est, repente cuncta, quae inerant, disturbata ad terram decidunt. Quo spectaculo perculsis atque attonitis omnibus, subito avis aquila stridore magno immittit sese, atque extorum partem eripit; moxque supervolans ad naves Graecorum pergit, ibique raptum omittit. Id vero barbari non iam leve aut in obscuro, sed palam perniciosum credere. Interim Diomedes cum Ulixe, dissimulantes quae gerebantur, obambulare in foro, circumspicientes laudantesque praeclara operum civitatis eius. At apud naves auspicio tali motis omnium animis, Calchas, uti bonum animum gererent, hortatur; brevi quippe dominos fore eorum, quae apud Troiam essent.

---

quoquo modo) Absunt haec verba a libris meis, Ed. Merc. et Obr. Exprimuntur in Ed. Crat., eaque restituenda Septimio censet, ex MSS. opinor, Oudend. ad Apul. de Mund. p. 342.

VII. *perculsis*) Bern. *percussus*. In seqq. Crat. om. *avis*. v. Gloss. Bern. S. Gall. opp. *non tam leve*. Crat. *praeclara opera*. v. Gloss. Libri *monitis omnium animis*.

VIII. Ceterum Hecuba re cognita placatum deos egreditur, ac praecipue Minervam atque Apollinem, quis cum dona multa, tum victimas opimas admovet: sed in adolendo quae sacra aris reddebantur, eodem modo restingui ignes ac repente interire visi. Inter quae tam solicita Cassandra, deo plena, victimas ad Hectoris tumulum transferri imperat: deos quippe aspernari iam sacrificia, indignatos ob commissum paulo ante scelus in Apollinem. Ita tauris, qui immolati erant, ad rogum Hectoris, sicuti imperabatur, apportatis, moxque igni subiecto, consumuntur cuncta. Inde, ubi iam vesperarat, domum discessum. Atque eadem nocte Antenor clam in templum Minervae venit, ubi multis precibus vi mixtis Theano, quae ei templo sacerdos erat, persuasit, uti Palladium sibi traderet: habituram namque magna eius rei praemia. Ita perfecto negotio ad nostros venit, hisque promissum offert: verum id Graeci obvolutum bene, quo ne intelligi cuiquam posset,

---

VIII. *quis*) Bern. et Ed. Merc. *queis.* Ed. Crat. *quis tum dona m. victimasque.*

ad H. tumulum transferri imperat) Heins. ad Ovid. Met. VI. 569. ex vetusto suo Cod. legit *Hectoris tumulo inferri imperat.* Ed. Merc. *Hect tumulo transferri imp.* Crat. et Barthius (ad l. 19) *ad Hect. tumulum transferri inferrique iubet.* Secutus sum consensum librorum meorum et Ed. Obr. Verbum *inferri* interpreti debetur; et ab eo profectus est dativus casus *tumulo.*

imperabatur) Crat. *imperatum est*, et infra *ubi iam vesper erat*, in quo Ed. Princ. om. *iam.* Cf. Praefat. p. XLIX.

venit, ubi) Bern., S. Gall. opp. et Ed. Princ. *venit. Ibi.* Mox Crat. *precibus mixtis.* S. Gall. opp. et Ed. Princ. *precibus inmixtis*, corrupte pro *vi mixtis.*

Theano — persuasit) Ed. Obr. *Thano — impulit.* quod a correctore profectum iudico, cui *Theano* casu tertio dici non posse videbatur: ex qua opinione fluxit etiam *Theanae — persuasit*, ut est in Ed. Crat. Eadem Crat. *quae templi sacerd.*

intelligi cuiquam) Ed. Crat. et Obr. *a quoquam.* Absque prae-

vehiculo ad tentoria Ulixi per necessarios fidosque suos remittunt. At lucis principio postquam senatus coactus et nostri ingressi sunt, Antenor, veluti iracundiam Graecorum metuens, veniam orare eorum, quae adversum eos pro patria exertius disseruisset. Dein Ulixes, *non se his moveri neque indignari, sed quod finis in tractando non adhiberetur: maxime quum opportunum ad navigandum tempus brevi praetervolet.* Tum multo invicem habito sermone, ad postremum binis millibus talentorum auri atque argenti rem decidunt: quod uti ad suos referrent, Graeci ad naves abeunt. Ibi conductis ducibus, cuncta dicta gestaque exponunt: Palladium etiam ablatum per Antenorem docent. Dein ex omnium sententia reliquus miles rem cognoscit.

IX. Ob quae placet universis, mitti Miner-

---

pos. *a* Dacer. *quoquam.* ut credideris scrip isse Septimium antique intelligi *quoiquam.* Plaut. Asin. IV. 1. 53. *quam quoiquam savium faciat palam.* et saepe Plautus *quoi* pro cui. Frequens etiam usus Dativi apud verba passiva loco Ablativi cum praepos. *a.* Quis nescit illud: *quia non intelligor ulli?* cf. ad. II. 20. IV. 6. Ita ante duos annos scripseram; iamque etiam ab Ed. Merc. et a libris, quos Orellii humanitate nactus sum, praepos. *a* abesse video, notatumque ab Orellio: „fueratne *quoiquam*?"

ad tentoria Ulixi) Ita uterque S. Gall. et Ed. Princ.: quam Genitivi formam restitui Septimio etiam c. 15 et 16. v. Gloss. Bern. *ad tent. auxiliis*, i. e. *Ulixis*, vel *Ulyssis*, ut est in Ed. Obr. et Crat. Mercerus edidit *ad tentorium Ulyssis.* Infra libri mei *veniam eorum orare*, non *ven. or. eorum.* Ed. Princ. *exercitius disseruisset.* Crat. *exercitus.* v. ad c. 5.

quod finis) Libri *quo*, corrupte, ut saepe in MSS. Infra pro *praetervolet* S. Gall. sec. IX. *p̃volet.* Al. *pervolet.* Corrupta vox ex contracta scriptura. Pro *decidunt* Bern. *decidere.*

cuncta dicta gestaque) Bern. et S. Gall. opp. *cuncta gestaque.* Ed. Merc. *cuncta gesta.* Crat. *cuncta quae gesta sunt.* Postquam videlicet librariorum incuria *dicta* excidit, editores deinceps varie locum tentarunt. De formula dixi in Praefat. p. LIV. Sequens *etiam* ignorant libri nostri.

vae donum quam honoratissimum. Tum accitus ad eam rem Helenus cuncta, quae clam se gesta erant, ac si praesens adfuisset, ordine exponit, additque, *finem iam advenisse Troianarum rerum: quippe quo maxime sustentaretur summa civitatis eius, Palladium fuisse; quo ablato exitium ingruere. Ceterum donum Minervae fatale Troianis esse, equum ligno fabrefactum, forma ingenti, cuius magnitudine muri solvendi essent, adnitente atque administro Antenore.* Dein recordatus parentem Priamum residuosque fratres, fletum edit miserabilem; consternatus per dolorem atque obstupefactus ruit. Tum Pyrrhus collectum eum refectumque animi ad se deducit, custodesque addit, veritus, ne qua per eum hostibus, quae gesta erant, patefierent. Quod ubi Helenus persensit, Pyrrhum, uti bonum animum gereret, hortatur, securum sui secretorumque: namque se cum eo etiam post patriae excidium multis tempestatibus in Graecia moraturum. Itaque ut Heleno placuerat, multa materies, quae apta huiusmodi fabricae videbatur, per Epium atque Aiacem Oilei advecta.

IX. *don. quam honorat.*) Oudend. ad Apul. Met. III. p. 181 locum ita extulit: *donum quam magnificum et honoratissimum.*

quae clam se gesta) Ed. Merc. et Ciofan. ad Ovid. Met. XIII. 337. *quae antea gesta erant.* S. Gall. opp. et Ed. Crat. *quae ante se gesta.* Ed. Princ. *quaedam se.* i. e. *quae clam se*, ut recte habetur in S. Gall. sec. IX., Bern. et Ed. Obr. Mox S. Gall. opp. *fuisset.* Ed. Crat. et Ciofan. l. l. *non secus, ac si praesens fuisset.*

summa civit.) S. Gall. opp. et Ed. Princ. *summam civ.* Crat. et Ciofan. l. l. *sustentaretur, summam civitatis Pall. fuisse.*

administro) Bern. et Ed. Crat. *ministro.* Infra Crat. et Obr. *consternatusque.* Bern. *ad se educit*, et *patefacerent.*

X. Interim firmatores pactae pacis ad Troiam eunt, decem lecti duces, Diomedes, Ulixes, Idomeneus, Aiax Telamonius, Nestor, Meriones, Thoas, Philocteta, Neoptolemus atque Eumelus. Quos ubi in foro animadvertere populares, laeti animos tollunt, finem iam aerumnarum credentes. Itaque singuli, plures, uti quisque occurrerat, benigne adeunt, salutant, atque gratulantes exosculantur. Tum Priamus pro Heleno orare Graecos, multisque adhibitis precibus commendare carissimum sibi, et inter ceteros dilectum magis propter prudentiam. Dein ubi tempus visum est, convivium publice coeptum in honore ducum adscitaeque pacis, Antenore deserviente Graecis atque omni modo benigne exhibente cuncta. At lucis initio senes omnes in aedem Minervae con-

---

X. *firmatores*) Bern. et S. Gall. opp. *firmata res*. Ed. Princ. *firmata re*.

singuli, plures) Scribendum forte ex Ed. Crat. *pluresve* Lib. II. 52. *Graeci atque Troiani, singuli pluresve, ut fors evenerat, inter se* cet.

salutant atque gratulantes exosc.) Ita Ed. Merc. et Obr. Libri mei *salutant gratulantes atque exosc.* Ed. Crat. *salutantes gratulantesque exosc.* Fuitne *salutant, gratulantur atque exosc.*? Lib. IV. 11. *exosculari gratularique.*

publice coeptum) Bern. *publice sumptum ceptum.*

in honore ducum) Vindingii correctionem *in honorem* latinitatis rationem efflagitare affirmat Wopkens. p. 90. Sed praeter libros scriptos et editos quos vidi omnes, etiam vet. Cod. Heinsii ad Phaedr. IV. 24. *in honore.* cf. Gloss.

adscitaeque pacis) Infra *adscitaeque* (sola Ed. Princ. *scitaeque*) — *amicitiae.* Ed. Artop. utroque loco *coitaeque*, ex scriniis scil. Obrechti, eiusque librorum vestigiis. Dignissimum sane Septimii aetate est particip. *coitus.* Ulpian. Dig. 17. 2. 62. *societates coitae.* ibid. 3. *societate coita.* Nerat. Dig. 12. 4. 8. *coito matrimonio.* et sic iurisconsulti alii. Attamen MSS. meorum et Merc. veterumque Edd. duobus locis proba in voce *adscitaeque* (i. e. acceptae, partae) gravissimum consensum ut relinquam, adduci nunc non possum. Praetulit *adscitaeque* etiam Wopkens. Heinsius ad Phaedr. IV. 24. ex MS. suo legebat *scitorumque pacis*, et *scitoremque-amicitiae.*

veniunt: in quis Antenor refert, missos a Graecis super conditionibus praedictae pacis decem legatos viros. Quos ubi deduci in senatum placuit, et dextrae invicem datae atque acceptae sunt, statuunt inter se, uti proximo die campi medio atque in ore omnium aras statuant, in quis fidem pacis iurisiurandi religionibus firmarent. Quis perfectis Diomedes atque Ulixes iurare occipiunt, permansuros se in eo, quod sibi cum Antenore convenisset, testesque in eam rem Iovem summum Terramque matrem, Solem, Lunam atque Oceanum fore. Dein excisis in partes duas hostiis, quae ad eam rem admotae erant, ita ut pars ad Solem, residuum ad naves spectaret, per medium transeunt. Dein Antenor in eadem verba placitum confirmat. Ita perfecto negotio ad suos quisque abeunt. Ceterum barbari Antenorem summis efferre laudibus, advenientem singuli quasi deum venerari: solum quippe omnium credere auctorem pacis eius adscitaeque cum Graecis amicitiae. Ita sopito iam exinde bello, passim, uti

---

in quis Ant.) Vindingius delet *in* praepos. Imperite: cum centies noster cum optimis quibusque scriptt. dicat in *quis*, pro: in quorum numero, inter quos.

decem legatos viros) Propositam ex libris meis et Merceri lectionem exhibent etiam Cort. ad Sall. Iug. 12. 5. et Davis. ad Caes. B. C. I. 23. Ed. Crat. et Obr. *decem lectos viros*. quod ab initio huius cap. (ubi *decem lecti duces*) nescio a quo huc translatum. Aliquoties iam monuimus, frequentem esse loquendi morem, quo duo Substantiva eodem casu iuxta ponantur, ut alterum abundare videatur. v. Gloss. ad c. 7. Infra Crat. *campi in medio*. v. Gloss. ad IV. 21. Bern. et Ed. Merc. *queis fidem*, om. *in*.

Terramque matrem) Ed. Princ. *terrae matrem*. Obr. *Terram matrem*. In seqq. pro *spectaret* Ed. Princ. *expectaret*. Pro *advenientem* Crat. *venientemque*. Pro *barbarorum socii* eadem *barbari sociique*.

quisque partium voluerat, nunc Graeci cum Troianis, rursusque hi apud naves amice agere. Interim ubi foedus intervenerat, cuncti barbarorum socii, qui bello residui erant, gratulantes interventu pacis ad suos discedunt, ne opperientes quidem praemia tantorum discriminum atque aerumnarum, scilicet veriti, ne qua pacti fides apud barbaros dissolveretur.

XI. Interim apud naves, uti Heleno placuerat, equus tabulatis exstruitur per Epium, fabricatorem eius operis: cui edito in immensum ima, quae sub pedibus erant, rotis interpositis suspenderat, scilicet quo attractu motus facilius foret: quem offerri donum Minervae maximum, omnium ore agitabatur. Ceterum apud Troiam auri atque argenti praedictum pondus per Antenorem atque Aeneam summo studio in aedem Minervae portabatur. Et Graeci, postquam auxilia sociorum dimissa cognitum est, impensius pacem atque amicitiam agitavere, nullo exinde barbarorum interfecto aut vulnerato; quo magis sine ulla discordiarum suspicione apud hostes fuere. Dein equum compactum adfabre confixumque ad muros movent, praenunciato Troianis, uti cum religione susciperent, Minervae scilicet sacrum di-

---

XI. *tabulatis*) Crat. *tabulatus.* Infra eadem *motus facilis.* Ed. Princ. *facilior.* et sic legi iubent Vindingius et Wopkensius. *Facilius* probatum dedimus in Gloss.

Min. maximum, omn.) Bern. et Ed. Merc. *Min. maxime, omn.* quod placet Perizonio Diss. XLI et Wopkensio p. 91. hac distinctione *Minervae, maxim. omn.*

cum religione) Edd. vulg. *cum summa religione.* Propria cupidine Vinding. corrigit *ut eum summa rel.* licet facile intelligatur *eum,* atque *cum* hoc nexu sit usitatissimum. cf. lib. II. 40. *cum*

catumque. Quare magna vis hominum portis egressa, summa laetitia sacrificioque donum excipit attrahitque propius moenia. Sed postquam magnitudine operis impediri per portas ingressum animadvertere, consilium destruendorum desuper murorum capiunt; neque quisquam secus prae tali studio decernebat. Ita inviolatum multis tempestatibus murorum opus, Neptunique, ut perhibebatur, atque Apollinis maxima monumenta, nullo dilectu civium manibus dissolvuntur. Sed postquam maior pars operis eius deiecta est, consulto a Graecis intercessum, confirmantibus, non se passuros intra moenia induci equum, priusquam praedictum auri atque argenti pondus susceperint. Ita intermisso opere, semirutisque moenibus, Ulixes cunctos civitatis Troianae artifices

---

summa gloria. Sed MSS. et Ed. Princ. ignorant *summa*; ut *cum religione* dicatur, ut infra *cum ioco*. IV. 6 *cum quiete*, et alia multa. v. Gloss. ad I. 2. Ab. Ed. Princ. abest etiam *uti*.

perhibebatur) Burmann. ad Ovid. Met. X. 324. *perhibent*. Ed. Princ. *perhibetur*. De Imperfecto dixi ad III. 20. in Gloss. Mox Ed. Princ. *monimenta*.

nullo dilectu) Med. *nullo delicto*. Al. *multo dilectu*. Inferius (c. 12.): *sine ullo aetatis atque honoris dilectu*. et (c. 14.): *nullo dilectu virorum fortium*. Obrecht. Libri mei et Merc. *multo dilectu* quod Anna explicat: studiose, *φιλοφρόνως*. Dicit Septimius *aratus* pro aratione, et alia id genus permulta, ut in Praefat. p. XXXIX. docuimus. Attamen tolerari nequit inauditum nomen *dilectus* notione delectationis, laetitiae. Recte accedunt Obrechto Burmann. ad Ovid. Met. X. 324. et Wopkens. Nam *nullo dilectu* aliquoties dixit Septimius cum optimis scriptoribus: atque *nullo* et *multo* saepe in MSS. confundi, passim animadvertere viri docti.

operis eius deiecta) Ed. Princ. et Obr. om. *eius*. Bern. *devecta*. Infra libri mei et Merc. *intra moenia induci*, non *duci*. S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Obr. *susceperint*, non *susciperent*.

semirutisque moenibus) Libri scripti et editi multi *semiruptisque*. quod corruptum esse compertum habeo. Apul. Flor. p. 50. *semiruta moenium*. ubi MS. *semirupta*. Met. IX. p. 599. *semiruta vestigia*. ubi permulti MSS. *semirupta*. et sic in MSS. aliorum quoque scriptorum illa vox corrumpitur. Servata vera scriptura est in utro-

ad reficiendas naves conducit. Composita dein universa classe, ubi cuncta navigia instructa, et praemium persolutum est, iubent nostri peragere incoepta. Itaque destructa murorum parte, cum ioco lasciviaque induxere equum, feminis inter se atque viris certatim attrahere festinantibus.

XII. Interim Graeci, ubi cuncta navibus imposita sunt, incensis omnium tabernaculis ad Sigeum secedunt, ibique noctem opperiuntur. Fessis deinde multo vino atque somno barbaris, quae utraque per laetitiam securitatemque pacis intervenerant, multo silentio ad civitatem navigant, servantes signum, quod igni elato Sinon, ad eam rem clam positus, sustulerat: moxque omnes post-

---

que S. Gall. MS., Argent. Obrechti, atque in Cod. Heinsii apud Burmann. ad Virgil. Aen. II. 234. Phrasis *semiruta moenia* frequens est Livio, Sallustio, Tacito, Apuleio, aliis. v. Freinshem. in Ind. ad Flor.

cuncta navigia instructa) Ed. Obr. *navigio*, i. e. ad navigationem. cf. Praefat. p. XXXIII sq. Sed *navigia* tenent libri mei et Merceri, nec non Gronovius Obss. Eccles. c. 25., cui Vossii Cod. in manibus fuit. Quae ob sententiarum seriem melior lectio est. Nam *composita universa classe* est: navibus ordine positis; ut II. 12. *naves in ordinem compositae.* Tum *navigia instructa* est: remigibus reliquisque nauticis instrumentis completa; ut loquitur Sept. c. 17. Initio denique seq. cap., ubi *cuncta navibus composita*, ceterae res necessariae intelligendae sunt. Nostrum quoque loc. respiciens, Gronov. Obss. Eccles. c. 21. docet, *navigium* pro quavis etiam magna navi, sequioris esse latinitatis.

iubent nostri) Ita praeter libros meos et Ed. Obr. etiam MSS. Oudendorpii ad Sueton. Vesp. 23. Al. *nostris*. contra iustum rerum ordinem. Infra S. Gall. opp. *ioco*, om. *cum*.

XII. *incens. om. tabernaculis*) Crat. *incensis omnibus ad Sig.* Wass. ad Sall. Iug. 110. legit *hibernaculis*. At lib. II. 45. *in suis quisque tabernaculis requiescentes.* Mox S. Gall. uterque et Ed. Princ. *Sigeum*. Recte. Graec. *Σίγειον*. Al. *Sigaeum.* S. Gall. opp. *silentio adnavigant*, om. *civitatem*.

ad eam rem clam positus) Vellem rationes exposuisset Wopk. p. 92. cur hoc minus congruum videri dicat, malitque *ad eam rem compositus* *Positus* i. e. constitutus, destinatus. Pro *sustulerat* S. Gall. opp. *sustulat*. Ed. Crat. *tulerat*.

quam intravere moenia, divisis inter se civitatis locis, ubi signum datum est, magna vi caedere eos, quos fors obiecerat, atque obtruncare passim per domos atque vias, loca sacra profanaque, et si qui persenserant, priusquam armare se, aut aliud pro salute capere quirent, opprimere: prorsus nulla requies stragis atque funerum, quum palam et in ore suorum liberi, parentesque magno inspectantium gemitu necarentur, moxque ipsi, qui spectaculo carissimorum corporum interfuerant, miserandum in modum interirent. Neque segnius per totam urbem incendiis gestum, positis prius defensoribus ad domum Aeneae atque Antenoris. Interim Priamus re cognita ad aram Iovis anteaedificialis confugit, multique ex eo loco ad reli-

---

ubi signum datum est, magna vi caedere) Ed. Obr. *ubi signum datum agnovere, caedere.* Alterum ex altero corruptum vides. Secutus sum librorum meorum et Merceri consensum. Possis tamen delere *est*, quod etiam Ed. Crat. ignorat. Cf. lib. IV. 17. *magna vi decertantes.* 20. *magna vi irruunt.* V. 14. *summa vi contendere.* Mox. Bern., Ed. Crat. et Merc. *sors.* v. Gloss.

aliud pro salute capere) Vitiatum aliquid in his esse ratus Wopkensius coniectat *capessere.* Sed quid, precor, ita sanatur? Melius in praeced. coniecisset *priusquam arma aut aliud.* Sed proba sunt omnia. *Aliud* i. e. aliud quid, scil. praeter solita arma. Quippe *armorum* notio ex verbo *armare* huc traiicienda; plane ut lib. II. 40. ad verba *ad cavendum paratus* ex praeced. *iaculatur* intelligi debet nomen *iaculum.* Offenderat etiam in loco, a quo in Ed. Crat. est *priusquam armari aut aliquid pro salute caperent.* — Infra Bern. et S. Gall. opp. omittunt verba: *inspectantium gemitu necarentur, moxque ipsi qui.*

carissimorum corporum) Non erat, quod Wopkensius ob vocem *corporum* tot coniecturis mentem suam discruciaret. Melius exstirpasset, cum absit etiam ab Ed. Princ., Crat. et Obr. Sed *carissima corpora* dicitur, qua ratione Ovid. Met. III. 58. *fidissima corpora.* Virgil. Aen. IX. 272. *lectissima matrum corpora.* et alii alia. Ipse Wopk. affert Virgil. Aen. II. 364. *inertia corpora.*

anteaedificiális) Disputavi de hoc loco in Praefat. p. XL. Infra Bern., S. Gall. opp., Ed. Crat. et Merc. om. *in quis.* Ed Princ. om. *in.*

qua deorum templa: in quis Cassandra in aedem Minervae. Sed postquam universos, qui in manus venerant, foede atque inultos obtruncavere, occipiente luce domum, in qua Helena erat, aggrediuntur. Ibi Menelaus Deiphobum, quem post Alexandri interitum Helenae matrimonium intercepisse supra docuimus, exsectis primo auribus, brachiisque ablatis, deinde naribus, ad postremum truncatum omni ex parte foedatumque, summo cruciatu necat. Dein Priamum Neoptolemus, sine ullo aetatis atque honoris dilectu, retinentem utraque manu, ad aram iugulat. Ceterum Cassandram Oilei Aiax e sacro Minervae captivam abstrahit.

XIII. Hoc modo consumtis cum civitate barbaris, deliberatio inita super his, qui ab deorum aris auxilium vitae imploraverant; decretumque ab omnibus, uti per vim avulsi necarentur: tantus dolor iniuriae, et ob id studium exstinguendi Troiani nominis incesserat. Ita comprehensi, qui cruciatum praedictae mortis subterfugerant, trepidantes ac vice pecorum interficiuntur. Dein more belli per templa ac semiustas domos populatio rerum omnium, et per dies plurimos, ne quis hostium evaderet, studium inquirendi. In-

---

retin. ut. manu, ad aram iug.) Hanc MSS. Merceri meorumque S. Gall. opp. et Bern., ut et Ed. Crat. lectionem explicuimus in Gloss. ad lib. II. 26. Abest praepos. *ad* a S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Obr., deletque eam Vindingius. Animus aliquando fuerat corrigendi *renitêntem ut. manu, ad aram iug.*, vel *se tenentem ut. m. ad aram, iugulat.* — Infra libri nostri *Oilei Aiax*, non *Ai. Oil.*

XIII. *ab deorum aris*) Ed. Crat. *ad deorum aras.* et mox Merc. *imploraverunt.*

studium inquirendi) Ut supra *studium exstinguendi.* Bern., S.

terim ad coacervandum auri atque argenti materiam opportuna loca destinantur, et alia ob pretiosam vestem. Igitur ubi saties Troiani sanguinis tenuit, et urbs incendiis complanata est, initium solvendae per praedam militiae capiunt, primo a captivis feminis puerisque adhuc imbellibus. Itaque ex his prima omnium Helena sine sorte Menelao conceditur: dein Polyxena, suadente Ulixe, per Neoptolemum Achilli inferias missa: Agamemnoni Cassandra datur, postquam forma eius captus, quin palam desiderium fateretur, dissimulare nequiverat: Aethram et Clymenam Demophoon atque Acamas habuere: reliquarum sors agi coepta, atque ita Neoptolemo Andromache (adiunctis, postquam id evenerat, filiis eius in honorem tanti ducis), Ulixi Hecuba obvenere.

Gall. opp. et Ed. Princ. *in requirendo.* quae consideranda lectio est, si non recipienda.

ad coacervandum — materiam) Ed. Obr. et Oudend. ad Apul. Met. X. p. 708. *materiem.* S. Gall. sec. IX., Ed. Princ. et MSS. Voss. et Periz. apud. Oudend. *coacervandam.* v. Gloss. In seqq. Vindingius corrigit *ad pretiosam vestem.* Perperam, ut vidit Wopkens. p. 93. cf. Gloss. Propter verba *ob pret. vest.* Wopkensius concinnius putat *ob coacerv. mat.* et sic exhibet Oudend. Sed haud infrequens apud Latinos similis orationis variatio. Praeterea Bern. et Ed. Merc. *ad coac. — mat. alii ad opp. loc. dest., et alii ob pr. vest.*

saties) Ita S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Obr., non *satias.* v. ad III. 25. Mox S. Gall. opp. *urbsque.*

Aethram) Ita libri, non *Aetram.* Mox recte S. Gall. sec. IX, Ed. Merc. et Obr. *Demophoon*, non *Demophon.* Nomen *Acamas* in libris corrumpitur in *Athamas* et *Achamas.* cf. ad. I. 14.

reliquarum) Sic legendum censet Anna, estque in utroque S. Gall. et Ed. Obr., non *reliquorum.* De feminis sermo est; ut de viris lib. III. 16. *reliquorum sors agi coepta.*

atque ita N.) Bern. *atque a N.* Ed. Crat. et Merc. om. *ita.* v. ad I. 15. Mox MSS. mei et Ed. Princ. *Andromache*, non *Andromacha.* Lib. VI. 2. *Aegiale.*

evenerat) Bern. *venerat.* In Ed. Crat. exhibetur locus ita: *Andromacha evenerat, adiunctis etiam eius filiis in hon. t. ducis. Ulyssi Hecuba obvenit.*

Hactenus nobilium foeminarum cessere servitia. Alii, ut quemque sors contigerat, praedam, aut ex captivis, quantum pro merito distribuebatur, habuere.

XIV. Interim super Palladio ingens certamen inter se ducibus exortum, Aiace Telamonis expostulante in munus sibi pro his, quae in singulos universosque virtute atque industria sua contulerat. Quare coacti paene omnes, simul uti ne laederetur animus tanti viri, cuius praeclara facinora vigiliasque pro exercitu in animo retinebant, concedunt Aiaci, renitentibus solis omnium Diomede atque Ulixe: *suae quippe opera insinuantium id ablatum.* Contra Aiax affirmare, *non labore aut virtute eorum rem gestam: Antenorem namque contemplatione communis amicitiae abstulisse.* Tum Diomedes, honori eius per verecundiam concedens, a certamine destitit. Igitur Ulixes cum Aiace summa vi contendere inter se, atque invicem industriae meritis expostulare, adnitenti-

---

praedam, aut ex captivis) Dele *aut,* ait Vindingius. Nihil hic movendum esse, iam docuit Wopkens. p. 94. Sensus: rerum praeda quaesitarum partem, aut aliquam ex captivis feminis.

XIV. *Telamonis*) Ed. Crat. et Merc. *Telamonio.*

renitentibus) Ita MSS. Leidd. apud. Oudend. ad Apul. Met. III. p. 189; nec aliter Bern., S. Gall. opp. et Ed. Obr. In S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *retinentibus.* nota confusione. Ed. Crat. et Merc. *contradicentibus.* ex glossa.

insinuantium) Libri scripti et editi, nec non Oudend. ad Apul. Met. VII. p. 467 *insinuantibus.* Ed. Obr. hoc verbum ignorat. Admittit Ablativus explicationem: sua opera, semet insinuantibus sese, Palladium ablatum. Sua insinuatione Diomedes et Ulixes subierant Antenoris et per eum Theanus animum, Palladiique domini facti erant. Sed non toleranda est dura et impedita oratio. Quare emendavi *insinuantium.* cf. Gloss.

concedens) Crat. *cedens.* et interpretatione. v. Gloss. ad III. 21. Eadem mox om. *inter se.* v. Gloss. Infra Crat. et Merc. *opera sua.* Libri *experti perpessique,* non *perp. expertique.*

bus Ulixi Menelao atque Agamemnone, ob servatam paullo ante opera eius Helenam. Namque post captum Ilium Aiax recordatus eorum, quae tantis tempestatibus propter mulierem experti perpessique essent, primus omnium interfici eam iusserat: iamque approbantibus consilium Aiacis multis bonis, Menelaus, amorem coniugii etiam tunc retinens, singulos ambiendo orandoque ad postremum perfecerat, uti intercessu Ulixis Helena incolumis sibi traderetur. Itaque uti iudicio amborum merita spectantes, quis etiam nunc bellum in manibus, atque hostiles multae nationes circumstreperent, nullo dilectu virorum fortium, spretisque Aiacis tot egregiis facinoribus, ac frumenti, quod ex Thracia advexerat, per totum exercitum distributione, Ulixi Palladium tradunt.

XV. Quare cuncti duces, qui memores virtutum Aiacis nihil praeferendum ei censuerant, quique secuti gratiam Ulixi impugnaverant talem virum, studio in partes discedunt. Interim Aiax, indignatus et ob id victus dolore animi, palam

---

ambiendo) Bern. *ambiundo*. Pariter lib. III. 1. S. Gall. opp. et Ed. Princ. *feriundi*. Sed haec Sallustii imitatio optimorum MSS. auctoritate destituitur.

uti iudicio) Ed. Crat. et Obr. *veluti iud.* Explica: veluti in iudicio, coram iudices. Quid magis congruum esse potest? Attamen Wopkensio p. 94. illa verba vix ac ne vix quidem sensu hic congruo stare posse videntur; qui ideo corrigit: *Itaque in iudicio.* Nihili est etiam in seq. Wopkensii correctio *quamvis etiam nunc;* cui consimilis Ed. Crat. a scholiasta profecta lectio *quum etiam num.* Etenim *quis* est: cum iis; unde pendet Conj. *circumstreperent.* cf. ad IV. 13. Praeterea Bern. et Ed. Merc. *queis.* — Mox Ed. Princ. *exspectantes.*

spretisque) Libri nostri *preciisque.* corrupte. Mox S. Gall. opp. et Ed. Merc. om. *tot.* Pro *advenerat* S. Gall. opp. *adduxerat.* cf. ad I. 7.

XV. *gratiam Ulixi*) Ita tres MSS., non *Ulyssis.* v. ad c. 8.

victus dolore an.) Ex vet. suo Cod. Heinsius ad Virgil. Aen. I.

atque in ore omnium vindictam se sanguine eorum, a quis impugnatus esset, exacturum denunciat. Itaque ex eo Ulixes, Agamemnon ac Menelaus custodiam sui augere, et quo tutiores essent, summa ope invigilare. At ubi nox aderat, discedentes, uno ore omnes lacerare utrumque regem, neque abstinere maledictis; quippe quis magis libido desideriumque in femina, quam summa militiae potiora forent. At lucis principio Aiacem in medio exanimem offendunt: perquirentesque mortis genus, animadvertere ferro interfectum. Inde ortus per duces atque exercitum tumultus ingens, ac dein seditio brevi adulta, quum ante iam Palamedem, virum domi belloque prudentissimum, nunc Aiacem, inclytum tot egregiis pugnis, atque utrosque insidiis eorum circumventos ingemiscerent. Ob quae supradicti reges veriti, ne qua vis ab exercitu pararetur, intus clausi firmatique per necessarios manent. Interim Neoptolemus, advecta ligni materia, Aiacem cremat, reliquiasque urnae aureae conditas in

---

513. legit *ictus*. At lib. VI. 12. *victa dolore animi*. Phaedr. I. 9. 5. *magno dolore victus*. Pro *vindictam* Ed. Crat. *ultionem*. Bern. *sese sang*. Mox libri *a quis*, non *quibus*.

cust. sui augere) Ita S. Gall. sec IX, Ed. Princ. et Obr., non *agere*. Lib. II. 37. *augendae custodiae causa*. Supra MSS. *ac Menel.*, non *et*. Infra Bern. et Ed. Merc. *summa vi vigilare*: scil. *vi* corruptum est ex *in*, ut saepe in MSS. Septimii, et *ope* omissum. Pro seq. *discedentes* Crat. *descendentes*.

ante iam Palam.) Cur Vindingius *iam* deletum voluerit, scio equidem iuxta cum ignarissimis. Wopkens. p. 95. Miror, quod Vindingius non delevit etiam seq. *atque*; quod quidem primo adspectu superfluum est. Sed vide nexum sententiarum in Gloss.

domi belloque) Heins. ad Ovid. Met. XII. 185. corrigit *domique*; ut est in Ed. Crat. Sed v. ad III. 26. Infra S. Gall. sec. IX. *ingemescerent*, ut et c. 3.

urnae — conditas) Crat. *urna*, om. *aurea*. v. ad IV. 8. Bern.

Rhoeteo sepeliendas procurat, brevique tumulum exstructum consecrat in honorem tanti ducis. Quae si ante captum Ilium accidere potuissent, profecto magna ex parte promotae res hostium, ac dubitatum de summa rerum fuisset. Igitur Ulixes, veritus vim offensi exercitus, clam Ismarum aufugit: atque ita Palladium apud Diomedem manet.

XVI. Ceterum post abscessum Ulixi Hecuba, quo servitium morte solveret, multa ingerere maledicta, imprecarique infausta omina in exercitum: qua re motus miles lapidibus obrutam eam necat, sepulchrumque apud Abydum statuitur, appellatum Cynossema, ob linguae proterviam impudentemque petulantiam. Per idem tempus Cassandra, deo repleta, multa in Agamemnonem adversa

---

a m. pr. *creditas.* Infra S. Gall. sec. IX. et Bern. *Rhoeteo.* Al. *Rheteo, Retheo, Rethaeo.* Pro *Ismarum* Crat. *mari.*

XVI. *abscessum Ulixi*) Ita uterque S. Gall. v. ad c. 8. In cett. *Ulixis, Ulyssis.* Mox Crat. *morte absolveret.*

infausta omina) Ed. Merc. et Crat. *omnia.* Uterque S. Gall. et Ed. Princ. *infesta omnia.* Bern. *infesta omina.* Merito, opinor, secutus sum Ed. Obr. Sueton. Octav. 98. *Forte Puteolanum praetervehenti — fausta omina et eximias laudes congesserant.* ubi in multis MSS. *omnia.* Val. Flacc. VII. 250. *tristes thalamos, infaustaque cerno omina.* ubi vulg. *infestaque omnia.* Cf. Septim. III. 25. *infaustum omen.*

in exercitum) Ed. Princ. *exercitui.* Bene. Attamen Sulpic. H. S. I. 38. 2. *multa in domum familiamque exsecranda acciderunt.* Noster infra: *multa in Agamemnonem adversa praenunciat.* Mox separatim *qua re* legi iubet Wopkens p. 96, non *quare.* Recte. Ed. Crat. et Obr. *obrutam necat,* om. *eam.*

statuitur, appellatum) Edd. vulg. *appellaturque.* Bern. a m. pr. *appellant,* sec. *appellatum;* et sic est in utroque S. Gall. et Ed. Princ. Recte. Infra c. 17. *civitatem condit, appellatam Corcyram Melaenam.* Pro *Cynossema* S. Gall. sec. IX. *Cyndema,* opp. *hynocema.* Ed. Princ. *Cynosenia.* Bern. *Cynosema.* Mox Crat. *imprudentemque.*

repleta) S. Gall. sec. IX. a m. pr. *plena.* Pro *praenunciat* Crat. *pron.* Perpetua fere haec apud scriptores confusio est. v.

praenunciat: *insidias quippe ei ex occulto caedemque domi per suos compositam: praeterea universo exercitui profectionem ad suos incommodam exitialemque.* Inter quae Antenor cum suis Graecos orare, omitterent iras, atque urgente navigii tempore in commune consulant. Praeterea omnes duces ad se epulatum deducit: ibique singulos quam maximis donis replet. Tunc Graeci Aeneae suadent, secum uti in Graeciam naviget, ibi namque ei simile cum ceteris ducibus ius regni eandemque potestatem fore. Neoptolemus filios Hectoris Heleno concedit: praeterea reliqui duces auri atque argenti, quantum singulis visum est. Dein consilio habito decernitur, uti per triduum funus Aiacis publice susciperetur. Itaque exactis his diebus cuncti reges comam tumulo eius deponunt. Atque exin contumeliis Agamemnonem fratremque agere, eosque non Atrei, sed Plisthenidas, et ob id ignobiles appellare. Quare coacti, simul uti odium sui apud exercitum per absentiam lenire-

---

Oudendorp. ad Apul. Met. V. p. 393. Ed. Obr. et Crat. *quippe ex occ.* om. *ei.*

consulant) Crat. et Obr. *consulerent;* quod correctum ob antecedens *omitterent.* Sed v. Gloss.

ius regni eandemque pot.) Bern. *regnique eandemque.* Quae orta lectio est ex interpretatione: ius regni, regnique eandem pot.; vel: ius regni', eandemque regnandi pot.: eâque probâ, opinor. Quare secutus sum lectionem Ed. Merc. et Dacer. *Ius regni* dicit noster, ut Hegesipp. I. 14. 15. et saepius *ius regnandi* I. 13. *ius imperii.* In cett. Edd. et MSS. est *ius regnique eamdem* (*eandem*) *pot.* — Infra Ed. Merc. *Ita exactis.*

tumulo eius deponunt) Ita S. Gall. sec. IX, Ed. Princ, et Obr. Recte. Lib. IV. 21. *comas sepulchro deponit.* In cett. *apud tumulum.* Mox Ed. Princ., Merc. et Cod. Bern. *Atque exinde.*

non Atrei sed Plisthenidas) Ita scripsi auctoritate trium MSS. et Ed. Princ. *Atrei* scil. filios. Favet Ed. Crat. *non Atreum sed Plisth.* Mercerus et Obrechtus edidere *Atridas.*

tur, orant, uti sibi abire e conspectu eorum sine noxa concedant. Itaque consensu omnium primi navigant, deturbati expulsique ab ducibus. Ceterum Aiacis filii Aeantides, Glauca genitus, atque Eurysaces ex Tecmessa, Teucro traditi.

XVII. Dein Graeci veriti, ne per moram interventu hiemis, quae ingruebat, ab navigando excluderentur, deductas in mare naves remigibus reliquisque nauticis instrumentis complent: atque ita cum his, quae singuli praeda multorum annorum quaesiverant, discedunt. Aeneas apud Troiam manet: qui post Graecorum profectionem cunctos ex Dardano atque ex proxima peninsula adit, orat, uti secum Antenorem regno exagerent. Quae postquam, praeverso de se nuncio, Antenori cognita sunt, regrediens ad Troiam, imperfecto negotio aditu prohibetur. Ita coactus cum omni

---

abire e consp.) S. Gall. opp. om. *e* praepos.; et Ed. Crat. exhibet *ire — concederent.* Infra S. Gall. opp. *Tecmissa.* Ed. Princ. *Tegmissa.* Crat. *Tegmessa.* v. ad II. 18.

XVII. *interventu*) Ed. Princ. *in interv.*

Aeneas apud Troiam manet) Expleturus Daretis Phrygii historias et usque ad Ulixis mortem perducturus, post finem illius scriptoris librarius in Cod. S. Gall. sec IX. conscripsit selecta aliqua capita ex Septimii lib. V. et VI.: quae fragmenta licet trunca misere et interpolata sint, tamen conferre operae pretium habui. Initium capiunt verbis, quae huic notae praefixi; et postquam librarius supplementa sua inscripsit ITEM DE ENEA ET ANTENORE, in hunc modum exorditur: *Igitur Aeneas cum adhuc apud Troiam post profectionem maneret Graecorum, cunctos* cet. Ubique illa supplementa significo literis *Supplem.*

ex Dardano) Supplem. *ex Archadia.* Mox Crat. *adit, orans.* Sulpic. H. S. I. 44. 4. *regem adit, hortatur, ut in proelium exeat.* cf. Wopk. p. 96. Supplem. *sollicitare coepit, adit, orat.*

regno exagerent) Antiquam formam rescripsi ex S. Gall. sec. IX, et Ed. Princ. In cett. *exigerent.* Supplem. *Antenorem exuerent, et se in regnum sublimarent.* et pergitur: *At postquam de se perverso nuntio Antenor audivit, regrediens ad Troiam imperfecto negotio facile cohibetur et prohibet. Ita Aeneas coactus cum omni patrimonio a Troia navigat, venitque ad mare Atricum.*

patrimonio ab Troia navigat, devenitque ad mare Adriaticum, multas interim gentes barbaras praevectus. Ibi cum his, qui secum navigaverant, civitatem condit, appellatam Corcyram Melaenam. Ceterum apud Troiam postquam fama est, Antenorem regno potitum, cuncti, qui bello residui nocturnam civitatis cladem evaserant, ad eum confluunt, brevique ingens coalita multitudo: tantus amor erga Antenorem atque opinio sapientiae incesserat: fitque princeps amicitiae eius rex Cebrenorum Oenideus. Haec ego Gnosius Dictys, comes Idomenei, conscripsi, oratione ea, quam ma-

---

devenitque) Bern. om. *que*. Mox S. Gall. sec. IX. *Hadriaticum*. *gentes barb. praevectus*) Ita ad Caes. B. C. III. 26. (*Dyrrhachium praevehuntur*, sic MSS.) Septimii locum praeter alios adscripserat Heinsius; nec aliter esse in MSS. testatur ad Caes. loc. Oudendorpius. MSS. mei, Ed. Princ et Crat. *praeventus*, levi varietate pro *praevectus*. Supplem. *gentes praeventas*, om. *barbaras*. Ed. Merc. et Obr. *praetervectus*.

Ibi cum his — civitatem condit, appell.) Ab hac trium MSS. meorum lectione quas vidi Edd. non nisi eo differunt, quod Ed. Princ. et Crat. habeant *Ibique*, et Merc. *Ubi*. Supplem. *condidit, appellavitque eam Corc.* Magno autem lectionis discrimine Ed. Obr. *Ibique constituit his civitatem, apell.* Recte, inquies, *constituere* ponitur pro: condere, ut Tacit. Ann. II. 49, Virgil. Aen. XII. 194, Oros. I. 16. Sed suspicor equidem Obrechtum, cui liber quidam praestiterit *Ibique condit cum his* (ut exhibet etiam mea Ed. Crat.), hinc fecisse *constituit his*. quod vero rei minus accommodatum est: civitatem enim Aeneas condidit magis cum sociis, quam pro sociis. Praeterea *condere civitatem* dicit noster etiam lib. VI. 4.

Melaenam) Ita scribendum, non *Melenam*. Supplem. *Corchiram Milisiom*. Infra Supplem. *fama exiit*. Ed. Crat. *regno potiri, tum cuncti*. Supplem. *positum*. In seqq. Supplem. *breveque ingens multitudo coalita cum eo est*. et pro *incesserat* Supplem. *inerat, ut a cunctis miraretur*.

rex Cebrenorum) Ita S. Gall. sec. IX, Ed. Merc. et Obr. In cett. *Gebrenorum*, literis *C* et *G* commutatis, ut saepe in MSS. In Supplem. legitur *Gabinorum* (om. *Oenideus*); eodemque modo corrumpitur nomen apud Ios. Iscan. VI. 883. Ab Henrico Brunsvig. rex vocatur *Titides*, eius terra *Gerbendia*. v. Obss. — Abrumpitur hic in Supplem. oratio, iterumque incipit verbis *Igitur quae in bello*, om. *ea*.

xime inter tam diversa loquendi genera consequi ac comprehendere potui, litteris Punicis, ab Cadmo Danaoque traditis. Neque sit mirum cuiquam, si, quamvis Graeci omnes, diverso tamen inter se sermone agunt, quum ne nos quidem, uniu seiusdemque insulae, simili lingua sed varia permixtaque utamur. Igitur ea, quae in bello evenere Graecis ac barbaris, cuncta sciens perpessusque magna ex parte, memoriae tradidi. De Antenore eiusque regno, quae audieram, retuli. Nunc reditum nostrorum narrare iuvat.

---

memoriae tradidi) Supplem. *memoriae dedi* i. e. *memoria edidi*, ut est in tribus MSS., Ed. Merc. et Crat. Recepi lectionem Ed. Princ. et Obr. Etenim *tradidi* hic corrumpitur in *edidi*, ut lib. III. 26 *tradidisse* in *dedisse*. Lib. VI. 10. Septimius dicit *memoriae mandavi*.

De Anten.) Supplem. *Et de Ant. regnoque eius*. Infra Crat. *audivi*, et cum eadem Supplem. *narrare libet*.

DICTYS CRETENSIS

EPHEMERIDOS

BELLI TROIANI

LIBER SEXTUS.

I. Postquam impositis cunctis, quae singuli bello quaesiverant, adscendere ipsi, solutis anchoralibus navigant. Dein a puppi secundante vento, paucis diebus pervenere ad Aegaeum mare: ibi

I. *impositis cunctis, quae*) *Cunctis* restitui ex S. Gall. sec. IX, Bern. et Ed. Princ., cum absit a cett. Habetur etiam in Supplem.; ubi praeterea oratio incipit *Igitur postquam*. Lib. V. 12. *ubi cuncta navibus imposita sunt*.

ascendere ipsi) Quid magis planum, minus impeditum dari potest? *Ipsi* homines opponuntur *rebus* in naves impositis. Et tamen, quod mireris, delendum *ipsi* pronuntiat Vindingius. Perizon. Diss. §. XLI. Perizonii argumenta verbaque tacite sua fecit Wopk. p. 97. Cf. cap. 6. *classem exornat, ascenditque ipse*; ubi eadem oppositio. Praeterea MS. Perizon. *escendere*. v. ad III. 4.

bello quaesiverant) Ed. Princ. *quaesiverunt*. S. Gall. opp. *belloque siverunt* i. e. *bello quaesiverunt*. Supplem. *bello acquisiverant*. ex interpretatione. v. Gloss. ad V. 17.

solutis anch.) S. Gall. sec. IX. *soluti*. Dicit Apuleius Met. XI. p. 788. *navis absolvitur anchoralibus*; nemo contra *homines solvuntur anch.* Ed. Princ. *solutisque*. cf. Gloss.

pervenere) Supplem. *devenere*. et mox *ibi multati imbribus*.

multa imbribus ventisque et ob id saeviente mari indigna experti, passim, uti fors tulerat, dispalantur. In quis Locrorum classis, turbatis per tempestatem officiis nautarum, et inter se implicatis remigiis, ad postremum fulmine comminuta aut incensa est: et rex Locrorum Aiax, postquam natando evadere naufragium enisus est, aliique tabulis aut alio levamine fluitantes, postquam ad Euboeam devenere, Choeradibus scopulis appulsi pereunt: eos namque re cognita Nauplius, ultum

---

et ob id saeviente) Med. *et obsaeviente mari.* Obrecht. Supplem. *et ob id saevienti mari indigna ex parte perpessi vel passi, uti fors tulerat, dispalantes.* Recte se habet *fors*, ut legunt etiam Arntzen. ad Aurel. Vict. de Vir. Ill. 13. p. 99, Wopkens. p. 97. et Orellius. cf. Gloss. Antea edebatur *sors.*

in quis) Bern. et Ed. Merc. *queis.* Mox *turbatis* S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Obr., non *perturbatis*, ut est etiam in Supplem.

implicatis remigiis) MSS. et Edd. ignorant vocabulum *remigiis*, intolerandamque praebent orationem: officia inter se implicata. Restitui Septimio vocabulum ex Supplem. Sall. Hist. IV. 1. *implicitae rates ministeria prohibebant.* Coniicias hinc *navigiis.*

comminuta aut incensa) Bern. *aut incensaque.* Ed. Crat. *et incensa.* Supplem. *comminuta incensa.* Fuitne *et incensaque?* Ovid. Met. XIII. 257. *et Alastoraque.* Mox S. Gall. uterque, Ed. Princ. et Merc. *et rex*, non *ad rex.* Infra Supplem. *nisus est.*

aliique tabulis) Huic Ed. Merc. lectioni suffragantur tres MSS. et Ed. Princ., nisi quod in his post *aliique* inculcatum est *per noctem;* quae verba irrepsisse ex seqq. *per noctem igni elato* palam est. Idem additamentum est in Supplem. et Ed. Crat.; sed eo differunt, quod pro *aliique* habeant *reliqui.* Ed. Obr. *reliqui tabulis.* quod mihi placere fateor. Mutant eaedem voces lib. III. 20. — Mox Crat. *aut alio ex naufragio levamine.*

fluitantes) Supplem. *fluitante scopulis appulsi pereunt.* omissis mediis, ut et sequentibus usque ad cap. 2.

postquam ad Euboeam) Ed. Crat. et Obr. *ubi ad Eub.* Vindingius ait: dele *postquam*, ut et supra *est.* Nihil delendum. Sententia sic expedienda est. Aiax cum Locris, postquam ad Euboeam devenere, pereunt: et quidem Aiax, postquam natando naufragium evadere enisus est; alii, postquam tabulis aut alio levamine iactati fuere. De coniunctionibus *postquam* — *postquam* se excipientibus dico in Gloss.

ultum ire) MSS. et Edd. (praeter Obr.) hic et cap. 7. *ultum iri.* Lib. II. 37. tres MSS. *ultum iri*, verum Edd. *ultum ire*; et sic tribus hisce locis edidit Obrechtus, legendumque affirmat Wopkens. p. 97. Recte v. Gloss.

ire cupiens Palamedis necem, per noctem igni elato ad ea loca deflectere tanquam ad portum coegerat.

II. Per idem tempus Oeax, Nauplii filius, Palamedis frater, cognito Graecos ad suos remeare, Argos venit: ibi Aegialem atque Clytemnestram falsis nunciis adversum maritos armat, praedicto ducere eos secum ex Troia uxores, praelatas his: praeterea addere ea, quis mobile suapte natura muliebre ingenium magis adversum suos incenderetur. Itaque Aegiale advenientem Diomedem per cives aditu prohibet. Clytemnestra per Aegisthum, adulterio sibi cognitum, Agamemnonem insidiis

---

II. *Per idem tempus*) Uterque S. Gall. *Per id tempus.* Bern. et Supplem. *Naupli.* S. Gall. opp. *Aegialen*, ut c. 5. *Arenen* et *Circen.* lib. II. 5. *Astyochen.*

ducere eos secum) Ed. Merc. et Obr. om. *secum.* Supplem *dicens eos adducere secum uxores de Troia.* et pergitur: *Itaque muliebri ingenio magis adversum suos aliorum incitare animos.*

addere ea) Mercerus, qui in libris suis vidit *addidere*, ait: scripserim *addere;* et sic edidit Obrechtus. Mei quoque MSS. et Edd. vett. *addidere.* quod forte intactum relinquendum. Intellige: Oeax et Nauplius addiderunt. Etenim ex Guidone, qui in reditu Graecorum Dictyn secutus est, Henricus c. 87. fol. 156. refert: Nauplium excitasse contra maritum Clytemnestram, Oeacem Aegialen contra Diomedem. Septimius autem, qui in praecedentibus Nauplii scelus ob negligentiam praetermisit, vel in Oeacem solum contulit, quae Dictys in utrumque diviserat, hoc loco, quasi mentio Nauplii facta esset, plurali numero pergit. Eiusdem negligentiae Dictyis interpretem accusavimus lib. II. 14. Quod Ios. Iscanus lib. VI. 908. soli Oeaci scelus istud tribuit, nihil infirmat opinionem meam, cum Iscanus Septimium, non Dictyn adumbraverit. Ad Oeacem, ob fratris Palamedis mortem Graecis iratum (Eurip. Or. 432.), facinus refert etiam Hygin. fab. 117, ad Nauplium autem patrem Tzetzes ad Lycophr. 384.

mobile suapta natura) Ita Ed. Crat. et Obr., legitque ex MSS. Oudendorp. ad Apul. Met. IX. p. 642. Ed. Merc. *sua natura.* MSS. mei et Ed. Princ. *mobili suasu natura* et *naturae.* — Supra Bern. et Ed. Merc. *queis.* Infra libri *Itaque Aegiale*, non *Ita Aeg.* Supplem. *Denique Aeg.*

insidiis) Supplem. *in insidiis.* Infra Supplem. *nupta adult.* Bern. *Brevi denupta adulterio.* Pro *ex eo edit* Supplem. *ex se edi-*

capit eumque interficit: brevique denupta adultero, Erigonem ex eo edit. Interim Talthybius Orestem, Agamemnonis filium, manibus Aegisthi ereptum, Idomeneo, qui apud Corinthum agebat, tradit. Eo Diomedes expulsus regno, et Teucrus prohibitus Salamina a Telamone, scilicet quod fratrem insidiis circumventum non defendisset, conveniunt. Interim Mnestheus cum Aethra Thesei, et Clymena, filia eius, ab Atheniensibus recipitur: Demophoon atque Acamas foris manent. Ceterum ubi plures eorum, qui mare insidiasque suorum evaserant, apud Corinthum fuere, cavent,

---

dit. Tum facta nova linea pergitur: *Diomedes expulsis regno Theuchris, prohibitus Salamina. Ceterum plures eorum* cet.

Orestem) S. Gall. opp. *Oresten.* ut supra Ed. Princ. *Diomeden.* cf. ad II. 48.

Teucrus) Ita uterque S. Gall. et Ed. Princ., non *Teucer.* Pro *Salamina* Heinsius ad Ovid. Met. XII. 66. *Salamine.* v. ad I. 5. Sequens *scilicet* servant praeter MSS. meos, Ed. Princ. et Crat., etiam MSS. Oudendorpii ad Apul. Met. III. p. 227. Omittunt vocem Ed. Merc. et Obr.: cuius rei causa quaerenda est in abbreviata scriptura hac: *s.*; unde postmodum adamata hoc nexu Septimio vox facile potuit excidere.

Aethra Thesei et Clym.) Ed. Princ. *Aethra ei et Clym.* MSS. mei *Aetherasei et Cl.* Manifestum est, scriptum fuisse *Aethra Thesei* vel *Pitthei et Clym.* De Aethrae origine agit Fuchs. Quaest. p. 62. Supra Bern., S. Gall. opp. et Ed. Princ. *Menestheus.* Infra MS. Periz. a m. pr. apud Oudend. ad Apul. Met. III. p. 224. habet *recipiuntur.* de quo plurali numero v. ad I. 16. Nonnulli libri *Demophon;* atque etiam hic *Acamas* corrumpitur in *Athamas* et *Achamas.* cf. ad I. 14.

qui mare insidiasque suorum evaserant) Bern., Ed. Merc. et Obr. omissis *mare insidiasque suorum* exhibent *plures eorum qui evaserant.* ubi *evaserant* absolute positum esset; cuius locutionis me fugit exemplum. Restitui illa verba ex Supplem. et Ed. Crat. Namque in illis legitur: *qui mare insidiasque evaserant suorum, apud Corinthum consilium habuere, uti.* in Ed. Crat. *qui mare insidiasque suorum evaserant, apud Cor. fuere, consilium habent, uti.* Rectissime quod spectat ad verba *mare insidiasque suorum ev.*: quae verba a Septimio profecta esse, etiam ex MSS. vestigiis probabile est. Etenim uterque S. Gall. et Ed. Princ. *plures eorum evaserant.* omissis scilicet mediis *qui mare insidiasque suorum*, oscitantia librariorum, quorum oculi a verbo *eorum* transiluerant ad simile *suo-*

uti iuncti inter se singula aggrederentur regna, belloque aditum ad suos patefacerent. Eam rem Nestor prohibet, suadens tentandos prius civium animos: neque committendum, uti per seditionem Graecia omnis intestinis discordiis corrumperetur. Neque multo post cognoscit Diomedes, in Aetolia ab his, qui per absentiam eius regnum infestabant, Oeneum multimodis afflictari: ob quae profectus ad ea loca omnes, quos auctores iniuriae repererat, interficit: metuque omnibus circum locis iniecto, facile ab suis receptus est. Inde per omnem Graeciam fama orta, suos quisque reges accipiunt: summam in his, qui apud Troiam bellaverant, virtutem, neque in resistendo cuiusquam vires idoneas existimantes. Ita nos quoque cum Idomeneo rege Cretam, patrium solum, summa gratulatione civium remeavimus.

III. Dein ubi Orestes, transactis pueritiae annis, officia viri exsequi coepit, orat Idomeneum, uti secum ex ea insula quam plurimos mitteret:

---

rum. Sequentia in Supplem. et Ed. Crat. verba *consilium habuere* (*habent*) interpretationem continent MSS. lectionis *cavent.* v. Gloss.

Eam rem) Supplem. *Quam rem.* Ibidem *suadet* pro *suadens*, et *amicos* pro *animos;* pergiturque: *neque permittendam Graeciam utique per seditionem perire, ne forte omnes intestinis discordiis corrumperentur. Neque multo post quisque sua regna recepit. Idomeneus ad patrium solum cum summo favore remeavit, collecto numero eorum quos idoneos credidit.* Ultima verba sunt ex cap. 3, ut et statim sequentia: *Inde per omnem Argivorum populum dissensio orta est animorum* cet.

Oeneum multimodis) Bern., S. Gall. opp. et Ed. Princ. *Eneam.* S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *multis affl.* Ed. Crat. *eo nomine multis modis.* Forma *multimodis* utitur noster etiam cap. 4, eaque frequens est Terentio, Lucretio, Apulcio, aliisque. Supra S. Gall. sec, IX. om. *regnum.* Infra Bern. *reppererat.* S. Gall. opp. *repperat.*

suos quisque reges) Libri *suas quisque leges.* Supplem. *quisque sua regna recepit.* ut cap. 3. *uti regnum patrium reciperet.* Infra Crat. *vires satis idoneas.*

cupere namque se Athenas navigare. Itaque collecto numero eorum, quos idoneos credebat, Athenas venit: ab his auxilium contra Aegisthum orat. Dein ad oraculum adit, responsumque fert, *uti matrem et cum ea Aegisthum interficiat: ex quo fore, uti regnum patrium reciperet.* Huiusmodi numine armatus, cum praedicta manu ad Strophium venit: is namque, Phocensis, cuius filia in matrimonium Aegisthi denupserat, indignatus, quod spreto priore coniugio Clytemnestram superduxerit, et regem omnium Agamemnonem insidiis interfecerit, ultro ei auxilium adversum inimicissimos obtulerat. Itaque conspirato inter se, cum magna manu Mycenas veniunt: statimque, quod Aegisthus aberat, primo Clytemnestram interficiunt, multosque alios, qui resistere ausi erant: dein cognito Aegisthum adventare, insidias ponunt eumque circumveniunt. Inde per omnem Argivorum populum dissensio animorum exorta, quoad diversa inter se cupientes, ad postremum in partes discederent. Per idem tempus Mene-

---

III. *ad oraculum adit*) Crat. om. *ad.* Ed. Dac. *adiit.* v. ad I. 6.

numine armatus) Crat. *nomine.* quae frequens permutatio est. Contra Vindingium, legi iubentem *animatus*, v. Perizon. Diss. §. XL. et Wopkens. p. 98. Pro seq. *filia* Bern., S. Gall. opp. et Ed. Crat. *filiam.* Vindingii correctioni *Aegistho* refutandae sunt quae dico in Gloss. Mox S. Gall. opp. *priori coniugio.*

conspirato inter se) Ad. Phaedr. I. 2. ex MS. suo Heinsius legit *conspirati inter se;* sicque Septimii locum adscripsit etiam ad Caes. B. C. III. 46. (*milites — conspirati pila coniecerunt*), teste Oudendorpio ad Caes. loc. Cum Heinsio facit Ed. Crat. Sed v. Gloss.

quoad divers.) Ita recte Ed. Obr. In cett. ut et MSS. meis *quod*, corrupte pro *quoad*, ut persaepe in MSS. Pro *cupientes* Bern. et S. Gall. opp. *capientes.* Supplem. *quod diversa inter se sapientes.*

discederent) Supplem. *descenderint.* Dicit sane Tacit. ann. XV. 50. *in partes descendere.* sed alio sensu. Praeterea etiam lib. V. 15.

laus appulsus Cretam, cuncta super Agamemnone regnoque eius cognoscit.

IV. Interea per omnem insulam postquam cognitum, Helenam eo venisse, multi undique virili ac muliebri sexu confluunt, aventes dinoscere, cuius gratia orbis paene omnis ad bellum conspiravisset. Ibi inter cetera Menelaus profert, Teucrum, expulsum patria, civitatem apud Cyprum Salaminam nomine condidisse. Multa etiam apud Aegyptum miranda refert: et Canopi, guber-

---

in Ed. Crat. *discedentes* corrumpitur in *descendentes*; et centies haec verba mutant. — Pergitur in Supplem. *Menelaus regnum recepit. Interea per omnem insulam* cet.

IV. *cognitum Hel. eo venisse)* Ed. Princ. *Hel. convenisse*. Supplem. *cognitum est Hel. venisse*.

virili ac muliebri sexu) Libri Merceri et Obrechti *virile ac muliebre sexu*. Vindingium corrigentem *virile ac muliebre sexus* castigat Cortius ad Sall. Hist. II. p. 960. Ex centum a Gronovio ad Liv. XXVI. 47. et Oudendorpio ad Sueton. Octav. 45. congestis exemplis formulae *virile ac muliebre secus* (hanc quippe neutrius generis formam ex MSS. certatim in veteribus revocarunt viri docti) pronum esset etiam Septimio tribuere *secus*, si modo quid MSS. vestigii addiceret. Suplem. et Ed. Crat. *virilis ac muliebris sexus*, quae plurimis locis, ubi formula occurrit, obtinet in libris varietas, profecta scil. a correctoribus, qui casum patrium desiderabant. Cortius, in Merc. et Obrecht. librorum lectione acquiescens, sexto casu verba accipi debere contendit, pro: virili ac muliebri sexu. Immo vero manum Septimii fuisse *virili ac muliebri sexu* certum arbitror, ex trium MSS. meorum et Ed. Princ. gravissimo consensu; quae scriptura comprobatur etiam Pacuvii verbis a Gronovio prolatis *partum virili sexu*. cf. Hegesipp. III. 13. *pugnantibus desuper virili ac muliebri sexu*.

aventes din.) Libri *advenientes din*. corrupte pro *aventes*, plane ut lib. III. 2. Supplem. *cupientes din* Ed. Crat. *ambientes dign*. Utrumque ab interpp., qui invenerant *aventes*. — Mox Supplem. *cuius gratiae* (i. e. pulchritudinis et illecebrarum) *Helena esset, ob quam urbes paene omnes ad bellum conspirassent*. Explica simpliciter: aventes cognoscere vel videre *eam*, cuius gratia cet. Pro seq. *profert* Bern. et Ed. Merc. *perfert*. quae perpetua est varietas in MSS. Apuleii, adnotante Oudendorpio ad Met. I. p. 51.

Salaminam) S. Gall. sec. IX. *Salamina*. S. Gall. opp. *Salamiam*. cf. ad I. 5. — In Supplem. post verba supra descripta pergitur: *Per idem tempus patria expulsus apud Cyprum Salaminam condidit urbem*. Hic desinit librarius, adstruitque nihil nisi ultimam sententiam cap. 15. — Infra pro *miranda* Ed. Dacer. *miracula*.

natoris sui, qui ibi morsu serpentium interierat, exstructum magnificum monumentum. Dein ubi tempus visum est, Mycenas navigat: ibi multa adversum Orestem molitur: ad postremum multitudine popularium cohibitus, ab eo quod coeperat negotio destitit. Inde placet cunctis, Orestem super eo facinore causam dicere apud Athenienses, ubi Ariopagitarum iudicium severissimum per omnem Graeciam memorabatur: apud quos dicta causa iuvenis absolvitur. Erigona, quae ex Aegistho edita erat, ubi fratrem absolutum intelligit, victa dolore immodico, laqueo interiit. Mnestheus liberatum Orestem parricidii crimine, purgatumque more patrio cunctis remediis, quae ad oblivionem huiusmodi facinoris adhiberi solita erant, Mycenas remittit: ibique regnum ei concessum. Dein transacto tempore accitu Idomenei Cretam venit, neque multo post Menelaus: ibi multa in patruum saeva per eum ingesta, quod sibi, per

---

molitur) Ed. Obr. *molitus.* Crat. *ibique-molitus.* et Edd. Basil. ex hac expressae *molitus est.* Infra S. Gall. opp. *ab eo quo coeperat.* Pro *destitit* uterque S. Gall, et Ed. Princ. *restitit.*

Orestem) Hic et infra Bern. *Oresten.* cf. ad II. 48. Scriptio *Ariopagitarum* admittenda est, a Graeco Ἀρειοπάγος. Ed. Obr. et Dacer. *Areop.*

lib. — parricidii crim.) Ita S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Obr., non *a parricidii crim.* Cap. 15. *quod — parricidii scelere Telemachum — liberavisset.* Supra Bern. et S. Gall. opp. *Menetheus.*

ad oblivionem) Ἀμνηστίαν innuit. VINDING. Oros. II. 17. *Amnestiam vocaverunt, id est, abolitionem malorum.* Speciosa est Annae coniectura *ad ablutionem.*

multa — saeva per eam ing.) Ita Ed. Princ. et Obr. Lib. V. 16. *multa ingerere maledicta.* Plaut. Pseud. 1. 3. 125. *ingerere mala multa.* Dares c. 38. *ingerit multa mala Antenori et Aeneae* Plaut. Menaechm. V. 1. 17. *omnia mala ingerebat, quemque aspexerat.* Infra c. 5. *multa indigna expertus.* Sed S. Gall. sec. IX. *saevire per eum ing.* opp. et Bern. *sevire* i. q. *saevire.* ad quam lectionem reducenda etiam scriptura *severe*, quae deprehenditur in Ed. Crat. et

dissensionem popularium multimodis periclitanti, ipse etiam insidiatus esset. Ad postremum intercessu Idomenei uterque conciliatus sibi Lacedaemonam discedit. Ibi Menelaus, sicuti convenerat, Hermionam in matrimonium Oresti despondit.

V. Per idem tempus Ulixes Cretam appulsus est duabus Phoenicum navibus, mercedis pacto acceptis: namque suas cum sociis atque omnibus, quae ex Troia habuerat, per vim Telamonis amiserat: scilicet infesti ob illatam per eum filio necem: vix ipse liberatus industria sui. Percontantique Idomeneo, quibus ex causis in tantas miserias devenisset, erroris initium narrare occipit: *quo pacto appulsus Ismarum, multa inde per bellum quaesita praeda navigaverit: appulsusque ad Lotophagos, atque adversa fortuna usus, devenerit in Siciliam: ubi per Cyclopa et Laestrygona*

Merc. inque iis, quae has secutae sunt. Orellius suspicatur *saeva ira.* Egregie.

multimodis) Crat. *multis modis.* v. ad c. 2. Pro seq. *insidiatus* libri nostri *periclitatus.* scil. proximum *periclitanti* resonavit decepitque librarios. Infra Crat. *reconciliatus Lac.* Sequens *Lacedaemonam* debetur Ed. Crat., cum Ed. Princ. *Lacedaemonia*, cett. libri editi et scripti *Lacedaemona.* v. ad I. 5.

Hermionam) Forma *Hermiona, ae,* recte se habet hic c. 10. 12. 13 et 14. auctoritate librorum meorum et Ed. Obr. Eam agnoscunt c. 10 et 12. etiam MSS. Oudendorpii, quem pluribus vide disputantem ad Apul. Met. II. p. 97. Ubique al. *Hermione, Hermionem.*

V. *appulsus*) S. Gall. sec. IX. a m. pr. *depulsus.* Infra Bern. et S. Gall. opp. *sua cum sociis.* Ed. Crat. *sups.*

filio necem) Libri mei *filio necem Palamedi.* Imperitus scholiastes nescivit Telamonis filium fuisse *Aiacem.*

industria sui) Ita uterque S. Gall. et Ed. Princ., non *sua.* v. Gloss. ad I. 23. In iisdem, ut et Ed. Obr. mox *perconțantique*, non *percunct.* v. ad III. 9.

Ismarum) Bern., S. Gall. opp. et Ed. Princ. *Zismirnum.* Ed. Crat. *Zimarum.* ut citat etiam Chimeald. ad Malel. p. 145.

Cyclopa) Recte sic S. Gall. sec. IX. et Ed. Obr. Proxime *Laestrygona.* c. 7. *Chirona.* II. 30. *Calchanta.* III 7. *Hippodamanta.*

fratres multa indigna expertus, ad postremum ab eorum filiis, Antiphate et Polyphemo, plurimos sociorum amiserit: dein per misericordiam Polyphemi in amicitiam receptus, filiam regis Arenen, postquam Alphenoris, socii eius, amore deperibat, rapere conatus, ubi res cognita est, interventu parentis puella ablata per vim, exactus, per Aeoli insulas devenerit ad Circen, atque inde ad Calypso, utramque reginam insularum, in quis morabantur, ex quibusdam inlecebris animos hospitum ad amorem sui inlicientes: inde liberatus, pervenerit ad eum locum, in quo, exhibitis quibusdam sacris, futura defunctorum animis dinoscerentur: post quae appulsus Sirenarum scopulis, ubi per industriam liberatus sit: ad postremum inter Scyllam et Charybdim, mare saevissimum et illata sorbere solitum, plurimas navium cum sociis amiserit. Ita se cum residuis in manus Phoenicum per maria praedantium incurrisse, atque ab his per misericordiam reservatum. Igitur, uti voluerat, acceptis ab rege nostro duabus navibus, donatusque multa praeda, ad Alcinoum regem Phaeacum remittitur.

III. 20. *Laodamanta.* et alia. Al. *Cyclopam* et *Cyclopem.* Infra S. Gall. opp. *amiserint*, et *Arenem.*

Alphenoris) Ita libri nostri, non *Elpenoris*; quod quidem Homericum nomen est: sed *Alphenor* hic Ulixis socius vocatur etiam ab Henrico Brunsvig. c. 88. fol. 160. Ab aliis *Leion* nominatur. v. Obss.

ex quibusdam) Consentiunt in hanc scripturam MSS. mei et Ed. Princ., sicque auctoribus MSS. corrigit Oudendorp. ad Apul. Met. II. p. 170. quem vide. Edd. vulg. *et quibusdam.* Scribunt *Inlecebris* et mox *inlicientes* S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Obr. — In seqq. Wopkens. p. 100. vult *unde liberatus.* Ed. Crat. *dignoscerentur.* Bern. et S. Gall. opp. *Postquam appulsus.* Ed. Obr. *ibi per industriam.*

voluerat) Bern. et S. Gall. opp. *voluerit.*

remittitur) Henrici c. 88. fol. 162. verba latine sonant: „Ido-

VI. Ibi ob celebritatem nominis per multos dies benigne acceptus, cognoscit, Penelopam ab triginta illustribus viris diversis ex locis in matrimonium postulari: hique erant ab Zacyntho, Echinadibus, Leucata, Ithaca. Ob quae multis precibus persuadet regi, uti secum ad vindicandam matrimonii iniuriam navigaret. Sed postquam devenere ad eum locum, paulisper occultato Ulixe, ubi Telemachum rem, quae parabatur, edocuere, domum ad Ulixem clam veniunt: ubi multo vino atque epulis repletos iam procos ingressi interficiunt. Dein per civitatem Ulixem adventasse popularibus cognitum est: a quis benigne et cum favore exceptus, cuncta, quae domi gesta erant, cognoscit: meritos donis aut suppliciis afficit. De Penelopa eiusque pudicitia praeclara fama. Neque multo post precibus atque hortatu Ulixis Alcinoi filia Nausica Telemacho denubit. Per idem tempus Idomeneus, dux noster, apud Cretam in-

---

meneus Ulixem *rogavit, ut* ad Achtnorem (i. q. Alcinoum) *navigaret.*" Videtur igitur legendum *dimittitur*, vel etiam *demittitur*: nisi *remittitur* accipere velis pro simplici *mittitur*.

VI. *Penelopam*) Infra *Penelopâ*. Ita utroque loco praeter Ed. Merc. et Obr. itemque libros meos, etiam MSS. Oudendorpii ad Apul. Met. II. p. 97. De qua forma cf. Bentl. ad Horat. Serm. II. 5. 76. Ed. Crat. *Penelopen*. Dacer. *Penelopem* et *Penelope*.

ex locis) Bern. *in locis*. — Infra S. Gall. sec. IX. *ab Zacyntho* opp., Bern. et Ed. Princ. *ab Zachinto*. Edd. vulg. *a Zacyntho*. — *Leucata* scripsi. Bern., S. Gall. opp., Ed. Merc. et Obr. *Leucatha*; cui ex seq. *Ithaca* adhaeret litera *h*. S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *Leucada*. Ed. Crat. *Leucadia*.

Ulixem adventasse) S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *Ulixen*. quem Accusativum habet etiam Bern. lib. II. 3. 6. 33. 37. 48. Gravis quidem nostro loco utriusque libri consensus; sed uterque paulo supra *Ulixem*, ut ceteris quoque Sept. locis constanter exhibent: quare alteri scripturae parum fidei tribuerim. Codici Bern. ideo non credo, quia, aliis consentientibus, dissentit, formam contra insolentiorem agnoscit, ubi ceteri eam ignorant. cf. ad I. 9. et. II. 48.

teriit, tradito per successionem Merioni regno: et Laërta triennio postquam filius domum rediit, finem vitae fecit. Telemacho ex Nausica natum filium Ulixes Ptoliporthum appellat.

VII. Dum haec apud Ithacam aguntur, Neoptolemus apud Molossos naves quassatas tempestatibus reficit: atque inde, postquam cognitum, ab Acasto expulsum regno Pelea, ultum ire iniurias avi cupiens, primo exploratum duos quam fidissimos et incognitos illis locis, Chrysippum et Aratum, Thessaliam mittit: hique cuncta, quae gerebantur, insidiasque ei paratas per Acastum, ab Assandro, non alieno Pelei, cognoscunt. Is namque Assandrus, iniquitatem tyranni evitans, ad agrum Pelei concesserat: notusque adeo eius domus, uti inter cetera originem etiam nuptiarum Pelei cum Thetide, Chironis filia, Chrysippo atque Arato narraverit. Qua tempestate multi undique reges acciti domum Chironis, inter ipsas epulas novam nuptam magnis laudibus veluti deam celebraverant, parentem eius Chirona appellantes Nerea, ipsamque Nereidam: et ut quisque eo-

---

per successionem) Bern. *per successorem.* In seqq. Ed. Crat. *Merioni regno, et Laertae. Trienn.* Bern. et S. Gall. opp. *redit.* atque iidem et Ed. Princ. *Ptoliporbum.*

VIII. *aguntur*) Infra Ed. Obr. recte *ultum ire*, non *iri.* v. ad cap. 1. Bern. *Asandro* et *Asandrus.* Ed. Crat. *Ascandro* et *Ascandrus.*

ad agrum Pelei concesserat) Ita legit ex vet. suo Cod. Heinsius ad Ovid. Fast. I. 396, atque ego video in Ed. Crat. Ceterae Edd. ut et MSS. mei *Peleo consenserat*

adeo — uti narraverit) Legendum, nisi vehementer fallor, *notusque adeo eius domus, inter cetera — narraverat. Adeo* proinde hic denotat. Wopkens. p. 100.

cum Thetide) Bern. *cum Theti.* Infra et S. Gall. opp. *mundi undique reges.* Ed. Crat. *novis ac magnis laudibus.*

Nereidam) S. Gall. sec. IX. et Ed. Obr. *Nereida.* Quemadmo-

rum regum, qui convivio interfuerant, choro modulisque carminum praevaluerat, ita Apollinem Liberumque, ex feminis plurimas Musas cognominaverant: unde ad id tempus convivium illud deorum appellatum.

VIII. Itaque ubi cuncta, quae voluerant, cognovere, ad regem redeunt, et singula per ordinem narrant. Ob quae coactus Neoptolemus, adverso mari, et multis regionis eius prohibentibus, classem exornat adscenditque ipse. Dein saevitia hiemis multum mari fatigatus, appulsusque ad Sepiadum littus, quod propter saxorum

---

dum Dares c. 13. *Briseida, ae*, Hyginus, *Briseida, Chryseida, Tritonida*, Fulgentius *Heroida*, Martianus Capella *Titanida*, pro: Briseis, Chryseis, Tritonis cet.; ita Septimius dixit *Nereida* pro: Nereis, ut lib. I. 17. et alibi *Aulida* pro: Aulis, ubi vide quem attuli Munck. ad Hygin. — Infra Ed. Crat. *Liberumve, et ex f.* MSS. et Edd. *cognominaverunt*.

VIII. *et singula*) Bern. *ei sing.* Ed. Crat. *eique sing.* Mox S. Gall. opp. *quaeque*.

ascenditque ipse) Ed. Crat. et Merc. *ascenditque. Ipse dein*, v. ad c. 1. et Wopkens. p. 100. MS. Periz. *escenditque*. de quo ad III. 4. Infra S. Gall. sec. IX. *multum mare fat.* ubi *mare* sexto casu. Ed. Princ. *per multum mare fat.* Scil. *mare* casu sexto fuit etiam in MS., ex quo fluxit Ed. Princ.; editor autem effecit *per m. mare*. Cf. ad c. 10.

Sepiadum) *Sepia* nimirum piscis *κυφόνωτος. ἡ δὲ Σηπιὰς ἀκτὴ* Strabonis testimonio lib. IX. *πετρώδης*. Unde ratio nominis sponte se obtulit naturam rei potius quam poetarum fabulas sectanti. Sic aras, in quas Aeneae naves impactae sunt, *ἵππου νῶτα* vocatas Servius annotavit ad illa Virgilii Aen. I. *Saxa vocant Itali mediis quae in fluctibus arae Dorsum immane.* In ed. Veneta legitur *Sepianum littus.* Sed Noster *τὴν Σηπιάδα ἀκτὴν Sepiadum littus* eadem licentia transtulisse videtur, qua in aliis etiam nominibus e Graeca in Latinam terminationem convertendis usus est: nisi ipsa forte saxa, quibus Sepias asperatur, a Sepiarum similitudine Sepiades nuncupavit. Sicut Ehinades insulas aliqui dictas tradiderunt *διὰ τὸ τραχὺ τοῦ τόπου καὶ οἷον ἀκανθῶδες κατὰ τοὺς ἐχίνους*, Eustathio recensente ad Dionys. Perieg. Praecipua autem celebritas Sepiadum littori postea demum Persicae classis naufragio parta est: de quo vid. Herodot. in Polym. c. 188. et sqq. Add. Pausan. in Arcad. OBRECHTUS. *Sepianum* est etiam in Ed. Crat., quae ex Venet. expressa est.

difficultatem nomen eiusmodi quaesiverat, omnes fere naves amittit: vix ipse cum his, qui in eodem navigio fuerant, liberatus. Ibi Pelea avum reperit, ocultatum spelunca abdita et tenebrosa; ubi senex, vim atque insidias Acasti evitans, assidue, nepotis desiderio, navigantes et si qui forte eo appulsi essent, speculari consuerat. Dein ubi cuncta domus fortunarumque edoctus est, consilium aggrediendi hostes inire occipit: quum forte cognoscit, filios Acasti, Menalippum et Plisthenem, venatum profectos devenisse ad ea loca. Itaque mutata veste Iolcium simulans, iuvenibus offert sese, eisque cupitum sui interitum refert. Ob quae iunctus his in venando, ubi seorsum ab ceteris Menalippum videt, eumque et paullo post fratrem eius insecutus interficit: in quorum inquisitionem servus quidam, Cinyras nomine, perquam fidus profectus, in manus iuvenis devenit,

---

nomen eiusmodi) Bern., S. Gall. opp. et Ed. Crat. *huiusmodi*. Infra Bern. *repperit*. cf. c. 10. Ed. Crat. *abdita et latebrosa*.

et si qui forte) MSS. mei et Ed. Merc. om. *qui*. Ed. Princ. om. *qui forte*. Wopkens. p. 100. demit etiam *et*, legens *si forte*. Pro *consuerat* Crat. *consueverat*; in qua forma consentiunt libri scripti et editi cap. 15.

aggred. hostes) scil. suos; in universum dictum. Vulg. *hostis*. Infra Crat. *dein venisse ad ea loca*.

Iolcium simulans) Ita rescripsi ex Cod. Arg. ubi *locicum*, et Ed. Med. ubi *Iocum*. Nam *Locrum*, quod est in vulgatis, locum utique hic non habet, cum ad *Iolcum* haec sint gesta. Obrechtus. Nomen urbis est *Iolcus*, τὸ ἐθνικὸν *Iolcius*, et τὸ κτητικὸν *Iolciacus*. v. Bentl. ad Horat. Od. II. 13. 8, et Interpp. ad Ovid. Met. VII. 158. Libri mei *Locrum*.

offert sese) Cod. Heinsii ad Vell. Pat. II. 45. 3. *se*. Mox S. Gall. opp. *Ob quaeque vinctus his*. etiam Bern. *vinctus his*. et Ed. Merc. *cunctis his*.

in — inquisitionem — prof.) Ed. Crat. et Obr. *ad — inquis.* ut loquitur noster cap. 13 et 15. Sed ibi quoque noster forte scripsisset *in*, nisi sequens verbum cum *in* praepos. inciperet. Praeterea librorum meorum et Merceri lectio stat salva latinitate. v.

comprehensusque Acastum affore nunciat, atque ita occiditur.

IX. Itaque Neoptolemus, mutata Phrygia veste, tanquam filius Priami Mestor, qui captivus cum Pyrrho ad ea loca navigaverat, Acasto obvius venit, eique, quinam esset, indicat, et Neoptolemum in spelunca fatigatum navigio somnoque iacere. Ob quae anxius Acastus, opprimere quam inimicissimum cupiens, ad speluncam pergit, atque in ipso aditu a Thetide, quae ad ea loca inquisitum Pelea venerat, re cognita reprimitur. Dein cunctis, quae adversum domum Achillis inique et adversum fas gesserat, enumeratis increpatisque, ad postremum intercessu suo manibus iuvenis liberat: persuadens nepoti, ut ne sanguine ulterius ulcisci cuperet ea, quae antecesserant. Itaque Acastus ubi se praeter spem liberatum animadvertit, sponte et inlico cuncta regni Neoptolemo

---

Gloss. — In seq. pro *Cinyras* Bern. *Tyniras*. S. Gall. opp. *Syniras*. Ed. Crat. *Cirmas*. Pro *iuvenis* Bern. *iuveni*. Pro *occiditur* Ed. Princ. et Crat. *occidit*.

IX. *Mestor*) Ita S. Gall. sec. IX. et Ed. Obr. In celt. *Nestor*. Idem Priamides occiditur lib. II. 43. Nisi Dictyn memoria fefellerit, altero loco nomen debet esse corruptum. — Infra Ed. Crat. *atque ipso aditu*, et *ad ea ipsa loca quaesitum*.

increpatisque) S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *increpitusque*. Ed. Obr. *increpitum*. Sed Ed. Crat. *increpatus*. S. Gall. opp. et Ed. Merc. *increpatusque*: unde Daceriam legendum *increpatumque* recte censuisse dicit Wopkens. p. 101. Scripsisse tamen, adiicit Wopkensius, etiam Septimius potuit *enumeratis increpatisque*. Immo vero nihil aliud a Septimii manu profectum esse reor, nisus auctoritate Cod. Bern., qui diserte *increpatisque*. Rarum est particip. *increpatus*, atque optimis scriptoribus, quod sciam, ignarum; quare praelata ab aliis forma fuerat *increpitus*. cf. Gloss.

ut ne sang.) Cum nunc quisque tiro sciat, poni solere *ut ne*, aeque ac *quo ne* (lib. IV. 11.) pro simplici *ne* (v. Wopkens. p. 101.), tamen delendum *ut* pronuntiat Vindingius. Haeserat in his particulis etiam, a quo in Ed. Crat. profectum *ut ignosceret potius, neque sang.* — Infra pro *inlico* libri *in loco* i. e. *inlico*.

tradit. Inde iuvenis cum avo ac Thetide, reliquisque qui secum navigaverant, summam regni adeptus, in civitatem venit. Ibi a cunctis popularibus, quique iuxta inhabitantes sub imperio eius agebant, benigne et cum gratulatione exceptus, amorem sui brevi confirmat.

X. Haec ego cuncta ab Neoptolemo cognita mihi memoriae mandavi, accitus ab eo, qua tempestate Hermionam Menelai in matrimonium susceperat. Ab eo etiam de reliquiis Memnonis cognitum mihi, ut tradita ossa eius apud Rhodum his, qui cum Phalante, duce Memnonis, mari ad Troiam profecti, ductore interfecto ablataque prae-

---

cum avo ac Thetide reliquisque) Bern. *iuvenis acatide reliq.* uterque S. Gall. *cum avo achatide reliq.* Ed. Princ. *cum avo actetide reliq.* Vides recte exprimi in Ed. Crat. et Merc. *cum avo et* (leg. *ac*) *Thetide reliquisque*; atque male in Ed. Obr. verba *ac Thetide* eiecta esse. — Infra Ed. Crat. et Obr. *Ibique a cunctis.*

X. *ab Neopt.*) Ita S. Gall. sec. et Ed. Princ., non *a Neopt.*

apud Rhodum) Scripta atque edita exemplaria, quae inspexi, omnia *apud Paphum:* atque nulla mendi suspicio Septimii editores ad hunc usque diem tetigit; plenamque ista lectio fidem meruit a viris doctis, qui fabulas de Memnonis ossibus compararunt, disposuerunt atque explicarunt, ut Iacobs (*über die Gräber des Memnon u. die Inschriften an den Bildsäulen desselben; in den Denkschriften der Academie der Wissenschaften zu München* an. 1810. p. 4.), Creutzer Symb. et Mythol. Thl. I. p. 455, et alii. Atqui corruptum nomen *Paphum* esse sole lucidius erit, si qui cum istoc. cap. narrata lib. IV. 4. coniunxerit. Ibi scil. audivimus: Phalantem, cum *Rhodum* appulisset, a Phoenicibus necatum esse, eiusque milites divisa inter se praeda *per Rhodi* urbes sese distribuisse. Quid igitur potest certius esse, quam scriptoris nostri manum fuisse *apud Rhodum?* Militibus Memnonis, qui Phalante interfecto in Rhodi urbibus morabantur, tradita sunt Memnonis ossa. Huc profecta Himera, repertis acceptisque ossibus Phoenicem navigat, in eiusque regione nomine Palliochis ea sepelit.

Phalante) S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Crat. *Pallante.* S. Gall. opp. *Pallanthe.* Bern., Ed. Merc. et Obr. *Phallante.* Phalantem hic nominat Septimius, quem lib. IV. 4. *Phalam:* aeque *Dymam* vocat lib. I. 9, quem alii *Dymantem.*

mari ad Tr. prof.) Tres MSS. et Ed. Princ. *mare:* quam varietatem deprehendimus etiam cap. 8. Antiquam sexti casus formam

da, ibidem morabantur: utque Himera, quam nonnulli materno nomine Hemeram appellabant, soror Memnonis, ad investigandum cadaver fratris eo profecta, postquam reliquias reperit, et de intercepta praeda Memnonis palam ei factum est, utrumque recipere cupiens, intercessu Phoenicum, qui in eo exercitu plurimi fuerant, optionem rerum omnium ac seorsum fratris acceperit, praelataque sanguinis affectione, recepta urna Phoenicem navigaverit: delata dein ad regionem eius Palliochin nomine, sepultisque fratris reliquiis, nusquam repente comparuerit: cuius opinio exorta triplex; seu quod post occasum solis cum matre Hemera ex conspectu hominum excesserit; sive supra modum dolore affecta fraternae mortis, ultro praeceps ierit: vel ab his, qui incole-

---

mare usitatam esse docet Muretus ad Plaut. Mil. Glor. 4. 7. 26; atque eundem exitum aliorum id genus verborum ex poëtis probare haud difficile est. Praeterea libri mei et Merc. *in Troiam.* contra usum Septimii, qui centies et ubique *ad Troiam.* v. Gloss. ad I. 5.

Hemeram) Libri *Helenam.* Ed. Merc. *Hemeran.* — Infra Ed. Princ. *priusquam reliquias.* S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. *repperevit.* S. Gall. opp. *repererit,* sed sequitur *factum est.* Bern. et Edd. vulg. *repperit.* *Repperire* duplici litera *p* (poetis ob versum usitatum) habet Bern. etiam c. 2., ut Bern. et S. Gall. opp. c. 8, et passim MSS. aliorum pedestris orationis scriptorum; scil. pravo librariorum more: atque ex plurimis et optimis libris ubique viri docti restituerunt formam *reperire.* — Mox Bern. *interemta praeda.*

praelataque sang aff.) Wopkens. p. 102. tentat *praevalente.* Cum necdum novissem Wopkensii Animadvv., equidem explicaveram: praevalente in eius animo consanguinitatis sensu. cf. Gloss. ad I. 20.

Palliochin) Uterque S. Gall. et Ed. Princ. *Phalliotim.* Ed. Crat. *Phalonem.* v. Obss. Infra S. Gall. sec. IX et Ed. Princ. *reliquiis fratris.* Ed. Princ. *comparuit.* Eadem *exorta est triplex.* et Crat. *exorta tripartita est.*

matre Hemera) MSS. *Himera.* Sed supra: *materno nomine Hemera.* Mox uterque S. Gall. et Ed. Princ. *ex consp. hominis.* Bern. *ex consp. hominum.* Edd. vulg. *e consp. hominum.*

praeceps ierit) S. Gall. sec. IX, Bern. et Ed. Princ. *praecesse-*

bant, ob eripienda, quae secum habuerat, circumventa interierit. Haec de Memnone eiusque sorore comperta mihi per Neoptolemum.

XI. Post quae profectus Cretam, anno post nomine publico cum duobus aliis ad oraculum Apollinis remedium petitum venio. Namque nulla certa causa ex improviso tanta vis locustarum insulam eam invaserat, uti cuncta fructuum, quae in agris erant, corrumperentur. Itaque multis precibus suppliciisque responso editur, *divina ope animalia interitura, insulamque proventu frugum brevi redundaturam.* Dein navigare cupientes, ab his, qui apud Delphos erant, prohibemur: *importunum namque et perniciosum tempus esse.* Lycophron et Ixaeus, qui una ad oraculum venerant, contemtui habentes, escendunt navem, medioque fere

---

rit. S. Gall. opp. *processerit.* Corrupte. Oscitantium videlicet librariorum menti inhaesit praecedens *excesserit.* cf. Gloss.

XI. *Post quae prof.*) Commate post *Neoptolemum* posito sic pergitur in Ed. Merc. *postquam prof. Creta anno post nom. Postquam* est etiam in *Bern.* et Ed. Princ.: sed in iisdem *Cretam*; atque in utroque S. Gall., Ed. Crat. et Obr. *Post quae — Cretam.*

insulam eam) Lege *meam*, dicit Orellius. Bene.

responso editur) Ita libri mei et Merc., laudatque Wass. ad Sall Cat. 56. Vindingius melius arbitratur *responsum*; et sic est in Ed. Crat et Obr. Dignissima Septimio locutio *responso editur;* quam non plane damnandam putat Wopkens. p. 102. cf. Gloss. Ablativi praecedentes *multis precibus suppliciisque* (i. e. post preces suppliciaque) videntur adduxisse ad correctionem.

proventu frugum) MSS. mei *provectu.* Ed. Princ. et Merc. *profectu.* Sed Crat. et Obr., nec non MS. Periz. apud Oudend. ad Apul. Met. IV. p. 275. *proventu.* Eadem obtinet confusio in MSS. Apul l. l., Met. X. p. 728, XI. p. 795. aliisque locis, quibus *proventus* restituit post alios Oudendorp.

imp. namque) Bern. et S. Gall. opp. *importunumque et pern.* Infra S. Gall. opp. et Ed. Princ. *tempus est* et mox *Lycophoron.* Crat. *Lycophion*

escendunt navem) Ita S. Gall. sec. IX. et MS. Periz.; quo ducit etiam S. Gall. opp. scriptura *excedunt.* Bern., Ed. Princ. et vulg. *ascendunt.* Quinque locis formam *escendere* (de qua cf. Oudend.

spatio fulmine icti intereunt. Interim, uti praedictum divinitus erat, eodem ictu fulminum sedata vis mali immersaque mari, et regio omnis repleta frugibus.

XII. Per idem tempus Neoptolemus, confirmato iam cum Hermiona matrimonio, Delphos ad Apollinem gratulatum, quod in auctorem paternae caedis Alexandrum vindicatum esset, proficiscitur, relicta in domo Andromacha eiusque filio Laodamante, qui reliquus iam filiorum Hectoris superfuerat. Sed Hermiona post abscessum viri, victa dolore animi, neque pellicatum captivae patiens, parentem suum Menelaum accitum mittit: cui multa conquesta super iniuria praelatae sibi a viro captivae mulieris, persuadet, uti filium Hectoris necet. Ceterum Andromacha, re cognita, instantis periculi vim subterfugit, auxilio popularium liberata: qui miserati fortunas eius, ultro Menelaum contumeliis prosecuti, vix a pernicie viri retenti sunt.

XIII. Interim Orestes adveniens rem cunctam cognoscit: hortatur Menelaum, ut incoepta perageret: ipse dolens praereptum sibi a Neopto-

---

ad Caes. B. G. VII. 46.) ex MS. Septimio restitui volebat Perizonius, ut ad lib III. 4. adnotavimus; sed hoc unico loco MSS. mei suffragantur. — Praeterea Ed. Princ. *navim*. Infra pro *fulmine* et *fulminum* S. Gall. opp. *flumine, fluminum*

XII. *reliquus*) MSS. et Edd. (praeter Obr.) *reliquis* i. e. qui ceteris superstes erat. Verum Ed. Obr. *reliquus*. quod magis placet, licet insolens sit formula *reliquum superesse*. cf. Gloss. Supra Bern., S. Gall. opp. et Ed. Crat. *Laodamanta*. Infra pro *patiens* Bern. et S. Gall. opp. *cupiens*. Ed. Princ. *capiens*.

instantis) MSS. *instans*. Ad finem cap. Ed. Princ. *contenti sunt*.

XIII. *ut incoepta*) Libri *ut incepta*. Ed. Merc. et Obr. *uti coepta*. Crat. *uti incoepta*. Mox Ed. Obr. *ipseque dolens*.

lemo Hermionae matrimonium, insidias advenienti parare occipit. Itaque primo ex his, quos secum habebat quam fidissimos, speculatum de adventu Neoptolemi Delphos mittit. Quis cognitis Menelaus, vitare huiuscemodi facinus cupiens, Spartam concedit. Sed illi, qui praemissi erant, regressi Neoptolemum Delphis esse negant. Quare coactus Orestes ipse ad inquisitionem viri profectus, alio quam ierat die remeat, ut sermo hominum ferebatur, negotio perfecto. Dein post paucos dies fama perfertur, interisse Neoptolemum: eumque sermone omnium circumventum insidiis Orestis, per populum disseminatur. Ita iuvenis, ubi de Pyrrho palam est, recepta Hermiona, quae sibi antea desponsata erat, Mycenas discedit. Interim Peleus cum Thetide, cognito nepotis interitu, ad investigationem eius profecti, cognoscunt iuvenem Delphis sepultum. Ibi, ut mos erat, iusta persolvunt: cognoscuntque in his locis interisse, ubi visus Orestes negabatur. Ea res per populum haud credita; adeo praesumta ante iam opinio de Orestis insidiis cunctorum animis inhaeserat.

Quis cognitis) Bern. et Ed. Merc. *Queis.* Mox S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Obr. *huiuscemodi*, non *huiusmodi.* Sequens *profectus* Vindingius corrigit in *proficisci.*

alio quam ierat die) Ed. Merc. et Obr. *prof., qua ierat die, rem.* Sed Bern. *alio qua ierat.* S. Gall. opp. et Ed. Crat. *alio quo ierat.* Edita denique a me lectio debetur MS. S. Gall. sec. IX. et Ed. Princ. Intell. alterum, posterum diem.

ut sermo h. ferebatur) Non potest mihi persuadere Perizonius Diss. §. XXXIX. hic legam vel *ferebat,* vel *sermone.* Nam ut noster *sermo fertur* i. e. circumfertur, sic simititer Liv. XXVII. 34. *quum fama eius ageretur.* ubi v. Gronov. Cf. Wopkens. p. 102. — Mox Crat. *imperfecto.*

desponsata) Sic scripsi praeeunte Ed. Princ. Vid. ad I. 10. Antea *desponsa.*

Ceterum Thetis ubi Hermionam Oresti iunctam videt, Andromacham partu gravidam ex Neoptolemo Molossos mittit, dolum Orestis eiusque coniugis insidias de interimendo foetu evitans.

XIV. Per idem tempus Ulixes, territus crebris auguriis somniisque adversis, omnes undique regionis eius interpretandi somnia peritissimos conducit: hisque refert inter cetera, *visum sibi saepius simulacrum quoddam, inter humanum divinumque vultum formae perlaudabilis, ex eodem loco repente edi: quod complecti summo desiderio cupienti sibi, porrigentique manus, responsum ab eo humana voce, sceleratam huiusmodi coniunctionem, quippe eiusdem sanguinis atque originis: namque ex eo alterum alterius opera interiturum. Dein versanti sibi vehementius, cupientique causam eius rei perdiscere, signum quoddam mari editum intervenire visum: idque secundum imperium eius in se iactum, utrumque diiunxisse.* Quam rem cun-

---

Mol. mittit, dolum Orestis e. con. ins. de int. f. evitans) Haec lectio est Ed. Princ., quacum convenit S. Gall. sec. IX, nisi quod pro *Orestis* habeat *Orestae*: quem Genitivum libenter reciperem, motus disputatis Heinsio ad Ovid. Her. VIII. 9, nisi idem MS. cum ceteris ubique constanter retinerent Genit. *Orestis*. Convenit etiam Ed. Obr.; nisi quod in hac pro *evitans* sit *verita*. At c. 8. *insidias evitans*. cf. Gloss. ad c. 7. In cett. libris multa cum varietate legitur *Mol. mittit domum, Orestem eiusque coniugem de interimendo foetu evitans*.

XIV. *peritissimos*) Crat. addit. *atque solertissimos*. In seqq. Ed. Merc. et Obr. *perlaudibilis*. Pro *namque ex eo* Wopkens. p. 103. vult *atque ex eo*. Pro *versanti* Crat *percontanti*. ex mala glossa. Pro *intervenire* Ed. Princ. *intervenisse*.

diiunxisse) S. Gall. opp. *diu nixisse* i. e. *diiunxisse*, ut diserte legitur in S. Gall. sec. IX et Ed. Princ., editumque volui. Quam formam passim ex optimis et antiquissimis libris restituerunt scriptoribus viri docti. Bern. et vulg. *disiunxisse*. — Infra S. Gall. opp. et Ed. Princ. *exitialem ei pronunciant*.

cti, qui aderant, uno ore exitialem pronunciant, adduntque, caveret ab insidiis filii. Quo casu suspectus parentis animo Telemachus agris, qui in Cephalenia erant, relegatur, additis ei quam fidissimis custodibus: praeterea Ulixes, secedens in alia loca abdita semotaque, quantum poterat, somniorum vim evitare nitebatur.

XV. Per idem tempus Telegonus, quem Circe editum ex Ulixe apud Aeaeam insulam educaverat, ubi adolevit, ad inquisitionem patris profectus, Ithacam venit, gerens manibus quoddam hastile, cui summitas marinae turturis osse armabatur: scilicet insigne insulae eius, in qua genitus erat: dein edoctus, ubi Ulixes ageret, ad eum venit. Ibi per custodes agri patrio aditu prohibitus, ubi vehementius perstat, et e diverso repellitur, clamare occipit, *indignum facinus*, *prohiberi se a parentis complexu.* Ita credito, Tele-

---

Quo casu susp. parentis an.) Ed. Princ. debetur haec lectio. MSS. *Casu susp. parentis* (Bern. *patris*) *animo.* Vulg. *Ita susp. patris animo. Quo casu* i. e. quo facto, qua re. — Infra Ed. Princ. *relegatus.*

semotaque) Ita S. Gall. sec. IX, Ed. Crat. et Obr. Intell. loca solitaria. Cf. lib. IV. 18. *semota ab aliis vita.* Al. *remotaque* i. e. longinqua.

XV. *Aeaeam*) Recte. v. Dacer. ad h. l. et Munck. ad Hygin. fab. 127. p. 194. Uterque S. Gall. *apud eam insulam.* Ed. Princ. *Eubeam.* — Infra libri *scilicet insigne,* non *ins. scil.* Ed. Crat. *cui quidem summitas;* et *marinae cuiusdam turturis;* et *in qua ipse gen.;* et *pater Ulysses;* et *tandem ad eum venit. Ibique.* Ubique scholiastae manum agnoscis.

patrio aditu) Ita MSS. mei, Cod. Heinsii ad Ovid. Met. XII. 66, Ed Princ. et Obr., non *primo aditu.* quod placeat Wopkensio p. 103. Ed Crat. *suspectior primo aditu.* Coniicias *patris aditu,* i. e. ad patrem. Iustin. XXI. 6. *aditus regis.* Mox pro *prohibitus* Heinsius exhibet *prohibito.*

Ita credito) Ita S. Gall. sec. IX, Ed. Princ. et Obr., nec non MSS. Oudendorpii ad Apul. Met. p. 472; atque ita correxerat Vindingius. Al. *creditum.* non male, si quidem interpungis *Ita creditum,*

gonum ad inferendam vim regi adventare, acrius resistitur: nulli quippe compertum, esse alterum etiam Ulixi filium. Dein iuvenis ubi se vehementius et per vim repelli videt, dolore elatus, multos custodum interficit, aut graviter vulneratos debilitat. Quae postquam Ulixi cognita sunt, existimans iuvenem a Telemacho immissum, egressus, lanceam, quam ob tutelam sui gerere consueverat, adversum Telegonum iaculatur. Sed postquam huiusmodi ictum iuvenis casu quodam intercipit, ipse in parentem insigne iaculum emittit, infelicissimum casum vulneri contemplatus. At ubi eo ictu Ulixes concidit, gratulari cum fortuna, confiterique, optime secum actum, quod, per vim externi hominis interemtus, parricidii scelere Telemachum carissimum sibi liberavisset. Dein reliquum adhuc retentans spiritum, iuvenem percontari, *quisnam, et ex quo ortus loco,*

Telegonum — adventare: acrius resistitur: nulli quippe cet. Sed amat Septimius Ablativum huiusmodi cf. Closs. ad II, 5.

Dein iuvenis) Crat. et Obr. *At iuvenis.* In seqq. S. Gall. opp. *multos custodes.* Ed. Crat. *egressus foras.* Ed. Princ. *Sed priusquam huiusm.* corrupte, ut c. 10. Ed. Crat. *casu quodam subterfugit, ipse in praesentem ins. iac. mittit. Subterfugit* ex glossa.

infel. casum vulneri cont.) Bern. a m. pr. *casum mulieri.* sec. in margine *vulneri.* Ed. Crat. *feliciss. cas. vulnerantis.* In ceteris editis et scriptis libris nullam video varietatem. Mendum verbis inesse, sensit ille, a quo Ed. Crat. profecta lectio est; item Vindingius, qui corrigit *infel. casum vulnerati cont.* Ceteri viri docti silent. Coniecturarum, quibus in loco, proba latinitate destituto, mentem discruciavi, omnium facillima est *casum vulneris,* i. e. eventum vulneris: ad quam me evocarunt verba Sulpicii Severi Vit. Mart. 21. 4. *indicat fratribus casum mortis et vulneris,* i. e. id, quo (vel unde) acciderit mors et vulnus. cf. Oros. VII. 15. *casu morbi, quem apoplexiam Graeci vocant, suffocatus interiit,* i. e. incidente morbo, vel simpliciter morbo. Noster IV. 15. *exitus mortis,* i. e. id, unde mors evenerit, profecta sit, exierit. Amplius cogitet alius.

iuv. percontari) Ita uterque S. Gall. et Ed. Princ., non *percunctari.* cf. ad III. 9.

se, domi belloque inclytum Ulixem, Laërtae filium, interficere ausus esset. Tunc Telegonus, cognito parentem esse, utraque manu dilanians caput, fletum edit quam miserabilem, maxime discruciatus ob illatam per se patri necem. Itaque Ulixi, uti voluerat, nomen suum atque matris, insulam, in qua ortus erat, et ad postremum insigne iaculi ostendit. Ita Ulixes ubi vim ingruentium somniorum praedictumque ab interpretibus vitae exitum animo recordatus est, vulneratus ab eo, quem minime crediderat, triduo post mortem obiit, senior iam provectaeque aetatis, neque tamen invalidus virium.

---

se domi belloque) Cod. Heinsii ad Ovid. Met. XII. 185. et Ed. Merc. *qui se.* Ed. Crat. *consilio belloque.* ut Auson. Epit. Her. VII. de Antilocho: *consiliisque belloque bonus, quae copula rara.* Melior tamen glossa fuisset *pace belloque.* Heinsius corrigit *bellique.* v. ad III. 26. — Mox Crat. *Laertis.* Sed c. 6. *Laerta finem vitae fecit.* quam formam probat Heins. ad Vell. Pat. I. 9. 4. — *Tunc Telegonus* MSS. mei, non *Tum.*

insulam) Ed. Crat. et Obr. *ins. quoque.* Mox MSS. mei *ortus erat*, non *esset.*

vim ingr. somn.) Supplem. *Itaque Ulixes ubi vim ingr. som. actus praed.* Ibidem pro *animo recordatus* legitur *agnovit.*

vuln. ab eo, quem min. cred) Supplem. *ab eo vuln. quem min. credidit, obiit, iam senior.* Ad *quem crediderat* intell. se vulnerare. Pessime dictum. Scribendum fuit, ut recte vidit Wopkens. p. 103. *vulneratus ab eo, quo m. cred*, vel *vulneratus, a quo m. cred.* scil. se vulnerari. Lib. II. 15. *circumventus, a quibus minime decuerat*, scil. se circumveniri.

senior iam, profectaeque aet.) Libri mei et Merc. *senior, iam provectae aetatis.* Crat. *senior et iam provectae aetatis.* Potior mihi visa est lectio Ed. Obr., cui favent Supplem. *iam senior provectaeque aetatis.*

GLOSSARIUM SEPTIMIANUM.

GLOSSARIUM SEPTIMIANUM

AD

LIBRUM PRIMUM.

I. *ex Minoe*) Cap. 13. *Thoas ex Andraemone.* c. 14. *Thetidis ex Chirone.* et sic saepissime Septimius. Graecum hunc usum animadvertit Perizon. Diss. §. XV.

postrema sua ordinans) i. e. testamentum ordinans, ut loquuntur Seneca Benef. IV. 1, Marcianus Pandect. V. 2. 2, Marcellus ibid. V. 2. 5.; vel: voluntatem ordinans postremam, ut loquitur Ammianus Marcellin. XXI. 5. Compara ista Sall. Hist. III. 5. *At tum maxume, ut solet extremis in rebus, sibi quisque carissumum domi recordari, cunctique omnium ordinum extrema munia sequi.*

Clymenae et Nauplii) scil. filius. Frequentissimus nostro Graecismus. Cap. 14. *Achilles Pelei et Thetidos. Amphiarai Amphilochus. Poeantis Philocteta.* cet. Eodem modo *filia* intelligendum est lib. II. 5. *Astyochen enim Priami.* Cf. Perizon. l. l. Ex Livio exempla aliqua collegit Gronov. ad Liv. XXVI. 12. Adde Freinshem. et Duker. ad Flor. II. 6. 19.

Nestori denupta) *Denubere* pro simplici *nubere* Septimio cum scriptoribus posterioribus amatum. Lib. II. 17. *regi denupta.* VI. 2. *denupta adultero.* VI. 6. *Telemacho denubit.* Apul. Apol. p. 543. *eam Claro fratri tuo denupturam.* pro quo mox: *si Claro nupsisset.* Met. V. p. 351. *deo profecto denupsit.* Cf. Ernest. ad Tacit. Ann. VI. 27.

vice sua — uteretur) i. e. partes suas ageret. Alii dicunt: *vice fungi*, *vicem explere*.

Plisthenis — magis, quam) *Magis* i. q. tam. Epist. *non magis confisi ingenio*, *quam*. ubi vid. Wopkens. p. 2. qui inter alia affert Sall. Cat. 9. *Ius bonumque apud eos non legibus magis, quam natura valebat.* Adde Plin. Panegyr. c. 12. *Ferae gentes non telis magis, quam suo coelo, suo sidere armantur.*

parvis) De puerili aetate. v. Obrecht. Adde Burmann. ad Ovid. Fast. II. 385, qui affert Sept. Cf. III. 21. 23. *parvuli.*

vita functus) Eadem phrasi utuntur Capitolin. Clod. Albin. 3, Vopisc. Prob. 3, Spartian. Sever. 24. Pesc. Nig. 11, Sulpic. Sever. H. S. I. 41. 6, I. 47. 4. Apud aureae aetatis scriptores non invenio. *Vita defunctus* dicunt Ovid. Her. XIV. 125, Gell. XIII. 5, Spartian. Sever. 15.

nihil dignum ad memoriam) Phaedr. IV. 20. 3. *Quidquid putabit esse dignum memoriae.* Noster IV. 15. *dignum nihil doloris.* Graec. μηδὲν λύπης ἄξιον. Illud: μηδὲν μνήμης ἄξιον. Praepos. *ad* voci *dignus* adiungit Plautus Mil. Glor. 4. 1. 21. *Ad tuam formam illa una digna est.* sed ibi *ad* vim habet comparandi. Plane autem ut nostro loco iungit Cicero de Rep. I. *noster ille amicus dignus huic ad imitandum.* eamque constructionem agnoscit Vossius de Constr. c. 13. p. 386.

secum eos hab. — educaverat) Laudat hunc locum Cort. ad Sall. Iug. 5. *eodem cultu, quo liberos suos, domi habuit.* quae verba descripsit Hegesipp. I. 22.

singuli — quisque) Sall. Iug. 80. *quod singuli pro opibus quisque quam plurimas uxores — habent.* Sueton. Octav. 60. *et singuli in suo quisque regno Caesareas urbes condiderunt.*

inter se — transiere) intell. tempus, vitam. Insolentior ellipsis. Accusativum adiiciunt Tacit. Agric. 6. *Tribunatus annum quiete et otio transiit.* Sall. Cat. 1. *summa ope niti decet, vitam silentio ne transeant, veluti pecora.* Senec. Epist. 90. *hiemem transire.* De verbis *inter se* cf. ad V. 14.

II. *summa religione colitur*) Auct. B. Alex. 66. *tanta*

religione colitur. Val. Max. I. 8. *praecipua religione cultum erat.*

benigneque salutatos) Eadem formula c. 9. II. 50. et Cic. Phil. XIII. 2. Cf. Sept. V. 10. *benigneque adeunt, salutant.* Attende praeterea constructionem; exspectes enim: *salutati — deducuntur.*

largiter magnificeque eos habuere) Locutio Graeca, Sallustio frequens. Vid. Cort. ad Cat. 11. 5. ubi Sept. citatur. Lib. II. 47. *Astynomen liberaliter habitam cognoverat.* Liv. II. 22. *liberaliter habiti cultique in calamitate sua.* Sall. Iug. *eos — accurate et liberaliter habuit.*

quae exhibebantur — accipiebant) *Accipere quae exhibentur* hic dicitur ut lib. V. 5. *accipere epulas.* ad quem locum vid. nos et Wopk. p. 87. Adiice Sulpic. Sever. V. Mart. 10. 7. *cibum una omnes — accipiebant.* ubi ex MS. Vorstius perperam praefert *percip.* Hegesipp. V. 24. *cum ex his plerique accepto cibo alvum purgarent.* *Accipere* sic etiam pro *bibere* poni adnotat Burmann. ad Ovid. Rem. Am. 740.

cum laetitia) Lib. II. 40. *cum ira.* III. 13. *cum audacia.* V. 3. *cum lacrimis.* V. 11. *cum ioco lasciviaque.* IV. 6. *cum quiete.* II. 24. *cum amicitia.* cet. More Sallustiano. Iug. 14. *cum moerore.* Iug. 54. *cum ira.* ubi v. Cort., et ad Cat. 51. 38. Millies ita etiam Apuleius, docente Oudendorp. ad Met. II. p. 170. Cf. Sueton. Ner. 34. *cum gaudio.* Liv. 38. 18. et Plaut. Mil. Glor. 3. 1. 9. *cum cura.* Cic. Q. Fr. I. 2. 2. *cum causa.*

III. *Per idem tempus*) De hoc Septimii usu cf. Cort. ad Sall. Iug. 63. 1.

Aenea aliisque ex cons. comitibus) i. q. comitantibus. Sueton. Vitell. 15. *duobus solis comitibus — domum clam petiit.* pro quo Ner. 25. *duobus solis comitantibus.* Ablativis istiusmodi absolutis, intellecto verbo substantivo, noster abundat. Lib. II. 41. *nullo palam hoste.* 4. *strenuis adversum se ducibus.* 8. *auctoribus nuncii Scythis.* 21. *tot egregiis atque inclytis ducibus.* 48. *undique versus inimicis regionibus.* Cf. ad I. 21. not. cr. Sall. Iug. 40. *trepida iam tum civitate.* Cat. 59. *ab dextra rupe aspera.* Iug. 67. *saevissimis Numidis.* Et sic alii. — *Ex consanguinitate* i. q. ex consanguineis.

Sall. Cat. 48. *alii ex coniuratione* i. q. ex coniuratis. Cf. Cort. ad Cat. 14. 1. ubi *vicinitas* pro vicinis.

praeter ceteras) i. e prae ceteris. Loquitur ita cap. 6. 16. 20. II. 35. IV. 13. Cf. Ruhnken. ad Terent. Andr. I. 1. 31. Dictat. p. 12. Schop.

quod erat Helena — aufert) Citat Cort. ad Sall. Iug. 7. *quod erat Iugurtha manu promptus — statuit eum obiectare periculis.*

cum Helena agebant) i. e. vivebant. Sall. Iug. 108. *Ibi cum Boccho Numida quidam — agebat.* Tacit. Ann. III. 19. *homines, qui tum agebant.*

fieri amat) Quintil. IX. 3. *ex Graeco translata Sallustii plurima, quale est: vulgus amat fieri.* Respicit Sall. fragm. VI. 10. Ad Sall. Iug. 34. 1. *quae ira amat fieri*, non praeteriit Septimii locus Cortium, neque Wasseum (c. 38.).

in maius div.) Ut Liv. XXVIII. 31. *verbis in maius extollere.*

IV. 1 *Quis cognitis*) Cap. 20. *Quis cognitis Agam.* Sall. Cat. 27. Iug. 105. *Quis rebus cognitis.* Contracta forma, qua nihil Septimio frequentius, aeque familiaris Sallustii exemplo est Tacito, Gellio et Apuleio, amaturque omnino recentioribus.

abstractio coni.) pro raptu. Dixi in Praefat. p. 38. et 55.

multo amplius) i. e. multo magis, plus. Cic. Verr. IV. 34. *aliquid amplius, quam ferre possent.* Sall. Iug. 111. *armis amplius valere.* 69. *spes praedae amplius, quam lassitudo posse.*

quas supra memoravimus) Memoravit mulieres cap. praecedente. Cap. 13. *post eos, quos supra memoravimus.* Memoravit cap. eodem. Cap. 18. *numerum, quem contractum supra exposuimus.* Exposuit cap. praecedente. Lib II. 14. *quem sacerdotem supra diximus.* Dixit cap. eodem. II. 49. *rex, quem supra diximus.* Dixit paucis ante lineis. Et sic saepissime noster, etiam in his Sallustii sui vestigiis insistens. Vid. Cort. ad Iug. 34. 1. Cf. nos ad II. 2.

consilio excidisse) i. e. consilii, consulendi facultatem, mentem amisisse. Apul. Met. VIII. p. 590. *mente excidisti.* IX. p. 728. *perturbatus medicus, excussusque toto consilio,*

et — spatio cogitandi privatus. Senec. Nat. Quaest. II. 27. *quo* (tonitru) *edito concidunt homines et exanimantur: quidam vero viri stupent, et in totum sibi excidunt, quos vocamus attonitos, quorum mentes sonus ille coelestis loco pepulit.*

omni instrumento compositas) Dixi de hac phrasi in Praefat. p. XL. sq.

pro tempore) Cap. 6. *pro tempore armati.* II. 3. *pro tempore cohortati suos.* IV. 5. *instructi pro tempore.* Cf. Wopk. p. 4. Notum Sallustii loquendi genus, quod et alii imitati sunt. Attulit nostrum Cort. ad Sall. Iug. 49.

in tali negotio) i. e. in tali re, hoc rerum statu. Sall. Iug. 107. *ea res, ut in tali negotio, probata.* Amat noster dicere *negotium* pro *res* cum Sallustio. Lib. III. 3. *alias de tali negotio nihil se auditurum.* et sic alibi. Cf. Cort. ad Sall. Iug. 72.

navem ascendere facit) Vulcatius Sedigitus apud Gell. XV. 24. *Post insequi Licinium facio Attilium.* et mox: *Nono loco esse facile facio Luscium.*

ad indignationem ultumque iniurias rapiebat) Uni verbo iungitur et Accus. cum praepos. et Supinum; plane ut apud Liv. XXXV. 33. *quo arcesseretur Antiochus ad liberandam Graeciam disceptatumque inter Aetolos et Romanos.* ubi Septimium conferre haud omisit Gronovius. Laudat eum etiam Cort. ad Sall. Hist. I. 9. qui hanc constructionem Sallustio eiusque aemulis veluti propriam esse animadvertit. Ab uno verbo pendet Infinit. et Accus. cap. 8. *indigne admissam iniuriam* (esse), *atque — multa alia reclamabant.* 3. *expugnatam quippe domum* (esse) *— et alia disserebant.* II. 20. *fidem pacti — traditumque Polydorum refert.* Cf. ad III. 14. Substantivum et Coniunctivus idem verbum respiciunt Sall. Iug. 29. *locutus de invidia facti atque in deditionem uti acciperetur.* Supinum et Coniunctivus Hist. III. 10. *neque ego vos ultum iniurias hortor, magis uti rem cupiatis.* — Aliam imitationem significat Cortius ad Sall. Iug. 25. 7. *animus cupidine caecus ad inceptum scelus rapiebat.*

V. *ad Troiam veniunt*) Quae sit praepositionis *ad* cum nominibus urbium apud antiquos scriptores coniunctae ratio,

docuere Cort. ad Sall. Iug. 91. 4. et Iug. 57. 1; Oudendorp. ad Caesar. B. G. I. 7. Significatur scil. non ingressus in urbem, sed accessus ad urbem; non intrari urbem, sed prope eam subsisti. Sic cap. 20. *eum non prius ad Troiam profecturum.* II. 12. *cuius ductu ad Troiam navigatum est.* Sed amant recentiores addita praepos. etiam ingressum in urbem significare: ut nostro loco, et III. 17. *ad Troiam redit.* V. 10. *ad Troiam eunt.* et saepe, pro: in ipsam urbem Troiam.

in loco) II. 36. *paulisper in loco retentis militibus.* IV. 21. *pernoctatque in loco.* pro: in eo loco, ibidem. Sall. Iug. *ceteri in loco manentes ab iaculis — corpora tegere.* Hegesipp. II. 15. *omnes in loco manere Romanos.* III. 20. *ut pedites in loco manerent.*

properatione navigii inconsulte usum) De voce *navigium* dixi in Praefat. p. XXXIII. sq. Totum locum explicat Gronovius Obss. Eccles. c. 25: „necessario magis quam consulte festinata navigatione usum;" cogitans forte de fama, Paridem metuisse hostes, ad Helenam recipiendam emissos, inter quos ipsum Menelaum fuisse testis est Auctor τῶν Τρωϊκῶν in Bibl. Uffenbach. V. p. 661. Videtur sensus hic esse: properavit Paris navigationem, sed inconsulte hoc fecit; unde factum, ut de recta via aberraret, et ad Cyprum deferretur. Auson. Perioch. p. 738. Toll. *Nonnulli autem opinati sunt, quum Alexander cursu deerrasset, delatusque ad Aegyptum fuisset,* et q. seq. Alexandrum, Troiam versus cursum dirigentem, ventis et tempestatibus de via deiectum esse, pervulgata apud veteres fama.

Phoen. delapsus) i. q. lapsus, navigans. Val. Flacc. II. 127. *Vade, age, et aequoream, virgo, delabere Lemnon.* i. e. naviga, pete. Apul. Met. VII. p. 457. *Cum primum litus Actiacum, quo tunc, Macedoniâ delapsi, grassabamur, appulisset.* Simplici *lapsus* eodem sensu Ovid. Met. XIV. 8.

insidiis necat) Ut II. 12. *insidiis invadit.* VI. 2. *insidiis capit.* VI. 3. *insidiis interficit.* Hegesipp. IV. 19. *insidiis urbem cepit.*

apud Lacedaemonam) pro: in urbe Lacedaemona. Sic *apud Troiam* cap. 6. 12. II. 8. V. 4. 17. et alibi pro *Troiae.*

VI. 2. *apud Corinthum.* VI. 4. *apud Cyprum.* VI. 6. *apud Cretam, apud Ithacam.* Scriptores Hist. August. saepe *apud Baias* pro *Baiis*, docente Salmasio ad Capitolin. Anton. Phil. 6. p. 309. b. Eadem ratione Apul. de Dogm. Plat. p. 181. *die, qua apud Delon Latona fertur Apollinem Dianamque peperisse.* Sulpic. H. S. II. 11. 1. II. 17. 2. *apud Babyloniam.* II. 31. 6. *apud Hierosolymam.* V. Mart. 18. 3. *apud Parisios.* pro: Babylone, Hierosolymae, Parisiis. Oros. IV. 4. *apud Formias, apud agrum Calenum,* et alia. Apud antiquos praepos. *apud* nominibus urbium adiuncta solet significare: prope, circa. v. Cort. ad Sall. Iug. 20. et 57. Atque ita accipiendum Septimii cap. 13. II. 9. *apud Troiam.*

universam domum eius in scelus proprium convertit) Explica: omnem eius rem familiarem (*domus* enim, ut saepe apud Graecos οἶκος, οἰκία, hic ponitur pro re familiari. Cf. Perizon. Diss. §. XV.) sceleris sui praedam, sceleris sui mercedem fecit, sceleste propriam sibi fecit, per scelus sibi vindicavit. Aemulatur Sall. Iug. 14. 11. *regnum eius sceleris sui praedam fecit.* ubi Sept. locum descripsere Cortius et Wasseus (c. 15). Hist. I. 7. *et plebis innoxiae patrias sedes occupavere pauci satellites, mercedem scelerum.* Cf. Perizon. l. l. et praecipue Obrecht.

quae ad ostentationem regiae magnificentiae fuere) Sensus: omnia, quae ostentabant, indicabant regiam magnificentiam; omnia, in quibus situs erat opum regis splendor; omnes regis magnificas et splendidas opes. Auct. B. Alex. 74. *ad ostentationem regiae fiduciae.* Iustin. XXIII. 3. *velut in ostentationem fragilitatis humanae.* Cf. Sall. Hist. II. 7. *scenis ad ostentationem histrionum fabricatis.* In eundem sensum Curt. VIII. 24. *apparatum regiae magnificentiae ostendere.*

casum — deflentes) *Casus* pro morte. v. ad IV. 9. Solet *de* praepos. in verbis compositis vim verbi augere; sed saepissime apud nostrum et omnino scriptt. posteriores *deflere* ponitur pro simplici *flere.* Cf. ad III. 9.

reliqui praedae) v. Praefat. p. XLI.

ascensionem prop.) Absolute pro: ascensionem navium. Ut Liv. XXVIII. 8. et Dares c. 19. *excensionem facere,* scil. e navibus.

regis necem defenderent) Diximus de hac formula in Praefat. p. LV. sq.

VI. *legatorum Palamedes*) Lib. II. 20. *Graecorum Menelaus*. 32. *barbarorum Hectore et Sarpedone*, *Graecorum Diomede*. 38. *barbarorum Aeneas — nostrorum Ulixes*. 43. *Priami filiorum Antiphus*. III. 14. *Graecorum Guneus*. Notarunt hunc Graecismum iam Perizon. Diss. §. XV. et Wopk. p. 36

consilium valuit) Laudat Cort. ad Epist. ad Caesar. de Rep. Ord. II. 10. 6. *patres consilio valere decet*. Cf. Sept. V. 6. *consilium praevalebat*.

conducto concilio) „Graece *συναγαγὼν ἐκκλησίαν*, *συναχθείσης ἐκκλησίας*. Cap. 8. *senes conducit*. *συνάγει τοὺς πρεσβυτέρους* vel *τοὺς γέροντας*." Verba sunt Perizonii l. l. Latinitati vindicatur elocutio verbis Nonii p. 274. Merc. *Conducere, colligere, convocare. Var. Manio: Manius mane suscitat, rostrum suum rostra adfert, populum in forum conducit.* Dicit Sulpicius H. S. II. 41. 1. II. 47. 1. *Synodum congregare*. Hegesippus I. 41. *concilium congregare; congregare duces*. et sic saepe uterque *congregare*, quo sensu noster *conducere*. Heinsius ad Ovid. Met. IV. 375. adnotat, frequenter esse apud Dictyn *conducere Senatum* pro Senatum cogere. De *Senatu* nuspiam apud nostrum sermo est; atque etiam exempla, in quorum nnmero Dictyn Heinsius producit, huc non quadrant.

interiaciens memoriam) Tacit. Ann. II. 10. *pleraque latino sermone interiaciebat*.

astruens) i. e. sermone adiungens. Apul. Met. V. p. 331. *imprimens oscula suasoria — his etiam blanditiis astruit: mi mellite, mi marite*. ubi vid. Oudendorp.

quantis mortalibus) i. e. quot, quam multis. Lib. II. 6. *Quanti Pelopidae*. Senec. Controv. V. 33. *quanti fortes viri? quanti tyrannicidae?* Ammian. XXXI. 4. *quantos undique — colligere potuit canes*. Cf. Arntzen. ad Aurel. Vict. de Or. Gent. Rom. c. 17. p. 33.

Haec atque alia huiusmodi inf.) Sall. Iug. 32. 1. *Haec atque alia huiusmodi saepe dicundo*. De verbo *inferre* cf. ad IV. 10.

videbat — ut — moverentur) Cic. Verr. III. 68. *videtis, ut moveat Apronium.* Virgil. Georg. III. 250. *vides, ut pertentet.* Cf.*Bentl. ad Horat. Epist. I. 1. 91.

taciti, vultu tamen) Intell.: quamvis taciti essent. Eadem ellipsis lib. II. 25. *tristior aliquantum — Helenam tamen prodendam minime rebatur.* II. 42. *genibus Achillis, auxilium renuentis, tamen obvolvebantur.* Cf. Gronov. ad Liv. XXIII. 19; Cort. ad Sall. Iug. 55. 1.

permixta miserationi vis) Explica: in sermone inerat quaedam vis, permixta miserationi. Val. Max. I. 8. *miseri simul ac felicis complorationi permista fuit gratulatio.* Apul. Nat. Deor. (p. 324. ed. Bip.) *Eventus autem vel Fors insunt omnibus permixta mundanis.* Cum Dativo iungit *permixtus* Apul. Met. XI. p. 817. et 784; Plin. H. N. XXXVI. 19. Copula *atque* explicativam vim habet; de qua Goerenz ad Cic. de Leg. I. 21. p. 88. et II. 12. p. 149. Dicit scil. Septimius, Palamedem miro genere orationis singula exposuisse; iam autem disertius expedit, qua in re illud mirum genus situm, et duo adfert: orationis vim ac vigorem, et miserationem illi sermonis vigori immixtam.

domum ad se) i. e. domum suam. Lib. II. 4. *ad se domum — digrediuntur.* Plaut. Amph. 2. 2. 127. *me advenire nunc primum aio ad te domum.* Mil. Glor. 3. 1. 195. *ut ad te eam iam deducas domum.* Pseud. 3. 2. 78. *qui te ad me adducam domum.* Exempla ex Terentio proponit Ruhnk. ad Eun. 3. 5. 28. Dict. p. 98; alia ex aliis Oudendorp. ad Caes. B. C. I. 53; Brem. ad Nep. Timol. 1. p. 299; Wopkens. p. 5.

concilium dimittitur) Infra c. 11. *concilium dimittit.* Dares c. 38. *concilium dimisit.* Noster V. 1. *dimisso conventu.* Dares c. 8. *concionem dimisit.* Atque *consilium* et *concilium dimittere* dicit ipse Cicero Orat. I. 26. Leg. II. 12. ut et Livius XXVIII. 26.

VII. *venit*) pro revenit; ut loquitur II. 27. *legati ad exercitum revenerunt.* Utrumque locum laudat Oudendorp. ad Apul. Met. VII. p. 471.

Quis rebus anxius) i. e. ob has res; ut VI. 9. *ob quae anxius.* II. 13. *ob crebras incursiones — anxiis.* Cf. Cort. ad Sall. Iug. 70. 5. *timore socii anxius.*

nihil pensi aut consulti patientes) Sall. Cat. 5. 6. *neque — quidquam pensi habebat.* Cat. 12. *nihil pensi, neque moderati habere.* Iug. 41. *nihil pensi, neque sancti habere.* Sallustium imitantur etiam Sueton. Ner. 34. *neque quicquam pensi habuit.* Lactant. VI. 1. 8. *nihil pensi aut moderati habere.* Sulpic. H. S. II. 50. 2. *nihil pensi, nihil sancti habuisse.*

praeda atque libidine transversi agebantur) Sall. Iug. 6. extr. *quae etiam mediocres viros spe praedae transvorsos agit.* ubi cf. Cort. Iug. 14. *ne quos amicitia — transvorsos agat.* Flor. IV. 2. 9. *Hinc dolor transversum egit.* ubi cf. Duker. Quid sit *transversum agere* doceris ex verbis Catonis ap. Gell. VII. 3. *adversae res se domant, et docent, quid opus sit facto; secundae res laetitia transvorsum trudere solent a recte consulendo atque intelligendo.*

VIII. *quid agendum esset, consulit*) Cap. 7. *quid — agendum — videretur, consulit.* 9. *bonum animum uti gereret hortatur.* II. 6. *ut — ferret deprecantur.* 9. *hortatur uti — festinarent.* 15. *persuadent uti — descenderet.* et sic saepe noster. Idem loquendi mos frequens est Sallustio et Caesari. Cf. Cort. ad Cat. 44. 3; Oudend. ad Caes. B. G. I. 8.

reguli) hic et alibi apud Sept. vocantur Priamidae, eadem ratione, qua in Sallustii Iugurtha Adherbal, Hiempsal, Iugurtha, et apud Livium et Iustinum alii regum filii. v. Cort. ad Sall. Iug. 11. 2.

inconditis moribus) i. e. indecenti et barbaro more. Lib. III. 22. *raptum res incondito more perrexisse.* II. 35. *inconditis moribus ac dispari sono vocis.* Cf. III. 10. *inconditus clamor.* Similia ex Tacito, Livio, aliis congessit Heins. ad Vell. Pat. II. 14. 1.

cupidine animi praeceps) Explicatur ex Sall. Iug. 9. *ad explendam animi cupidinem praeceps.*

Ita — populus contemtui habitus — domum discedit) Sall. Iug. 34. *Ita populus ludibrio habitus e concione discedit.*

IX. *bonum animum — gereret*) Eadem formula lib. V. 7. et 9; cuius loco aliis scriptoribus frequentior *bonum animum habere.* v. Cort. ad Sall. Iug. 54. qui Sept. laudat. Attamen Plaut. Asin. 2. 1. 9. *callidum ingenium gerere.* Sall.

Iug. 43. *gerere animum invictum*. 54. *parem*. 107. *fortem*. Cf. Sept. IV. 15. *aequum animum habere*. III. 3. *bono animo agere*.

genita videretur) Lib. II. 39. *quod signum lacessentibus videbatur*. II. 33. *tanquam ab omnibus concessa res videretur*. Haud raro apud Romanos *videtur* idem sonat, quod Graecum *φαίνεται* i. e. palam est, certum est, vel simpliciter, est. Sulpic. Sever. H. S. I. 7. 4. *ex ea tamen tribu atque terra, de qua ipse oriundus videbatur*. ubi v. Vorstius, qui affert Iustin., Cic. et al. Apul. Apol. p. 381. *qui — testamentum, quod* verum *sciebat*, *pro* falso *infamarit*, *tanta quidem pertinacia*, *ut*, *cum Lollius* — verum videri et ratum esse debere — *pronuntiasset*, *contra* — *iuraverit vecordissimus iste tamen*, *illud testamentum* fictum esse. ubi alia congessit Pricaeus Not. p. 5. Ex scriptoribus Hist. August. alia Casaubon. ad Capitolin. Max. duob. 6. p. 21. a.

cuncta retexuit) Cap. 11. *cuncta*, *quae ab Al. commissa essent*, *retexuit*. i. e. replicavit, ordine perlustravit. Apul. Met. IX. (p. 202. Bip.) *ordine mihi singula retexe*. Claudian. B. Gild. 325. *talia dum longo secum sermone retexunt*. Auson. Mosell. Praef. *breviter belli Troici causas retexuimus*. Cf. Vopisc. Aurelian. 15. *longum est, cuncta pertexere*.

an poenarum) scil. causa. Sall. Cat. 51. *ne quis divitiarum magis*, *quam iniuriae bellum incoeptum diceret*. Adde Obrecht. et Cort. ad Sall. Iug. 88. 4. Latinis in hoc loquendi modo praeiverunt Graeci, apud quos nihil frequentius intellectu *ἕνεκα*, ut sexcenties docuere viri docti. v. Oudend. ad Caes. B. G. IV. 1. Cf. Sept. IV. 22. *legatus pacis missus* i. e. pacis causa, pacis agendae causa.

parum constabat) Citat locum Cortius ad Sall. Iug. 30. *Patres*, *probarentne tantum flagitium*, *an decretum subverterent*, *parum constabat*.

X. *a recto consilio praepediebat*) Sall. Iug. 32. *a bono honestoque impediebat*. *Praepedire* i. q. impedire. Lib. II. 3. *praepeditus trunco vitis*. III. 19. *praepedito — nixu*. Illustrat verbum Cortius ad Sall. Iug. 28. 5. *quos omnis avaritia praepediebat*.

nunc Priamum, *modo filios*) Lib. III. 16. *nunc planctus*

crebri, modo — silentium. Respondent sibi *nunc — modo* etiam Apul. de Habitud. (II. p. 180. Bip.) *hanc ille heros iustitiam modo nominat, nunc universae virtutis nuncupatione complectitur.* Cf. Sept. V. 10. *nunc Graeci cum Troianis, rursusque hi apud naves amice agere.*

complexu divelli) Pedestris oratio magis amat *divelli ab aliqua re.* Sall. Cat. 50. *liberos a parentum complexu divellere.* Septim. IV. 11. *neque ab eo divelli.* Sine praepos. Horat. Od. I. 36. 19; Ovid. Met. XIV. 115. Cf. Virgil. Aen. IV. 616. *complexu avulsus.*

Ita bonum publicum materna gratia corruptum est) Sall. Iug. 25. 3. *Ita bonum publicum — privata gratia devictum.* Dicitur *bonum publicum* etiam Sall. Cat. 28; Liv. II. 1; Tacit. Ann. XIV. 38. Consimiliter Gell. VII. 3. *optimum publicum;* alii *malum, egregium publ.* Cf. Cort. ad Sall. Iug. 37. 7.

medius astans) Lib. II. 41. *Ulixes medius astans.* II. 14. *haud procul astans.* Apul. Met. VI. p. 429. *astans ego non procul.* Ovid. Met. V. 114. *cui procul astanti.* De *adstare* pro *stare* cf. Ruhnken. ad Terent. Phorm. IV. 3. 2. Dictat. p. 257.

facto silentio) Cf. Liv. XXVIII. 27; Q. Claudius ap. Gell. IX. 13; Plaut. Amph. Prol. 15.

optionem Helenae — offert) Sall. Iug. 79. 8. *Graeci optionem Carthaginiensium faciunt.* ubi v. Cort. Noster VI. 10. *optionem rerum ac fratris acceperit.*

neque sibi cum Menelai matrimonio convenire) Ex Plaut. Pseud. 4. 7. 9. *cum his mihi nec locus nec sermo convenit.* Terent. Ad. 1. 1. 34. *haec fratri mecum non conveniunt, neque placent.* Apul. de Mund. p. 345. *Talis quippe humilitas deiecti et minus sublimis officii ne cum homine quidem convenit ei, qui sit paululum conscientiae celsioris.* Ex his, inquam, locis nimis festinanter olim correxisse mihi videor *neque sibi cum Menelao matrimonium convenire.* Nam non solum *res mihi convenit cum aliquo,* sed etiam *mihi convenit cum re* latine dici, celebrata arguit sententia Senecae: *Cui cum paupertate bene convenit, dives est. Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est.* cet. Recte igitur verba

Septimii interpretatus esse videtur Artopoeus in Ind.: se non contentam esse cum Menelai matrimonio. Qua vi Septimianam formulam recepere plures Lexicographi; neque debuere cum Senecae loco praetermittere ii, qui nuper Forcellini Lex. ediderunt. Possis etiam explicare: sibi, sive suo animo non conveniens esse, vel non addicere, non placere matrimonium Menelai. In quem sensum Ovid. Rem. Am. 311. *Haeserat in quadam nuper mea cura puella: Conveniens animo non erat illa meo.* Cf. Heins. ad Ovid. Her. V. 77. Varie nostrum locum tentavit Wopkens. p. 7. sq.

habentes Helenam) Lib. II. 20. *habentes Polydorum.* Graec. ἔχοντες, κρατήσαντες.

XI. *contestandi — gratia*) Disputavi de hoc verbo in Praefat. p. XLII. sq.

ultionem brevi testatus est) Explicat Perizonius Diss. §. XXXVIII: minatus est, denuntiavit ultionem; coarguitque Septimium malae latinitatis. Explico: pronuntiavit et affirmavit, brevi tempore affore ultionem. Eadem notione lib. II. 8. *in communem perniciem praecipitatum iri testarentur.* Sueton. Tit. 9. *fratrem — ne in minore quidem honore habere sustinuit, sed — consortem successoremque testari perseveravit.* Et sic alii. Cf. Sulpic. Dial. I. 26. 5. *cum Dominus ipse testatus sit, istiusmodi opera — ab omnibus fidelibus esse facienda.* i. e. factum iri pronuntiaverit.

ira percitus) Liv. VI. 38. *percitus ira Camillus.* Cf. Ruhnken. ad Terent. Hec. III. 3. 17. Dictat p. 221. Schop.

quod non frustra eos habuit) Lib. II. 37. *quae res non frustra eos habuit.* i. e. eos non frustrata est, non fefellit. Idem significat Sall. Iug. 10. *neque ea res falsum habuit.* Formulam *frustra habere aliquem* habes ap. Tacit. Ann. XIII. 37; Plaut. Amph. Argum. 2. 5.

imperfecto negotio) Eadem locutio lib. II. 27. V. 17; ut *imperfecta re* II. 21. *Imperfectum* dicitur, quod susceptum et aliquatenus productum est, sed nondum ad finem perductum et absolutum. Sed Septimius illo vocabulo usus est eodem sensu, quo ceteris scriptoribus usitatissimum est et fere perpetuum *infectum*, i. e. frustra et sine omni progressu in-

ceptum. Attamen ne accusa nostrum; nam prorsus eodem modo Liv. I. 54. *re imperfecta redit Gabios.* ut ex MSS. consensu exprimendum curarunt editores omnes. Liv. V. 4. init., ubi editum *infecta re*, nonnulli libri habent *interfecta* i. e. *inperfecta*, quod considerandum.

non legatis, sed aversus se) Ab eodem verbo pendet Dativus et Accusativus cum praepos. Plane ut Apul. Met. I. p. 79. *ad hospitium Milonis ac dehinc cubiculo me reporto.* ubi cf. Oudendorp. Met. II. p. 161. *herbulam — ob os corporis, et aliam pectori eius imponit.*

XII. *disseminata — fama*) Lib. II. 23. *exemplo disseminato per mortales.* 26. *per populum disseminatis, quae.* VI. 13. *per populum disseminatur.* Cf. Cic. pro Planc. 23. *disseminatus dispersusque sermo.* Sulpic. V. Mart. 18. 2. *rumorem disseminare.*

in unum conveniunt) Sall. Iug. 11. *reguli in unum convenerunt.* Supra c. 4. *in unum coeunt.*

praeconium fidei erga legatos Antenoris praef.) *Fidei* secundus casus est. Genitivis *fidei Antenoris* noster interiecit verba *erga legatos*, quae a *fidei* reguntur: ut loco Velleii (v. not. cr.) verbis *sub adventum Sullae* inseritur *in Italiam*, quae verba pendent ab *adventum.* Frequentior ordo: *sub Sullae in Italiam adventum*, et *praeconium Antenoris erga legatos fidei.*

locis atque imperiis) Lib. II. 26. *ex hisce finibus atque imperiis.* Amant iungere Graeci χώραι (χωρία) καὶ ἀρχαί.

Argi, Diomedis regnum) Syntaxis est: deligitur opportunus locus, nempe Argi (plurali numero), regnum Diomedis.

XIII. *ubi tempus visum est*) Cf. II. 27. 35. Sall. Iug. 91. *postquam tempus visum est.* Imitati sunt Sallustium etiam Tacitus, Florus, alii.

ingenti nomine virtutis atque corporis) i. e. ingente virtute atque corpore. Cf. II. 48. Sall. Cat. 53. *ingenti virtute.* fragm. VI. 10. *ingenti corpore.* Utrumque paulo aliter iungitur Cat. 5. *magna vi et animi et corporis.* Hist. III. 13. *ingens ipse virium atque animi.* Eadem, qua noster, ratione Ammian. XIX. 1. *vir ingenti nomine doctrinarum*, i. e. in-

gentibus doctrinis. Cf. Sept. II. 9. *ipsi clari atque magnifici ingenti nomine.*

secutus comitatum) Dixi de hac phrasi in Praef. p. LII.

quam verissime potero exponam) Sall. Cat. 18. *quam verissume potero dicam.* Cat. 4. *quam verissume potero paucis absolvam.* Apul. Apol. p. 507. *dicam igitur quam brevissime potero.*

XIV. *studio — virtuteque et gloria sup.*) Haeserunt viri docti in Ablativis; de quibus Oudendorpius ad Sueton. Tib. 62. ita: „Duos Ablativos vario sensu iungi uni verbo, saepissime docuerunt viri docti, atque ita capi debet Septim. I. 14. *studio — superabat.* sive *per studium.*" — Ceterum ante oculos noster habuit Sall. Iug. 6. *Qui ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, sed multo maxume ingenio validus — et cum omnes gloria anteiret.* ubi Sept. produxit Cortius, similemque locum lib. II. 4. *Is namque Hercule genitus, procerus corpore, ac pollens viribus* cet. *Iam tum* i. e. iam in primis adolescentiae annis.

vis quaedam inconsulta et effera morum impatientia) Lux affunditur his verbis ex Philostrat. Heroic. X. 5. p. 712. Olear. Ἐμάχοντο δὲ ὁ μὲν Παλαμήδης γενναίως τε καὶ σωφρόνως; ὁ δὲ Ἀχιλλεὺς οὐ καθεκτῶς. ὁ γὰρ θυμὸς ἐξαίρων αὐτὸν ἐς ἀταξίαν ἦγεν. Septimium ad manum habuisse videri possit Latinus interpres, qui postrema verba vertit: *vis enim inconsulta, ipsum efferens, in confusionem coniiciebat.* Anna Daceria et Barthius bene comparant Horatianum (Art. Poet. 121.) *Achilles iracundus.* Inesse *vis inconsulta* dicitur ei, qui lacessitus sine mora, haud prius rem animo considerans, vi utitur; *morum impatientia*, qui impetus sui animi non potest coercere. Nam *mores* sunt ingenia, indoles, natura; *impatientia* est incontinentia. Obscoenissimo loco Met. (II. p. 35. Bip.) de se ipso scribit Apuleius: *paulisper inguinum fine lacinia remota, impatientiam Veneris Fotidi meae monstrans* cet. cum animi sui impetum, ad concubitum instigantem, non potest coercere; cum sibi temperare nequit, quin statim gustet Venerem. Met. X. p. 682. *impatientia furoris altius agitata, diutinum rupit silentium.* Florid. p. 77. *ut impatientia linguae commendationem ingenii quaerant.* Trahe etiam ad nostrum

locum Virgil. Aen. X. 895. *effera vis animi.* quae verba sua fecit Hegesipp. I. 41. Val. Flacc. V. 517. *effera ira.* I. 798. *effera corda.* Cf. Oudendorp. ad Apul. de Mund. p. 360. ubi noster locus producitur.

insignes armorum specie) Peculiaris Septimio locutio. Lib. III. 15. *gens — specie armorum inclyta per mortales.* II. 43. *Aiax — magna armorum specie.* quod Artopoeus in Ind. explicat: speciosus in armis.

avo Hercule) ut II. 35. *genitore Talaemene.* Ablat. absol. Cf. ad c. 3.

vicaria morte coniugis fata propria protulerat) *Proferre fata propria* est: mortem sibi destinatam producere, differre; vel, ut Vindingius ait, vitam prolongare. Virgil. Aen. XII. 395. *ut depositi proferret fata parentis.* Cf. Senec. Octav. 341. *pellit palmis cogente metu fata*, e. i. natando mortem effugere tentat. Rem similiter exprimit Hygin. fab. 243. *Alcestis — propter Admetum coniugem vicaria morte obiit.* Laudat Septimium Dresem. ad Ios. Iscan. V. 340.

medicinae artis) Iuxta haec verba ponunt Varro L. L. IV. 18; Hygin. fab. 274; Augustin. Confess. IV. 3; alii. Cf. Wopkens. p. 9. Omnino amat Septimius sic coniungere duo Substantiva, ut alterum quasi abundare videatur. Lib. III. 21. *senecta aetas.* V. 7. *avis aquila.* V. 10. *legati viri.* V. 2. *Graeci homines.*

post discessum eius ad deos sagittas divin.) Hygin. fab. 102. *ob id beneficium Hercules suas sagittas divinas ei donavit.* Vell. Pat. I. 2. *anno octogesimo post captam Troiam, centesimo et vigesimo, quam Hercules ad deos excesserat.* Perperam Barthius et Vindingius *discessum* pro morte accipiunt, cum significetur secessio e terra in coelum, ubi in deorum numerum Hercules relatus est.

XV. *promptiores animos ad bellum — facit*) Caesar. B. G. III. 19. *promptus animus Gallorum et alacer ad bella gerenda.*

conditione proelii) pro belli. Cap. 11. *grande proelium concitaretur.* Tacit. Ann. XIV. 38. *nullum proelio finem exspectarent.* ubi Lipsius volebat *bello.* Iustin. III. 6. *aucti et classis et militum robore proelium reparavere.* Iul. Exsuperant.

B. C. c. 3. *terminare, quod gerebat, proelium festinavit.* et sic saepe posteriores. Cf. Casaubon. ad Spartian. Sever. 14. p. 611. b.

in duas partes exsectum) Lib. II. 49. *bifariam excisam hostiam.* V. 10. *excisis in partes duas hostiis.* Promiscue igitur dicit *exsecare* et *excidere in partes.* Herodotus (v. Obss.) in eodem ritu adhibet *διατέμνειν*, Apollodorus *διαιρεῖν*, Plutarchus *διχοτομεῖν.* Ieremias Propheta XXXIV. 8. *vitulum, quem conciderunt in duas partes.* Attamen nihil in Septimio mutandum; solent enim ita loqui posteriores. Etenim V. 12. *exsecare aures.* plane ut Lamprid. Commod. 9. *exsecare brachium.* Apul. Met. IV. p. 273. *exsecare cervicem.* IX. p. 665. *exsecare gulam.* Rursusque noster III. 15. 16. 18. *excidere manus.* plane ut Apul. Met. V. p. 364 (et Oros. V. 12.) *excidere caput.* ubi cf. Oudendorp.

Orienti Occidentique dividit) i. e. disposuit Orientem versus unam partem, alteram Occidentem versus. Lib. V. 10. *uti pars ad solem, residuum ad naves spectaret.* De coeli regionibus nihil Livius, qui lib. XL. 6. ita: *Caput mediae canis praecisae et prior pars ad dextram cum extis, posterior ad laevam viae ponitur. Inter hanc divisam hostiam copiae armatae traducuntur.* Nihil etiam Herodotus, qui: τὰ ἡμίτομα διαθεῖναι, τὸ μὲν ἐπὶ δεξίᾳ τῆς ὁδοῦ, τὸ δ' ἐπ' ἀριστέρᾳ. Ac nescio an apud Septimium huic ritui aliquid Romani sit admixtum. Liv. I. 18. *Inde ubi, prospectu in urbem agrumque capto, augur Deos precatus regiones ab Oriente ad Occasum determinavit, dextras ad meridiem partes, laevas ad septentrionem esse dixit.*

per religionem) scil. iurisiurandi; quod quidem addi solet, ut c. 12. et alibi. — Constructio loci est: inimicitias sibi cum Priamo esse confirmant; et confirmant porro, se non prius bellum deserturos esse. Cf. Wopkens. p. 10.

bellum deserturos) Monuimus de hac formula in Praefat. p. XLIII.

pure lauti) Plaut. Rud. 2. 1. 12. *salsi lautique pure domum redimus.*

sibi adhospitavere) Etiam de hoc loquendi genere exposuimus in Praefat. p. XLIII.

XVI. *rectorem omnium*) i. q. ducem. Cf. c. 19. II. 43; Tacit. Hist. II. 17. 36.

consensu omnium secundo rumore) Abundanter dictum; nam *secundo rumore* est: secundis animis, omnibus faventibus et applaudentibus; ut patet ex Tacit. Ann. III. 29. *Utque haec secundo rumore, ita adversis animis acceptum, quod filio Claudii socer Seianus destinaretur.* Cf. Wopkens. p. 10; Oudendorp. ad Apul. Met. IX. p. 639.

summam belli atque exercitus) Liv. XXXI. 37; Sueton. Domit. 6; Virgil. Aen. X. 70. *summa belli.* Liv. XXXII. 17. *summa universi belli.* Caes. B. G. VI. 34. et B. C. I. 67. *summa exercitus.* Cf. Septim. V. 9. *summa civitatis.* VI. 9. *summa regni.* Hegesipp. II. 14. III. 1. V. 52. *summa militiae.*

magnus atque clarus habebatur) Sall. Cat. 53. *clarus atque magnus habetur.* ubi Sept. laudat Wasse (c. 57). Tacit. Agric. 18. *clarus ac magnus haberi Agricola.* Sall. Iug. 92. *magnus et clarus antea, maior et clarior haberi coepit.* Sulpic. H. S. II. 7. 4. *Daniel clarus antea, clarior haberi coepit.*

Praeponuntur — Palamedes cum Diomede) Lib. I. 1. *Idomeneus cum Merione habuere.* II. 6. *Achilles cum Aiace pervenere.* III. 18. *Meriones cum Ulixe destinatum confixere.* II. 20. *Ulixes cum Diomede profecti.* V. 7. *Diomedes cum Ulixe dissimulantes.* et alia. *Cum* ponitur pro: et; hinc pluralis numerus verbi. Nonnulla ex Septim. adferunt Oudendorp. ad Apul. Met. III. p. 224. et Davis. ad Hirt. B. Afric. 52. Et sic loquuntur alii. v. Gronov ad Liv. XXI. 60 et XXII. 21; Cort. ad Sall. Cat. 43. 1.

campestri exercitui) Vid. Praefat. p. XLI.

diurnas vigiliarumque vices) h. e. excubias, et vigilias quae sunt nocturnae, ait Artop. Ind. v. *vices.* *Vices* de custodiis militum, qui ad vigilandum sibi vicissim succedunt.

instrumenta militiae — arma, tela, equi, naves — parantur.) Sall. Iug. 43. *arma, tela, equos, cetera instrumenta militiae parare.*

belli studio ardebat omnis Graecia) Sall. Hist. I. 20. *ardebat omnis Hispania citerior*, scil. bello; ubi v. Cort. p.

955. Hegesipp. II. 11. *Ardebat omnis Iudaea.* Flor. III. 5, 22. *novis motibus ardere Asiam.* Alia Oudendorp. ad Sueton. Caes. 70.

toto biennio) c. 18. *toto quinquennio.* Sueton. Tib. 51. *Toto quidem triennio — semel omnino eam — vidit.*

vis magna navium — fabricatur) Tacit. Ann. XIV. 29. *navesque fabricatur plano alveo.* Phaedr. IV. 6. 9. *fabricasset Argus opere Palladio ratem.* Oros. IV. 7. *Romani et ipsi classem fabricari atque instrui praeceperunt.* Praeterea saepissime noster *vis* pro: multitudo. v. Artop. Ind.

multa milia exercituum) Intell. multa milia hominum ex exercitibus, qui de variis regionibus atque regnis in unum contracti, sub suo quisque duce agebant. Sequens *incuria navigandi* satis breviter dictum, pro: negligendo earum rerum apparatum, quae navigationi erant necessariae.

undique versum) De hoc secundi saeculi scriptoribus proprio dicendi genere diximus in Praefat. p. XLIX.

XVII. *necessariorum cibi*) Cap. 23. *cibi necessaria.* Amat noster neutra pluralia sequente Genitivo. Lib. II. 28. *quaedam ornamentorum.* III. 21. *cuncta regni* IV. 4. *reliqua praedae.* V. 7. *sacrorum consueta.* ibid. *praeclara operum.* Ex variis scriptt. talia colligunt Drakenb. ad Liv. XXXVII. 58; Oudendorp. ad Apul. Met. III. p. 230; Vechner. Hellenolex. I. 29. p. 202; Wopkens. p. 11.

mandatum acceperant) In frequentissimo Supini usu Sallustium imitatur. Lib. II. 25. *nuptum tradere.* II. 7. *hiematum discedunt.* II. 44. *coenatum deduci.* II. 37. *exploratum egredi.* alia permulta alibi.

penuria fatigaretur) i. e. sollicitaretur, vexaretur. Tacit. Ann. IV. 6. *annona acri plebs fatigabatur.*

XVIII. *ob locorum conditionem*) *Ob* ponitur pro: secundum, pro; ut lib. II. 19. *ob singulorum merita.* 35. *ob mercedem.* Cf. Plaut. Asin. II. 2. 80. *ob asinos ferre argentum.* pro quo ibid. 102. *argentum afferat mercator pro asinis.* Virgil. Aen. VII. 182. *ob patriam pugnando vulnera passi.* Festus v. *obiter: quod avum ob patrem habet, id est pro patre.*

pedestres milites) Ammian. XXI. 13. *pedestris equestrisque militia. Pedestres* (scil. milites) equitibus opponit Iustin. XI. 9. Frequentia sunt: *pedestres copiae, pedestris exercitus.*

quia per omnem Graeciam cet.) Rationem reddit Septimius, cur equorum numerus longe fuerit pedestrium copiarum multitudine inferior: scil. quia ob egestatem per omnem Graeciam pabuli equitatus usus prohibetur; qui usus, si non prohiberetur, multo maior evaderet pabuli egestas. Durissima est elliptica oratio *multo maiore egestate* i. e. multo maiore futura egestate, si equitatus usus non prohiberetur.

necessarii — apparatui) Lib. II. 9. *rebus bello necessariis.* Infra c. 21. *sacrificio adornant.* II. 22. *nati libidini.* 41. *locus pugnae opportunus.* III. 4. *adhibito equis.* 12. *busto locum dimetiuntur.* 13. *paratus proelio.* Ubique Dativus ponitur loco Accusativi cum praepos. *ad.*

neque pretio neque gratia — inlici quivit) Sall. Cat. 49. *neque gratia neque precibus neque pretio Ciceronem impellere quivere.* ubi Sept. afferunt Interpp. Iug. 30. *aut pretio aut gratia effecturum.* Iug. 16. *pretium aut gratiam anteferebant.*

societatem militiae — sequeretur) Lib. III. 3. *societas belli.* Sall. Cat. 48. *societas periculi.* alii alia. Trita etiam historicis formula *militiam sequi;* contra *societatem militiae sequi* sequior latinitas est.

classium numerus) pro: navium; ut lib. II. 11. *magnam vim classium admotam littori.* 12. *hisque tutelam classium — tradunt.* Flor. III. 6. 8. *quippe quum classibus suis et socialibus Rhodiorum abundaret.* Usus hic imprimis poetarum. Sine discrimine invenitur etiam *classes* et *classis.* v. Duker. ad Flor. I. 18. 4.

praeparatus instructusque) Lib. III. 17. *instructi — paratique.* Sall. Iug. 74. *pro tempore parati instructique.* Iustin. XI. 2. *instructo paratoque exercitu.* Cf. ad II. 32.

profectionem — retardaret) Cic. Fam. VII. 5. *aut impedire profectionem — aut certe tardare.*

XIX. *navigandi festinatione*) Apul. Met. X. p. 724. *contatio veniendi.* Cf. ad III. 11.

imprudensque religionis) i. e. ignarus, nescius. Liv. XXXI. 14. *Acarnanes duo iuvenes — templum Cereris, imprudentes re-*

ligionis — ingressi sunt. Sept. laudat Heins. ad Ovid. Her. XXI. 122.

irane coelesti, an ob) Lib. II. 35. *taedione an recordatione.* 30. *alione casu an.* Sall. Iug. 67. *misericordiane an pactione.* Iug. 14. *nationesne an reges.* Et sic saepe Sallustius, Tacitus, Iustinus, Gellius, Apuleius, praeeuntibus Comicis, praesertim Plauto.

corp. pertentatis) Diximus in Praefat. p. LII.

lues invadit) Lib. II. 30. *morbus gravissimus exercitum invadit. Lues* i. e. pestis, λοιμός, quae luem, perniciem spargit. Senec. Thyest. 88. *luem sparsura pestis. — Invadit* absolute ponitur, ut saepe apud Sallustium et Livium. v. Cort. ad Cat. 2. 5; Gronov. ad Liv. XXVIII. 20.

in dies magis magisque saeviens) Lib. II. 30. *malo paulatim magis magisque ingravescente.* II. 7. *mare in dies magis magisque saevire occoepit.* III. 3. *atque in dies magis magisque aestuare desiderio.* Cf. Cort. ad Sall. Cat. 5. 7.

fatigare) i. e. invadere et corrumpere. Lib. II. 33. *qui antea fatigabantur — relaxari.* Vim verbi explicuit Bremi ad Nep. Eum. 12. 4. cf. Burmann. ad Ovid. Am. II. 13. 2.

promisce) Monui de hac forma in Praefat. p. XLVIII.

prorsus nullus funeri modus neque requies) Citans hunc locum Cortius ad Sall. Cat. 25. extr. illud *prorsus* significare dicit: in summa, verbo. Bene. Sallustii verba sunt: *prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.* Cf. Iug. 23. 30. 76. Trahe huc etiam Sept. II. 43. *prorsus nullo — intacto.* 46. *prorsus uti nullus reliquus caedis fieret.* V. 12. *prorsus nulla requies stragis.* Sallustium imitatus est etiam Apuleius: Met. II. p. 126. *prorsus gladiatoriae Veneris antecoenia.* Florid. p. 60. *Prorsus, inquam, hoc erat primum sapientiae rudimentum.* Apol. p. 589. *prorsus, inquam, ne omnia persequar, si avitum* cet. et sic persaepe. Sulpic. H. S. II. 46. 4. *prorsus multa in eo animi et corporis bona cerneres.* Apuleius amat etiam iungere *prorsus denique.* — Cave credas Barthio, *funus* notare dicenti pestilentiam, contagionem. Vim vocis ipse illustrat Septimius sequentibus: *uti quidque malo obviam fuerat vastabatur.* cap. 20. *Neque interim ullus finis vastitatis.* V.

12. *prorsus nulla requies stragis.* II. 30. *postquam nullus morbi modus, et in dies plures interibant.* Est igitur *funus* strages, funesta clades, quae fit grassante pestilentia. Cf. Wopkens. p. 12.

uti quidque malo obviam fuerat, vastabatur) Nexus nostro et Sallustio familiarissimus. v. Artop. Ind. et Cort. ad Cat. 59. 2.

deo plena) Simillimus locus lib. V. 8. *Inter quae tam solicita Cassandra, deo plena, victimas* cet. cf. V. 16. *deo repleta.* Iustin. XL. 1. *divino spiritu repleta.* Apul. Met. VIII. p. 582. *divino spiritu repletus.* cf. Barth. ad. h. l.

Dianae iram fatur: eam namque — poenas ab ex. expetere) Explica: fatur, iram Dianae in causa esse; ut expediendus etiam simillimus locus lib. II. 30. *Apollinis iram pronunciat: eum namque — poenas ab ex. expetere.* Ibid. mox: *restitutionem virginis pronunciat,* i. e. restituendam esse virginem.

nec leniri) i. e. minui, scil. iram. Sall. Hist. IV. 1. *lenita iam ira.* Tacit. Ann. I. 12. *nec ideo iram eius lenivit.* Apul. Met. IX. p. 658. *numinum coelestium leniendis minis.* Eadem vi Sept. II. 33. *vis mali leniri visa.* V. 16. *uti odium sui — leniretur.* quem locum exhibet Wasse ad Sall. Cat. 23. *qui Ciceronis invidiam — leniri credebant.* Porro lib. III. 2. *animus non lenitur.* IV. 10. *ut concitatus animus leniretur.* Sall. Iug. 11. extr. *neque lenitur animus ferox.* Cf. Oudend. ad Apul. Met. X. p. 685.

malo obviam properaret) Lib. II. 29. *obviam ire sententiis.* i. e. resistere, contra niti; in qua notione noster aemulatur Sallustium, docente Cortio ad Iug. 5. 1. Cf. Artop. Ind. v. *obviam.*

effusius ac sine modo militiae vagaretur) Lib. II. 43. *palantes effusique ruere.* pro quo IV. 12. *dispersi palantesque ruere.* Sall. Iug. 105. *temere et effusi euntes.* Iug. 55. *effuso exercitu praedari.* — Porro Sall. Iug. 102. *nec acie, nec ullo more militiae, sed catervatim.* Tacit. Hist. I. 38. *sine more et ordine militiae.* Contra Septim. II. 35. *sine ullo ordine aut* modo *proelia inire.* 38. sine modo *atque ordine barbaris ruentibus.* Hegesipp. V. 6. *egrediuntur plerique prae-*

ruptim, sine ordine, sine ullo modo. V. 16. *Itaque in praedam festinantes passim sine ordine*, sine modo *currere, alius alium praevenire.* V. 29. *vincentium clamores sine ordine et* modo *personabant.* Explicatur *sine modo* ab ipso Sept. II. 12. *sine ullo ordine ac disciplina militari.* Explicationi sunt etiam Liv. XXIII. 27. *sine imperio, sine signo, incompositi, inordinati in proelium ruunt.* Sall. Iug 97. *sine signis, sine ordinibus equites, pedites permixti.*

muneris atque partium) Explica: in quatuor partes dividitur exercitus, ita ut aequentur munera et partes, ut cuique et munus (imperatorium) aequum, et aequa exercitus pars obveniat. Cuique par militum numerus, quibus imperarent, tribuebatur, etiam Palamedi, nisi quod hic, in locum Agamemnonis substitutus, etiam summa exercitus belli que potiretur. — Vellem melius se expressisset, ut salvus mansisset totius capitis egregius sermo.

quadripartitur) De hoc verbo Praefat. p. XLIII. sq.

XX. *finis vastitatis*) *Vastitas* est pestilentia, ait Barthius. Male. Est coorta ex pestilentia strages hominum, unde vastitas, solitudo efficitur. Cic. in Pison. 35. *qui* (milites) *cum uno genere morbi affligerentur, neque recreare se quisquam posset, qui semel incidisset; dubitabat nemo, quin violati hospites, legati necati — hanc tantam efficerent vastitatem.* In eundem sensum c. 19. adhibetur *vastare* in his: *uti quidque malo obviam fuerat, vastabatur*, i. e. ubi pestis invasit, strage omnia loca repleta hominibusque desolata sunt.

et ob id) Vid. Praef. p. L. Etiam de seq. vocabulo *insperabile* dixi in Praefat. p. XLIX.

nullo consilii participe) Sall. Cat. 17. *consilii huiusce participes.* Iug. 70. *omnium consiliorum participes.* Cf. Sept. II. 15. *eius consilii haud expertem.*

tanquam ab Agememnone) scil. scriptas, acceptas. Lib. II. 5. *nunciantes Agamemnoni — pacem concordiamque cum Telepho.* scil. initam esse. Insolentiores ellipses.

litteras — ad Clyt. perfert) Laudat inter alia Oudend. ad Apul. Met. VI. p. 421.

quarum sententia haec erat) Sall. Iug. 9. *earum sententia haec erat.*

promissi fides impleretur) Lib. III. 18. *fidem promissi — confirmavit.* II. 37. *suscepti negotii fidem complere.*

pro negotio) i. e. pro re sua perficienda, in rem suam. Cf. ad II. 32.

fidem fecerat) i. e. effecerat ut fides haberetur, ut crederetur. De qua formula Duker. ad Flor. III. 16. 6; Cort. ad Sall. Iug. 24. 9; Schwarz. ad Plin. Paneg. 74.

propter gratiam Helenae) Hegesipp. I. 35. *quod appellavit Antoniam propter Antonii gratiam.*

affectione paternae pietatis motus) i. e. sensu paterni amoris motus; paterno amore motus; ob amorem erga filiam. Nimium adfectant recentiores multitudinem verborum. Trebell. Poll. trig. tyr. 16. *paternae indulgentiae affectione permotus.* Cf. Septim. VI. 10. *praelataque sanguinis affectione.* Apul. Met. IV. p. 293. *sanctae caritatis affectione — pignoratus.* Apol. p. 545. *fatigatione itineris affectus.*

an ne tam inlicito) *An* sine praecedente particula interrogativa. Lib. II. 31. *pertinacia animi, an ob amorem captivae.* quem locum exhibet Davis. ad Caes. B. C. II. 32. Lib. IV. 4. *permoti querelis Rhodiorum, an cupidine diripiendarum rerum.* Cf. Heins. ad Ovid. Fast. II. 394; Cort. ad Sall. Cat. 25. 3.

persuadendi genere) Dixit ut cap. 6. *miro genere orationis.* Aurel. Victor de Caes. cap. ult. *orandi genere leni iucundoque.* Et saepe de studio, arte, facultate hoc nomen usurpatur bonis auctoribus. Wopkens. p. 13. Abundanter etiam dicta haec accipere possis, pro: persuadendo, mira oratione; ut cap. 21. *sacrificii genus* pro: sacrificium. Alia id genus Gronov. ad Liv. XXIV. 32; Cort. ad Sall. Iug. 4.

iucundus acceptusque) Lib. II. 29. *gratum acceptumque in exercitu.* Infra c. 23. *res pergrata atque accepta.* IV. 9. *amabilis atque acceptus popularibus.* II. 15. *vir optimus acceptusque in exercitu.* En Sallustii aemulum. Iug. 12. *carus acceptusque semper fuerat.* Iug. 108. *Mauro — carus acceptusque.* Iug. 70. *carum acceptumque popularibus.* Coniungit *ca-*

rus acceptusque Sallustii exemplo Sulpicius H. S. I. 2. 6. I. 25. 2. I. 35. 2. et alibi. Cf. Valer. Max. V. 5. *cara est uxor, dulces liberi, iucundi amici, accepti affines.*

XXI. *quibus id negotium datum erat*) Liv. I. 9. *quibus datum negotium erat.* cf. Sall. Cat. 40, Gell. X. 3.

quum ecce dies foedari et coelum nubilo tegi coepit) Si paulo mutas: *ecce dies foedari et coelum nubibu' coepit (tegi),* plenus fluit heroicus versus. Verba poeticum habent colorem, totumque portentum eleganti et poetico sermone scriptum. De nexu *quum ecce* v. Praefat. p. L. *Ecce* de re improvisa, inopinata, ubi res horrenda et repentina significatur. v. Serv. ad Aen. II. 270. Coniungit Sallustius Iug. 15. *ecce ex improviso*; quod amat Ammianus Marcellinus. *Foedare, foedus* saepe de coelo tempestatibus turbato. Sall. fragm. VI. 22. *nubes foedavere lumen.* Tacit. Hist. I. 18. *foedum imbribus diem, tonitrua et fulgura - turbaverant.* Cf. Wopkens p. 13. *Nubilo* pro nubibus, poetice; ut etiam Apul. Met. XI. p. 767. *noctis atrae fugato nubilo*; qui saepe *mentis nubilum.*

confusione aëris ereptum lumen) De poetica imagine *confusione aeris* disputavi in Praefat. p. XXXVIII. *Lumen* scil. diei. Sall. fragm. VI. 22. *nubes foedavere lumen.* Sept. affert Cort. ad Sall. Iug. 21. 2.

Inter quae tam tetra) Peculiare Septimio exordium. Lib. II. 8. *Inter quae tam solicita.* II. 43. *Inter quae tam trepida.* III. 22. *Inter haec tam miseranda.* III. 10. *Inter haec tam foeda.* IV. 14. *Inter quae tam laeta.* Cf. Sall. Cat. 43. *Inter haec parata atque decreta.*

coeptum omitterent) Sall. Iug. 93. *incoeptum omittere.* ubi vid. Cortius. Apul. de Deo Socrat. p. 163. *coepta omittere.* Cf. Sept. II. 6. *apparatum belli laeti omittunt.*

detrimento militum) i. e. strage et iactura militum, quorum ex pestilentia numerus minuebatur. Lib. II. 3. *magno suorum detrimento.*

inter tantam animi dubitationem) Sall. Iug. 30. *inter dubitationem et moras Senatus.*

post Troianam victoriam) v. Praefat. p. XLI.

in vicem virginis) Laudat inter alia Oudend. ad Apul. Met. II. p. 171.

consenescere) i. e. remittere, deficere, paulatim minui. Cic. de Senect. 9. *quamvis consenuerint vires atque defecerint.* Alia dant Obrecht., Vinding., Duker. ad Flor. I. Prooem. 8; Brem. ad Nep. Alcib. 5. 3.

XXII. *Quae postquam et Ul. cons. patef.*) Ad *quae postquam* intell. patefacta sunt. Lib. II. 50. *eorum autem, quae in consilio acta essent, ordine exposito; quae etiam Ag. pollicitus, quaeque iurasset.* intell. eorum ordine exposito. Lib. V. 6. *ea quae antea gesta essent temere et inconsulta, non per se.* scil. gesta esse. cf. not. cr. ad I. 9.

ad lucum pergit) Lib. II. 5. *ad naves pergit.* 45. *pergunt ad eum locum.* 46. *ad tentoria pergunt.* et alia. Sall. Iug. 52. *ad flumen pergit.* 59. *pergit ad oppidum.* 94. *ad locum pergit.* Liv. III. 46. *pergere - ad portam.* Sulpic. V. Mart. 11. 3. *ad locum pergit.* H. S. II. 13. 4. *pergit ad reginam.* II. 16. 5. *ad castra hostium pergunt.*

inclamans) i. e. vehementer et acerbe alloquens. Cf. Bentl. ad Horat. Serm. I. 9. 75.

ab inquietudine) v. Praefat. p. XXXIX.

ni paruissent) pro parerent; ut lib. III. 19. *quum tempus fuisset*, pro esset. Familiarem hunc usum esse scriptoribus, qui labente latinitate scripserunt, docent Casaubon. ad Capitolin. Anton. Phil. 27. p. 395. b; Salmas. ibid. 29. p. 401. b. et aliis locis. Etiam optimos scriptores non esse absque eiusmodi exemplis adnotat Ruhnken. ad Terent. Andr. I. 5. 23. Dict. p. 36.

reformatoque iam die) De hac formula Praefat. p. XLIV.

deliberantibus cunctis) Improprie dicat noster *deliberantibus*, pro dubitantibus, quaerentibus; non tamen de forma optimis scriptoribus usitata recedit. Consule Wasseum ad Sall. Fragm. I. 12. Wopkens. p. 14. *Deliberare* est dubitare, ait Nonius p. 282. Merc. adducitque Terent. Phorm. II. 4. 17.

comprehendere, moxque immolant) Utcunque illud *comprehendere* acceperis, Perfecto Indicat. an Infinit. Praes., notanda temporis enallage. Lib. II. 6. *ad Telephum pervenere eumque deprecantur.* 17. *Cylicas aggreditur, ibique Lyrnessum* —

cepit. III. 8. *cominus tibiam ferit, atque excedere ex acie coegit.* Sall. Iug. 26. *Adherbalem necat, dein omnes puberes — interfecit.* Cat. 57. *castra movet, ac — consedit.* Frequens etiam altera enallage. Lib. II. 1. *evolant navibus — custodes caedere.* 39. *comprehendere fratrem eumque cogunt.* IV. 1. *fletum tollunt, neque — fiduciam credere.* V. 3. *gemitum edunt — annuere.* Supra c. 19. *Agam. adeunt, eumque primo orare.* Cf. Cort. ad Sall. Cat. 21. 4.

reseratum est coelum) Proprie *reserantur* (a *sera*) fores, portae, domus; hinc *reserari* dicitur etiam coelum, quod, tempestatibus foedatum, purgatur et serenatur. Exemplis a viris doctis allatis adde Apul. de Mund. p. 339. *Ventorum proelia cientur — fulminat coelum — tempestates confligunt, micant ignes, imbres rumpuntur: et rursus placatis omnibus amoena laetitia mundi reseratur.* Auson. de Mosell. 12. *Purior hic campis aer: Phoebusque sereno Lumine purpureum reserat iam sudus Olympum.* Boethius Consolat. lib. I. Metr. III. *Desuper in terram nox funditur. Hanc si Threicio Boreas emissus ab antro Verberet, et clausum reseret diem, Emicat, et subito vibratus lumine Phoebus, Miranteis oculos radiis ferit.* Obrechtus perperam attulit Senec. Tro. 351. ubi verba *arte reseras polum* explicanda sunt: qui artis tuae vaticinandi ope ex sideribus res futuras recludis, futura praedicis; ut Sedul. Carm. V. 273. *Interea sui populi arcana futuris Iam reseranda.*

XXIII. *maris faciem*) Laudat inter alia Oudend. ad Apul. Met. II. p. 162.

permoestum) v. Praefat. p. XXXIX.

honorem regni — concelebrant) Explica: honorem regni (i. e. summam rerum Graecarum) Agamemnoni rursus delatum esse, celebri, crebra fama divulgant. Caes. B. C. III. 72. *per orbem terrarum fama ac litteris victoriam eius diei concelebrant.* Nonius p. 274. *Concelebrare, diffamare; dictum a celebritate. Lucil. lib. XXX. Multis indu locis sermonibus concelebrarunt.*

consultorem sui) ut lib. III. 24. *servitium sui.* 14. *sui sanguine.* IV. 20. *metu sui.* V. 5. *sedem sui.* 2. *comitatum sui.* 15. *custodia sui.* 16. *sui odium.* VI. 5. *industria sui.* 8. *sui interi-*

tum. 15. *tutelam sui.* Amata haec constructio est etiam Apuleio, neque infrequens antiquioribus. Cf. Wopkens. p. 101.

satis prudens) i. e. gnarus. Lib. II. 23. *scientes prudentesque.* Sall. Iug. 111. *prudens omnium.* Cf. Cort. ad Sall. Iug. 49. 2. Hist. I. p. 953. sq.

humanarum rerum necess.) Laudat Cort. ad Sall. Iug. 38. 9. *tamen se humanarum rerum memorem.* Cf. Hegesipp. I. 23. *rerum humanarum ludibrium et varietas.* III. 18. *vices humanarum rerum variae.* et sic saepe Hegesippus.

adversus infortunia infirmissimus) Sall. Iug. 28. 5. *firmissimum contra pericula et insidias.* ubi Sept. producunt Interpp. Cf. Sept. II. 15. *imbellum adversum dolores.*

dissimulato, quod ei acciderat) Lib. III. 3. *dissimulato, quod audierant.* Cf. II. 15. Paul. Dig. II. 4. 15. *Libertus adversus patronum dedit libellum, non dissimulato, se libertum esse eius.* De quo Ablat. vid. ad VI. 3.

GLOSSARIUM SEPTIMIANUM

AD

LIBRUM SECUNDUM.

I. *descendere prohibentur*) Caesar B. G. IV. 24. *Barbari nostros navibus egredi prohibebant.*

terram contingere) Plane ut Sulpic. Sever. H. S. I. 21. 7. et Ovid. Met. VIII. 154. cf. Ovid. Her. XVIII. 206. *contingere littora.* Plaut. Amph. I. 1. 48. *terram tangere.*

iniuriam manu vindicandam) Sall. Iug. 20. 4. *Adherbalem iniurias suas manu vindicaturum.* ubi Sept. affert Cortius. Iug. 106. extr. *Ac fuere, qui dicerent, manu vindicandum, neque apud illum tantum scelus inultum relinquendum.* Cf. Duker. ad Flor. I. 1. 10.

arreptis armis) Cf. c. 11. et 37, ut et Sall. Iug. 72.

evolant navibus) Lib. III. 13. *portis evolant.* Caesar B. G. III. 28. *ex omnibus partibus silvae evolaverant.*

versis his atque in fuga) Intelligunt viri docti: in fuga exsistentibus. Sall. Cat. 57. *utpote qui magno exercitu, locis aequioribus expeditus, in fuga sequeretur,* i. e. exsistentem in fuga Catilinam; ut explicat Cortius. Infra c. 48. *in commune ab omnibus consulendum, praesertim procul ab domo.*

II. *quos circum se habebat*) Sall. Cat. 16. *circum se praesidia amicorum habebat.* Cat. 14. *omnium flagitiorum — circum se — catervas habebat.*

pro metu suo) Laudat locum Wasseus ad Sall. Cat. 32. *suo quisque metu pericula metiri.*

condensatis) Dixi de hoc Participio in Praefat. p. XLIV.

uti quisque in manus venerat, interficitur) Lib. V. 12. *universos, qui in manus venerant, obtruncavere*. Sall. Iug. 101. *et si qui in manus venerant, obtruncare*. Saepe *in manus venire* dicit Florus, docente Freinshemio in Ind. Infra c. 37. *devenire in manus*.

his aut illis) *Aut* haud raro significat: partim. Lib. III. 1. *Ac saepe — hi aut illi — Apollini supplicabant*. Tacit. Hist. IV. 71. *montibus aut Mosella septum*.

quem Polynicis supra memoravimus) Memoravit lib. I. 14. Infra c. 5. *Tlepolemus et — Phidippus, quos — nepotes Herculis supra memoravimus*. Memoravit lib. I. 14. Non differunt haec ab enotatis ad lib. I. 4. nisi eo, quod ibi res in prope praecedentibus memorata repetatur.

cadit — interfectis — obtruncaverat — interficitur) Explica: Thessandrus cadit, multis ante a Thessandro interfectis, in quis Thessandrus Telephi comitem obtruncaverat; atque ita Thessandrus interficitur. Notanda est verbi activi et passivi vicissitudo. Sall. Cat. 53. *Sciebam, saepe numero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse* (populum Romanum): *cognoveram parvis copiis bella gesta* (a populo Rom.) *cum opulentis regibus: ad hoc saepe fortunae violentiam toleravisse* (populum Rom.). Et sic alii scribunt. Apud Sept. autem ipsam narrationem et sententiarum seriem sordere vides.

ob industriam virium atque ingenii) i. e. ob navitatem et alacritatem in rebus manu aggrediendis, atque ob prudentiam in rebus excogitandis capiendisque consiliis; verbo: ob fortitudinem et prudentiam. Cf. Sall. Iug. 7. fin. *ingenii solertia*. Iug. 108. *ob ingenii multa bona*. Adde notam Vindingii.

elatus secundo belli eventu) Sulpic. H. S. I. 47. 4. II. 51. et Hegesipp. III. 3. *elatus secundis rebus*. I. 32. *elatis suorum animis successu priorum*.

maiora viribus aggressus) Ex Virgil. Aen. X. 811. *maioraque viribus audes*. quem ob oculos habuit etiam Hegesipp. III. 23. *cum maiora auderent viribus*. Senec. Med. 465. *minora meritis patiar*. Cf. Sall. Iug. 89. *maiora et aspera aggredi tempus visum*.

quod ei — perseverabat) Sensus: quod iam tum Diomedes perseveranter tuebatur ius societatis a parentibus coeptum. Loquendi genus barbarum est, sive accipias *mihi perseverat aliquid cum aliquo*, sive *mihi perseverat aliquid*, ut τὸ *cum eo* pendeat a *coeptum*. Attamen *perseverat mihi aliquid* dicit Apul. de Dogm. Plat. p. 247. *Talibus viris nec amicitiarum fides perseverat.* atque *perseverare cum aliquo* Hegesipp. V. 15. *Deum — postea conversum ad Romanos, cum his perseverare.* Sed latinum est *persevero in aliqua re.*

quod superfuerat) Inserviunt haec verba explicationi. Sensus: cremavit corpus illudque sepeliit, nempe non totum corpus, sed id, quod post cremationem de eo superfuerat. Lib. III. 18. *erexere malos, quis religatum linum — utriusque capiti adnectebatur.* Vides illud *quis* explicari sequentibus *utriusque capiti.* Lib. IV. 22. *Ceterum Troiani — cuncti proceres seditionem — extollunt.* Verba *cuncti proceres* explicant.

III. *eventum belli trahi*) i. e. protrahi, procrastinari, differri. Cf. Cort. ad Sall. Iug. 23. 2; Wass. ad Sall. Iug. 40. *tractum bellum.*

ac pro tempore cohortati suos) Sall. Iug. 49. *ac pauca pro tempore milites hortatus.*

ipsi duces principes certaminis) Duces alioquin copiarum hic etiam certaminis principes erant. *Principes certaminis*, scil. faciendi, i. e. primi in certando, pugnando. Explicationi serviunt sequentia: *omnino primi aut inter primos bellantes.* Optimis scriptoribus *princeps* dicitur pro: primus. Cf. ad V. 2. Aemulari noster videtur Sall. Cat. 24. *princeps belli faciundi.*

instar muri) Laudat Wasseus ad Sall. Cat. 61, ubi alia eiusdem imaginis exempla afferuntur.

primi aut inter primos bellantes) Imitatur Sall. Iug. 6. *feras primus aut in primis ferire.* ubi inter alia Cortius protulit Septim., et D. Bernhard. Epist. 205. ad Ludov. Reg. *Regum primus aut certe inter primos rabie persequentium — obviastis.* Cf. Sept. c. 11. *inter primos bellando.* IV. 20. *evadere inter primos cupientibus*; pro quo paulo infra *qui primi evaserant.* Cortius *inter primos* pro: in primis, sequiorem latinitatem vocat.

praeclaram — famam — effecere) Sall. Cat. 1. *memoriam nostri quam maxume longam efficere.* Cf. ad c. 12.

tanta — gloria) sine *cum*, ut c. 12. *magna gloria.* 37. *magna voce.* 38. *magna cura.*

ad eum convertit) Cap. 27. *ad suos convertit.* Utrumque locum laudat Davis. ad Caes. B. C. III. 73. Sall. Iug. 101. *clam cum paucis ad pedites convortit.* Cf. Mercer., ut et Cort. ad Sall. Iug. 85. 9. in Excurs. VI. n. 1. ubi etiam Septim. affertur.

ibique pugnando — occubuit) i. e. in pugnando, pugnans. Cap. 11. *inter primos bellando — ruit.* Sall. Cat. 61. 2. *quem quisque pugnando locum ceperat.* ubi et Septimii memor est Cortius.

quos advorsum ierat) Cap. 12: *quos advorsum ierant.* III. 5. *quos advorsum bellabat.* Sall. Iug. 101. 8. *profligatis, quos advorsum ierat.* ubi cf. Cortius. Hegesipp. I. 1. *caesis, quos adversus ierat.* V. 4. *territis, quos adversum ierat.* Sall. Hist. II. 4 *quos advorsum multi — occurrere.* Cf. infra c. 5. *Priamum adversum.* Nep. Con. 2. *hunc adversum.* Plaut. Aul. IV. 7. 9. *me adversum.*

praepeditus trunco vitis) Sall. Iug. 53. *impediti ramis arborum.*

IV. *Iamque diei plerumque processerat*) Sall. Iug. 21 et 109. *ubi plerumque noctis processit.* 51. *itaque multum die processerat.* Cf. Plaut. Pseud. 4. 7. 59. *vides iam die multum esse.*

utraque acie — fatigaretur) Recte ad *fatigaretur* Obrechtus intelligit *miles*, seu Graec. τις; cuius ellipseos exempla multa posuit Welcker ad Theogn. v. 164. Annot. p. 97. Sept. III. 16. *At apud Troiam ubi — animadvertere.* intell. homines, scil. Troiani.

iugi certamine) i. e. perpetuo, continuo. Sulpic. Dial. I. 9. 4. *iugis adversum malos pugna, perpetuumque certamen.*

strenuis adv. se ducibus) i. e. cum strenui essent duces, cum fortiter contra se pugnarent. De Ablat. dixi ad lib. I. 3.

in aliquantum) Adi Praefat. p. XLI.

requies belli) Tacit. Ann. IX. 25. *requiem belli fore.* —

Belli pro proelii, pugnae; ut et c. 2. *elatus secundo belli eventu.* 38. *bello decedere.* 39. *reducto ad bellandum Alexandro.* IV. 3. *quos fuga bello exemerat*, et saepe. Sall. Cat. 9. 4. *bello excesserat.* ubi v. Cort. Flor. IV. 2. 47. *admirabilis illius belli exitus.* Cf. Freinsh. in Ind. Et sic saepissime Hegesippus, Sulpicius, Orosius, alii recentiores. Iisdem aeque frequens cum Septimio *bellare* pro pugnare. Cap. 2. *inter primos bellantes.* 11. *inter primos bellando.* 38. *bellandi tempus.* III. 5. *quos advorsum bellabat.*

vulnerati pars maxima) Sall. Iug. 58. *magna pars volnerati aut occisi.* Iug. 59. *magna pars confecti volneribus.* Cf. Gronov. ad Liv. I. 59.

clade - expertibus) Sall. Cat. 33. 1. *omnes fama atque fortunis expertes sumus.* Turpilius apud Non. p. 500. Merc. *Neque mirum, educta, ut par est, expers malitiis.*

V. *cognito Telephum — imperitare*) Cap. 28. *cognito filiam — cum Agam. degere.* VI. 15. *cognito parentem esse.* Cf. ad I. 23. VI. 3. 15.

multa invicem consumta oratione) Cap. 24. *invicem multa consumta oratione.* 26. *talibus invicem consumtis verbis.* Sall. Iug. 25. extr. *multa tamen oratione consumta.* ubi Sept. produxit Cortius.

hostiliter adv. suos versaretur) *Versari* pro agere, se gerere, sequior latinitas. Apul. Met. IX. p. 669. *deprecatur civilius atque mansuetius versari commilitonem.* C. Grachus apud Gell. XV. 12. *Versatus sum in provincia, quomodo ex usu vestro existimabam esse.* Cf. Sept. VI. 14. *versanti sibi vehementius.*

non alienos generis sui) Lib. III. 5. *non alienum sanguinis Priamidarum.* VI. 7. *Assandro non alieno Pelei.* Plane uti apud Graecos cum hoc casu construitur ἀλλότριος. v. Perizon. Diss. §. XV. Tres Sept. locos affert Heins. ad Ovid. Fast. I. 396. ubi plura de hoc verbo: ibidem lege sis Burmannum.

Ad ea Tel. — benigne — respondens) Sall. Iug. 11. *Ad ea Iugurtha — benigne respondit.* Iug. 102. *Ad ea Bocchus placide et benigne.* Cf. Sept. III. 3. *benigne respondetur.*

obviam ire gratulantem oportuerit) Syntaxis haec est: Cognito per praemissos illos Graecorum adventu, oportuit me gratulantem iis obviam ire, vel obviam ire et gratulari. Egregie comparatur locus Plauti Poenul. 3. 1. 20. *Liberos homines per urbem modico magis par est gradu Ire: servile esse duco festinantem currere.* intell. festinantem aliquem, i. e. festinare et currere.

VI. *iactatum magnis doloribus*) Flor. Praef. 2. *tot laboribus periculisque iactatus est.* Cf. Wopkens. p. 18; Oudendorp. ad Apul. Met. X. p. 597. qui Sept. laudat.

in unum congregati) Sulpic. Epist. III. 8. *omnes in unum illae volucres congregatae.*

gratulationis atque laetitiae) Lib. IV. 14. *laetitia atque gratulatio cunctos incesserat.* Utrumque nomen coniungitur etiam Cic. Verr. IV. 34. Flacc 39.

obtulere) i. e. creavere, effecere. Terent. Hec. V. 3. 18. *quantam obtuli adventu meo laetitiam Pamphilo hodie?* Catull. Carm. 60 de Aty v. 247. *qualem Minoidi luctum obtulerat — talem ipse recepit.*

hospitio recipiuntur) Sulpic. H. S. I. 29. 2. *hospitio benigne recepisset.* I. 8. 6. *in hospitium benigne recepit.*

ex numero navium) i. e. secundum numerum, pro numero. De qua praepos. huius vi cf. Wass. et Cort. ad Sall. 26 (27), ubi Sept. citatur.

Ulixem deprecatur) Nihil Septimio frequentius verbo *deprecari*, quod Daceria et Vindingius explicant: valde, obnixe precari. Assentitur his Oudendorp. ad Apul. Met IX. p. 668, qui ita etiam Apuleium saepissime loqui adnotat. Scio equidem, *de* praepos. cum verbis compositam ad augendum et cumulandum valere; sed id quoque scio, propriam omnino esse recentiorum latinitatem, verbis compositis uti loco simplicium: atque omnibus fere locis Septimianis *deprecari* poni pro, precari, recte animadvertit Artopoeus in Ind. Est haec loquendi proprietas Septimio et Apuleio communis.

inspecta cura) *Cura* est curatio; ut Cic. ad Div. V. 16. *cura doloris.* Iustin. XXIII. 2. *cura morbi.* et saepe apud medicae artis peritos, ut Celsum. *Inspicere* est exigere, examinare, considerare quale aliquid sit, cognoscere de aliqua

re. Igitur *curam inspicere* est cognoscere de curatione, perpendere curationis rationes. Traian. ad Plin. Ep. X. 27. *inspicere rationes*. Plaut. Pers. II. 5. 15. *inspicere morbum tuum lubet*, i. e. considerare morbi rationes. Ulpian. Dig. XXV. 4. 1. 7. *mos regionis eius inspiciendus est*. Apul. Apol. p. 511. *ad inspiciendum mulier aegra curationis gratia ad me perducta est*. Cf. Pricaeus ad Apul. Met. in Not. p. 120.

apta dolori medicamina imponunt) *Medicamina* sunt quaevis remedia ad aliquid sanandum. Hic et Tacit. Ann. IV. 57. intelliguntur emplastra, quae unguento sublinita vulneri imponuntur. *Imponere* est verbum proprium de emplastris. Celsus V. 28. *circa, qua tumor ex inflammatione est, imponenda cataplasmata*. III. 10. *superimponenda cataplasmata*. Totius loci sensus est: imponunt vulneri emplastra, apta dolori leniendo vulnerique medendo.

VII. *Sed ubi — saevire occoepit*) Cf. Sall. Iug. 78. *ubi mare magnum esse et saevire ventis coepit*. Construe: ubi mare occoepit tempus navigandi remorari, ac mare occoepit saevire. Postponitur causa facto. At nescio an melius explices: ubi Graeci tempus navigandi remorati sunt, i. e. retardarunt, procrastinarunt; ut *ubi* cum Infinitivo iungatur, more Sallustii, qui Iug. 7. *ubi neque per vim, neque dolis opprimi posse*. Iug. 98. *cum tamen barbari nihil remittere*. Hist. I. 11. *cum ceteri — maximo gaudio bellum irritare*. Forma *occoepit* familiaris nostro cum Sallustio, Tacito, Apuleio et Comicis. Cicero nusquam eam adhibet, teste Goerenz. ad Cic. de Leg. II. extr. p. 210.

tempus esse, reliqua adversa) Explica: docti, initio veris opportunum esse tempus navigandi, reliqua autem tempora adversa esse. *Tempus* pro: tempus opportunum; ut saepe apud optimos scriptores.

cunctis volentibus) Laudat inter alia Wass. ad Sall. Iug. 86.

exercere discordias vacuum fuit) Sall. Hist. I. 3. *exercere simultates vacuum fuit*. ubi Sept. afferunt Intpp. Cf. Sall. Cat. *iurgia, discordias, simultates exercere*. Cat. 49. *inimicitias exercere*.

auctor et veluti luctus) Iungit Iustin. VIII. 1. *causa et origo huius mali*. XI. 7. *huius rei causa et origo*.

VIII. *metus atque, moeror universos invasere*) Indicat imitationem Sallustii Cortius ad Iug. 25. *Sed ubi ea Romae comperta sunt, metus atque moeror civitatem invasere.*

male actum adversus Graeciam) Oros. IV. 9. *hostiliter cruenteque in universos egit.* Cf. ad IV. 6.

ea gratia) pro: eius rei gratia, ea de causa. v. Wopkens. p. 19.

tempus prof. antecaperent) Sall. Iug. 21. *tempus legatorum antecapere.* Utrumque locum comparat Heins. ad Val. Flacc. VII. 32.

bellum — transportaretur) Dixi de hac formula in Praefat. p. XLIV.

IX. *Agam. insinuans*) Vid. Praefat. p. XLIX.

classem — compingunt) Vid. Praefat. p. XLV.

instructam omni genere) i. e. omnibus rebus, scil. necessariis. Flor. I. 13. 4. *Galli Senones, gens natura ferox, moribus incondita — adeo omni genere terribilis fuit.* i. e. omnibus rebus, explicante Dukero.

ab incoepto militiae) pro: ab initio. Barbara locutio. Dicendum fuit *ab incoepta militia.*

anno — consumto) Sall. Iug. 62 et 93 *multis diebus consumtis.*

X. *instructae omnino classes*) *Omnino* idem est, quod c. 9. *omni genere.*

mare navigio patens) Cap. 7. *ventis adversantibus mare in dies magis magisque saevire occoepit.* Navigari igitur non potuit, ob hiemem ac tempestatem; vel, ut Vegetii Mil. V. 9. verbis utar, *mare clausum* erat. Iam autem aperitur mare, fitque opportunum ad navigandum.

duces profectionis) Vid. Praefat. p. XXXIX.

dolore — diu afflictatus) Sueton. Tit. 2. *gravi morbo afflictatus diu.*

mederi posset) Haud opus est, *mederi* cum Perizonio Diss. §. XXXVIII. vi passiva accipere, cum facile intelligas: vulneri. Etiam ad sequens *adhiberet* intelligendum: ad vulnus sanandum. *Adhibere* saepe dicitur de re medica. Gell. IV. 13. *scriptum inveni, viperarum morsibus tibicinem scite modulateque adhibitum mederi.*

adiutores incoepto) ut Caesar B. C. I. 7. *honori et di-*

gnitati adiutor. De Dativo cf. Oudend. ad Apul. Apol. p. 446. qui Sept. affert.

XI. *ratus ut negotium erat*) i. e. ita ratus, ut res ipsa erat. Obscuram ellipsin Septimius petiisse videtur ex Sall. Iug. 47. *ratus id, quod res monebat, frequentiam negotiatorum et commeatum — munimento fore.* Iug. 56. *ratus id, quod negotium poscebat, Iugurtham laborantibus suis auxilio venturum, ibique proelium fore.* Sulpic. Sever. H. S. I. 3. 3. dicit: *ratus id quod erat, aquas decedere.* Plene Septimius sic fere scripsisset: Is ubi animadvertit, procul magnam vim classium admotam littori, propere suos instruit, Graecosque egredi incipientes invadit; ratus id, quod res monebat, Graecos navibus egressuros, Troianosque fines invasuros, atque ibi proelium fore.

turbatis omnibus, et ob id cuncta impedientibus) Graecorum turbationi nimis turbatam et impeditam orationem accommodavit Septimius. Recte explicat Wopkens. p. 21: quum omnia turbata essent, illaque rerum perturbatio (*turbata* pro turbatione lib. III. 10. Cf. ad V. 1.) omnia impediret. Imitari Septimius voluit Sall. Iug. 98. *manu consulere militibus, quoniam imperare, conturbatis omnibus, non poterat.*

confirmati inter se invicem) Hoc est, quum a se invicem confirmati essent; cum invicem animum, fiduciam sibi dedissent. v. Wopkens. p. 21. Familiarissimum Septimio verbum *confirmare.* v. Wopk. p. 10.

XII. *metum hostibus et fiduciam suis effecere*) Sall. Iug. 105. *qui — Syllae aliisque omnibus — hostilem metum efficiebant.* Cat. 42. *plus timoris quam periculi effecerant.* Cf. ad c. 3.

resisti iam apud eos) i. e. circa eos, in ea regione, ubi pugnabant Achilles et Aiax, resisti a Troianis amplius non potuit. Possis etiam explicare: contra eos. Oros. V. 4. *Romanis circa eum* (Viriathum) *fortiter agentibus.* i. q. contra eum fortiter rem agentibus, pugnantibus.

quin paulatim decedentibus — fugarentur) Misera loci syntaxis haec est: Neque amplius resisti a Troianis poterat adversus Achillem et Aiacem; et non potuere Troiani, quin, primo paulatim cedentes his, quos advorsum ierant, ad postremum cuncti fugam capesserent. Sensus enim efflagitatur

hic: Neque amplius Troiani Graecorum impetum sustinere valent: primo paulatim cedere Graecis, ad postremum cuncti fugari. Infeliciter Septimius adhibere voluit genus Ablativi absoluti liberioris, cuius plura exempla posuit Duker. ad Flor. IV. 12. 28. Magis perspicue lib. IV. 20. *Ibi caesa vis multa hostium, quum, festinantibus* (pro: festinantes) *inter se — multitudine sua detinerentur.*

libero ab hostibus tempore) i. e. eo tempore, quo liberi erant ab hostibus, quo nihil hostile metuebant.

in ordinem compositas) Abundanter dictum, pro: ordine positas. Omitti potuit *in ordinem*, cum ea notio iam insit praepositioni *cum*. Lib. V. 11. *composita dein universa classe*, i. e. ordine posita.

tuto collocant) *Tuto* adverbialiter ponitur pro: in tuto; ut Graec. ἀσφαλῶς pro ἐν ἀσφαλείᾳ. Cic. de Fin. II. 26. *quod sine ea tuto et sine metu vivi non posset.* Fam. XIV. 3. *nam ego eo nomine sum Dyrrachii hoc tempore, ut quam celerrime, quid agatur, audiam; et sum tuto: civitas enim* et q. seq. Liv. XXXIX. 13. *ut Romae tuto habitaret.*

hisque tutelam classium, atque — distribuentes, tradunt) Explica: Tradunt his tutelam navium, et praeterea iisdem distribuunt milites per classis latera atque cornua disponendos. Res sumta est ex Hom. Il. XI. 6. ubi Ulixes mediam classem, Aiax et Achilles, viribus confisi, cornua tenent. De verbo *distribuere* cf. Sall. Jug. 91. *pecus exercitui per centurias, item turmas distribuerat.* Jug. 46. *in utrumque latus auxiliarios equites tribunis legionum et praefectis cohortium dispertiverat.* De verbis *latera atque cornua* ἐκ παραλλήλου positis v. Obrecht. Amat Septimius synonyma. Cap. 21. *facta gestaque.* 35. *dux atque imperator.* 36. *magister ac praeceptor.* IV. 4. *dux atque rector.*

ordinatis dispositisque omnibus) Sall. Jug. 94. *paratis compositisque omnibus.* Jug. 43. *omnibus rebus paratis compositisque.*

magna sui — gratia) Adi Wopkens. p. 22.

circa — sepulturam — occupatis) *Sueton. Ner.* 25. *circa haec occupatum.* Valer. Max. VI. 8. *circa rapinam et praedam occupatos.* Ulpian. Dig. II. 12. 1. *occupati circa rem*

rusticam. Ammian. XXIX. 6. *occupatam circa messem.* Cf. Sept. III. 12. *detentis circa funus nostris.* III. 1. *circa exercitum solliciti.* Sunt haec sequioris latinitatis, iudice Dukero ad Flor. III. 19. 12.

tali tempore) Cap. 48. *namque tali tempore in commune ab omnibus consulendum.* Addunt praepos. *in* Sall. Cat. 48. *quia in tali tempore tanta vis hominis leniunda — videbatur.* Liv. XXX. 37. *indignatus Hannibal, dici ea in tali tempore audirique.* i. e. in tali rerum discrimine.

ancipiti malo territos) Sall. Cat. 29. *ancipiti malo permotus.* Jug. 67. *neque cavere anceps malum posse.* Apul. Met. IV. p. 259. *in ancipiti periculo constituti.* VII. p. 483. *ancipiti malo laborabam. Anceps* hisce locis est i. q. duplex. Nostro loco, ut et Sulpic. Sever. Ep. I. 12. est: dubium exitu, ideoque periculosum. Pluribus de hac voce disputant Gronov. ad Liv. XXX. 33; Cort. ad Sall. Cat. 29. 1; Brem. ad Nep. Them. 3. 3.

XIII. *civitates — adeant*) *Adire* eleganter de iis, quae hostiliter tentamus. Sall. Jug. 89. 1. *Consul — oppida castellaque munita adire.* ubi v. Cort.

vastantque circum omnia) Sall. fragm. VI. 6. *vastatis circum omnibus locis.* quem locum ad verbum expressit Trebell. Poll. in Gall. duob. 10. cf. Sept. VI. 2. *metuque omnibus circum locis iniecto.* Sall. Cat. 30. *circumque loca.*

per omnia humana atque divina) Sall. Jug. 31. *divina humanaque omnia.* Cat. 12. *divina atque humana promiscua.* Eadem alii iungunt. Hegesipp. V. 2. *humana pariter atque divina maculari ac pollui, permixta omnia.* cf. Plaut. Amph. 1. 1. 102.

fidam sibi) Intell. fore. Lib. V. 6. *profectionem ad suos incommodam exitialemque,* scil. fore. Sall. Cat. 46. *poenam illorum sibi oneri, impunitatem perdundae reipublicae putabat,* scil. fore; ubi cf. Cort.

delicta — luere) Horat. Od. III. 6. 1. *delicta maiorum — lues.* Virgil. Aen. I. 136. *commissa luere.* Ovid. Her. X. 99. *facta luere.* Cf. ad c. 27.

exceptam reliquae praedae) i. e. ex praeda. Cap. 19. *ex omni praeda — excepta Astynome.* Lib. IV. 6. *Agae-*

memnon Menelaum excipit, scil. sorti, ex viris sorte eligendis. Virgil. Aen. IX. 270. *illumque clypeum excipiam sorti*, i. e. ex rebus sortitione distribuendis, capiendis. Casu tertio videtur etiam accipiendum lib. III. 19. *certantibus — victor excipitur*.

supplices et cum pace — conveniunt) Infra c. 16. *finitimi populi — cum pace occurrere*. Apud Cic. pro Muren. 15 et Tuscul. V. 34. *cum pace* audit pacate. Apud nostrum explicabis: pacem orantes. Cf. Sall. Jug. 47. *legatos supplices mittere, pacem orare*.

ad Graecos conveniunt) De formula *convenire ad aliquem* v. Wopkens. p. 23. et Heins. ad Ovid. Fast. II. 667.

fideles — permanserant) Laudat Cort. ad Sall. Iug. 5. 5.

XIV. *amorem — circa — exercitum exhibebat*) Cap. 25. *amorem, si quem circa Helenam habuerat*. Lib. III. 4. *amorem, quem circa Graecos habuerat*. *Amorem exhibere* dicit etiam Capitolin. Ver. Imp. 3, ut *affectum* (i. q. amorem) *alicui exhibere* Plin. Epist. II. 1. Sunt haec sequioris latinitatis: quibus adiicias Iustin. XIV. 1. *quomodo circa se animati essent*. Scaevol. Dig. 31. 90. a med. *eo animo circa patronum*. Trebell. Poll. trig. tyr. 16. *novercali animo circa aliquem esse*. Capitolin. Clod. Albin. 11. *atrox circa militem*.

congregata armatorum manu) Hegesipp. I. 13. V. 14. et Oros. I. 19. *congregata manu*. Hegesipp. I. 19. *manum congregans*. Hegesipp. I. 26 et Oros. VI. 2. *congregato exercitu*. Hegesipp. II. 14. *congregatis sociorum auxiliis*. I. 32. *congregare vires*.

quisque partium) i. e. quicunque. Lib. III. 24. *omnia, quaeque imperarentur*. Alia ex aliis scriptt. habent Gronov. ad Liv. I. 24; Cort. ad Sall. Cat. 5. 3; Ruhnken. ad Terent. Hec. I. 1. 8. Dictat. p. 213. Cf. Obrecht. ad c. 21.

cum his se adiunctum esse) Diximus in Praefat. p. XLV.

morsu serpentis — contingitur) Etiam de his adi Praefat. p. LII.

uti curaretur) i. e. sanaretur. Sic Celsus Prooem. lib. I. et Curtius V. 9. *curare morbos*. Curt. VII. 1. *curare vulnera*, pro sanare.

mederi adversus venena) Eadem constructione Plin. H. N. IX. 31. *cancri contra serpentium ictus medentur*.

XV. *consilium de int. Pal. ineunt*) Cap. 19. *consilium de dividenda praeda haberi.* Oros. IV. 16. *ut consilium de relinquenda Italia subiretur.* Et sic passim recentiores.

more ingenii humani) Ad verbum sic Sall. Iug. 93, ubi v. Wass. (c. 98.); quem imitati sunt etiam Iustin. VI. 1; Apul. Florid. p. 93; Sulpic. H. S. I. 4. 5. I. 16. 7; Hegesipp. I. 10. 36. 37. II. 17. et alibi.

imbellum) Vid. Praefat. p. XXXIX.

dolores animi) Cruciatur vere animus invidiosorum hominum, cum se anteiri a melioribus videntur; quem animi dolorem seu cruciatum vix patientes, mala moliuntur. Totum locum Dresemius adscripsit ad illud Ios. Iscani V. 283. *et nihil insigne Cupido in socios cessisse ferens.*

simulato quod) Hegesipp. V. 38. *simulato, quod eam vellent defendere.* Cf. I. 23.

ipse potius descenderet) *Potius* pro potissimum; ut lib. IV. 22. v. Wopkens. p. 24.

summetuentem) Diximus de hoc verbo in Praefat. p. XLV.

deponunt) i. e. demittunt in fundum putei, demergunt. Laudat Burmann. ad Val. Flacc. V. 34. *medioque viros deponere ponto.* quod Maserius explicat: derelinquere desperata salute; aliter autem et pro demergere posse capi, adnotat Burm. Idem Burmannus explicat *in puteum demittunt* ad Ovid. Met. VII. 444. ubi pro *composito Scirone* ex Cod. Regio legendum suspicatur *deposito,* i. e. proiecto in mare. Cf. Hegesipp. III. 26. *miserabilem in fluctibus vitam deponebat.*

saxis, quae circum erant) Sall. Hist. II. 6. *omnes, qui circum sunt.* Cf. ad c. 13.

cuius neque consilium unquam neque virtus frustra fuit) Ex Sall. Iug. 7. *quippe cuius neque consilium, neque inceptum ullum frustra fuit.* ubi Sept. laudant Intpp.

circumventus, a quibus minime decuerat) Sall. Iug. 14. *fratri, quem minume decuit — vitam eripuit.* et infra: *immaturo, et unde minume decuit, vita erepta est.* Cic. Epist. V. 1. *nunc video illum circumventum, me desertum, a quibus minime conveniebat.*

consilii expertem) Laudat Wass. ad Sall. Cat. 17. *consilii huiusce participes nobiles.* ubi *consilium* pro coniura-

tione capit. Cf. Sept. I. 20. *particeps consilii.* Hegesipp. I. 22. *neque expers consilii eius Antipater fuit.*

veluti publicitm funus eius) Vid. Praefat. p. XXXIX.

XVI. *ministras et veluti officinam belli*) Sensus: ratus finitimas civitates, vel potius opes ex praeda earum comparatas, adiuvare Graecos in bello contra Troianos gerendo. Cic. de Leg. I. 13. *philosophi, qui quasi officinam instruxere sapientiae.* Brut. 8. *Isocratis domus quasi ludus quidam et officina dicendi.*

qua pergebat) Pluribus exsequitur illa Sallustii Iug. 20. *Ceterum, qua pergebat, urbis, agros vastare, praedas agere; suis animum, terrorem hostibus augere.* Cf. infra c. 27. *cunctis, qua pergebat, in fugam versis.*

depraedati omnibusque vexati) *Depraedati* passive. *Depopulatus* vi passiva poni, docet Oudend. ad Caes. B. G. VII. 77. Scriptoribus posterioribus amatus est usus verborum deponentium instar passivorum. *Omnibus* profectum videtur ex Graeco πάντῃ vel παντάπασι, i. e. omnibus modis.

dimidio fructuum pacti) Sensus: inita pactione pro dimidia fructuum Graecis concessa parte nanciscuntur agrorum incolumitatem. Heinsius ad Vell. Pat. II. 38. 1. cum Sept. comparat: Liv. IX. 43. *inducias pacti sunt bimestri stipendio frumentoque.* X. 37. *pacem petiere, et vestimentis militum frumentoque pacti cum consule, ut mitti Romam legatos liceret, inducias — impetraverunt.* et alia. Adde Liv. XXV. 33. *paciscitur magna mercede — ut copias inde abducant.*

dant fidem pacis, atque ab eo accipiunt) Consueta formula *data et accepta fide.* v. Cort. ad Sall. 24. 3. Cf. Sept. V. 6. *dextrae invicem datae et acceptae sunt.* Supra c. 6. *acceptis datisque donis.* Hegesipp. I. 41. *concubina dono datur atque accipitur.*

XVII. *contentus eorum*) De constructione vocis *contentus* cum Genitivo v. Voss. de Construct. c. 2. et Heins. ad Vell. Pat. II. 88. 2, quos una citatos in hanc rem video etiam ab Oudend. ad Apul. Met. IV. p. 257 et Burmann. ad Ovid. Met. V. 169, ad quem locum Septimii meminit Heinsius.

Chrysi) Cap. 19. *Chrysi, Brisi, Teuthranti,* pro Chrysis,

Brisis, Teuthrantis. De quo Genitivo optimis scriptt. usitato lege sis, quae disputant Munck. ad Hygin. fab. 70; Cort. ad Sall. Hist. I. p. 934; Brem. ad Nep. Them. c. 1. p. 33. Cf. ad III. 21. n. cr.

pugnando cepit) i. e. vi et virtute, non per fraudes aut deditionem. Sall Iug. 28. *urbes aliquot pugnando cepit.* Cat. 7. *quas urbes — pugnando ceperit.* ubi v. Cort. Hegesipp. I. 30. *Ioppen pugnando cepit.* Plautus iungit *vi pugnando capere* Amph. I. 1. 258. Asin. 3. 2. 9; et *vi pugnandoque* Mil. Glor. 2. 2. 112.

XVIII. *diffidens rebus suis deditionem occoepit*) Sall. Iug. 74. *diffidere rebus, ac tum demum veram deditionem facere conatus est.*

aurum — affatim praebebantur) Sall. Iug. 54. *frumentum aliaque — affatim praebita.* Supra c. 6. *frumentum aliaque necessaria affatim portabantur.* quem locum citat Oudend. ad Apul. Met. I. p. 76.

frumentum totius anni) Caesar B. G. VII. 71. *frumentum dierum triginta.* Sall. Iug. 75. *frumentum dierum decem.* Gell. IX. 2. *panis triginta dierum.* Xenoph. Anab. I. 1. 10. *μισθὸς τριῶν μηνῶν.* Cf. Malel. in n. cr. — Ad *per omnem exercitum* intell. distribuendum.

naves on., quas — habuerat, replet) *Habuerat* pro assumserat, habebat. ut c. 31. *cunctos, quos secum habuerat, in armis esse iubet.* III. 4. *Dein ceteros, quos — rex secum stipatores habuerat — fundit.* VI. 10. *sive — ob eripienda, quae secum habuerat, circumventa interierit.* In aliis etiam verbis haec enallage frequentissima est. Adi quae infra ad IV. 2. Wopkens. p. 26.

solitario certamine) Vid. Praefat. p. XLI.

XIX. *ipsi clari atque magnifici*) Sall. Iug. 4. *atque alia omnia huiuscemodi per se ipsa clara et magnifica sunt.*

conductis in unum) Cap. 2. *qui — in unum conduci potuere.* V. 6. *auxilia conducta.* Sall. Iug. 51. *milites in unum conducit.* Cf. Vinding.

mediosque statuentes) Graec. *καὶ μέσους τιθέντες.*

consilium — haberi) Cap. 20. *quorum consilium haberi solitum erat.* quem locum affert Cort. ad Sall. Iug. 62. 4.

eorum atque aliorum — consilium habet. Lib. V. 16. *consilio habito.* Frequentem Livio esse formulam *consilium habere* docet Gronov. ad Liv. XL. 2.

excepta — coniuge Astynome) Ex hoc Ablativo absoluto ad sequens *Agam. obtulere* intelligas velim *eam*; plane ut c. 49. ex Ablativo absoluto *sublata* ad *suspensam retinerent* intelligi debet *eam*. Multa exempla, in quibus huius casus loco simili modo alium exspectes, congessit Cort. ad Sall. Cat. 9. extr. Iug. 63. 1. Iug. 33. 2. Cf. Wopkens. p. 26 sq. Admodum amata haec ratio Graecis est. Plutarch. Them. 29. *οὐ μὴν ἀλλ' εἰς ὄψιν ἐλθόντος* (Themistoclis) *αὐτοῦ* (Xerxis), *καὶ πάλιν προσκυνήσαντος, ἀσπασάμενος καὶ προσειπὼν φιλοφρόνως ὁ βασιλεὺς — ἔφησεν.* ubi Reiskius Annot. Vol. I. p. 839. iniuste corrigit *ἐλθόντα — προσκυνήσαντα*, cum intelligendum modo sit in sequentibus *αὐτόν*.

eiusdem aetatis atque alimonii) i. e. cum in eadem aetate agerent, simulque nutritae et educatae essent. Consimiliter Apul. Met. II. p. 89. *parentis tuae non modo sanguinis, verum alimoniarum etiam socia.*

genibus — obvolutae) Dixi de hac phrasi in Praefat. p. XLV.

magnis precibus) pro: multis; ut Nep. Dion. 1. *magnae divitiae.* Alcib. 9. *magna pecunia.*

ob singulorum merita) i. e. pro meritis. Dixi ad I. 18.

in medios intulere) Lib. III. 5. *progressus in medios.* Virgil. Aen. X. 575. *in medios se infert.* IX. 438. *ruit in medios.* XI. 149. *venit in medios.* Graec. *εἰς μέσους* (scil. *Ἕλληνας*) *εἰσήγαγον, εἰςήνεγκον.*

auri atque argenti, quantum) Pendet Genitivus ab omisso *tantum*, cui respondet *quantum*. Sic Graeci dicunt *ὅσον*, omisso *τόσον*.

egregia laborum — facinora) Potuit omittere *laborum*; sed aemulatur Sall. Iug. 2. *ingenii egregia facinora*, quibus opponuntur facinora corporis. *Res cunctae studiaque omnia nostra corporis alia, alia animi naturam sequuntur*; ut ibidem ait Sallust. Supra: *laborum atque industriae documenta.* c. 5. *plurima laborum monumenta.* Cf. ad III. 21.

divisis in singulos) i. e. inter singulos. v. Wopkens. Vol. II. T. X. p. 142.

XX. *negotium gerebatur*) Lib. III. 3. *negotium, ut gestum erat.* Cic. Rosc. Com. 12. *Praeclare suum negotium gessit Roscius.* Saepissime sic iurisconsulti.

per absentiam) De hac formula moneo ad lib. VI. 2.

ab amico quondam) i. e. ab eo, qui quondam amicus erat, a pristino amico. Lib. IV. 1. *a tumulo Ili, regis quondam.* V. 3. *cui non amicus antea — inveniri posset.* III. 5. *paulo ante repulsa*, scil. accepta. III. 14. *paulo ante insolentia*, scil. exercita. Eadem ratione Iustin. II. 12. *bellum inferre olim conditoribus vestris, nuper etiam vindicibus, cogitatis.* XIII. 6. *alterius Alexandri quondam uxoris.* XXII. 8. *amico antea patris.* Curt. X. 3. *a Cyro quondam rege Persarum.* Spartian. Hadr. 4 et 9. *tutoris quondam.* 23. *insidiatoris quondam.* Trebell. Poll. in Valer. pat. et fil. c. 1. *Valerianus, censor antea.* Et alii posteriores amant hunc graecismum, a poetis acceptum; quippe Virgil. Aen. I. 198. *ante mala.* Plaut. Pers. III. 1. 57. *nunc homines.* ubi v. Scalig. Cf. Oudend. ad Apul. Apol. p. 456; Wopkens. p. 51; Obrecht. ad c. 21.

lamentationem cum lacrimis) i. e. lacrimis permistam; vel: et lacrimas. Cap. 22. *suffusis cum moerore lacrimis.* Apul. Met. VIII. p. 556. *fletu cum clamore sublato.* Senec. Octav. 266. *Renovare luctus parce cum fletu pios.* ibid. cf. 315. 365.

accipientes) i. e. audientes; ut et c. 6. 10. 24. 25. et persaepe. Res nota.

iniuriae — patientes) Vid. Praefat. p. XL.

XXI. *Credo ego vos, Troiani princ.*) Notum exordium orationis Ciceronianae pro Rosc. Am. *Credo ego vos, iudices, mirari, quid sit, quod, cum* cet.

satis compertum habere) Exordium Catilinae ad milites hortationis Sall. Cat. 58. *Compertum ego habeo, milites.* Cf. Liv. XXVI. 48. *se satis compertum habere.*

nihil temere — nihil inconsultum incipere) Sall. Iug. 93. *exploratis omnibus — non temere — sed tentans omnia et circumspiciens.*

provisum atque elaboratum) Liv. XXXVI. 17. *satis provisum atque praecautum est.* ubi et alios libenter sic coniungere docet Gronovius. *Elaboratum* de re, quae intentis viribus efficitur.

facta gestaque) Disputavi de hoc loquendi genere in Praefat. p. LIV.

facta — culpa sequeretur) Attulit hunc locum Cortius ad Sall. Cat. 53. extr. *ita, quo minus gloriam petebat* (Caesar), *eo magis sequebatur* (eum gloria).

de consilii sententia) Sic loquitur et Cic. Verr. II. 5. 21; ut et Hegesipp. IV. 25. Pro eo Sept. I. 4. 12. II. 6. et Nep. Phoc. 3. *ex consilii sententia.*

quibus — nihil — remissum est) Duae orationis sensus est: Praeter minas insidiasque, quibus legati petiti sunt, Priamus regulique nihil remisere in eos moliri, nihil contra eos reliquere intentatum. Alii aliter explicant. v. Wopkens. p. 28.

superbas verborum minas) Liv. I. 46. *nullis verborum contumeliis parcere.* Sueton. Calig. 2. *Germanicum gravissimis verborum ac rerum acerbitatibus affecit.* Sulpic. H. S. I. 51. 1. *cum verborum contumeliis denuntians.*

impetrari nequitum est) Perizonii Diss. §. XXXIX. disputatis adde Cort. ad Sall. Iug. 31. 8, ut et Wass. (34), qui inter alia Hegesippi (II. 4) locum produxit: *quod abs te magno pretio impetrare nequitum est.* scrib. *impetrari*, ut est etiam in al. Edd. Apud eundem Hegesipp. V. 21. scrib. *ubi nequitum occurri*, non *occurrere*, ut vulgo legitur.

inire consilium) pro ineundi. Cap. 23. *potestas mederi.* V. 6. *ulcisci hostes suos finis est.* I. 10. *optionem offert — regredi.* Epist. *cupido — disserere.* Cf. Oudend. ad Caes. B. G. VII. 26; Cort. ad Sall. Cat. 4. 1; Brem. ad Nep. Lys. 3.

morem modestiamque) Laudat Wass. ad Sall. Cat. 50. *eos mores eamque modestiam viri cognovi.* Iungit Liv. XXVI. 48. *modum modestiamque.*

oratum venimus) Idem c. 28 et 51. Affert Sept. Cortius ad Sall. Iug. 24. 1. *oratum mitto.* Cf. Plaut. Amph. Prol. 20 et 50.

male consulta) ut et lib. IV. 22. V. 6. loquitur. Sall.

Iug. 92. *bene consulta.* Plaut. Mil. Glor. 3. 1. 6. *bene consultum.*

XXII. *reputate cum animis vestris*) Sall. Iug. 13. *cum animo reputans.* Apul. Florid. p. 29. *reputet cum animo suo.* Cato apud Gell. *cogitate cum animis vestris.*

quanta clades, veluti contagio) Sall. Hist. IV. *tanta vis avaritiae, veluti tabes, invaserat.* Sulpic. H. S. I. 23. 5. *tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido, veluti tabes, incessit.* Et sic alii. v. Wass. ad Sall. Cat. 37. extr.

cui virile negotium est) Ad sensum bene explicant Mercerus et Obrechtus: cui domi uxor, qui vir est. Perperam autem Obrechtus ex Cicerone (Attic. II. 13.) attulit *negotium Callisthenis*, pro: Callisthenes; qui locus duabus ex causis non patitur comparationem: primum quia sic loquitur Cicero in contemtum istius hominis; tum vero verba *cui virile negotium est* ex Ciceronis illa phrasi explicanda essent non *qui vir est*, sed *cui vir est.* Etiam ex Plauto et Gellio petita exempla huc non pertinent. Accipe: cui res virilis est, virile officium, virilis pars, der die Rolle eines Ehemanns spielt. Pro arbitrio Septimius locum Sallustii (vid. n. cr.) tractavit: melius missum fecisset, inhonestamque locutionem evitasset.

omnia suspecta atque insidiosa) i. e. ut suspecta atque insidiarum plena. Cap. 25. *insidiosa cuncta atque adversa.*

quis frater fratri aditum pat.) Affert Cort. ad Sall. Iug. 10. 5. *quis autem amicior; quam frater fratri?* Cf. Vinding.

culpae eius vacui) *Vacuus* sequente Genitivo Sall. Iug. 90. *ager frugum vacuus.* Apul. Florid. p. 66. *animae vacuus.* Hegesipp. I. 44. *vacuus gravioris curae ac solicitudinis.* ibid. *vacuus criminis.*

nati — libidini) pro: ad libidinem. Sall. Iug. 31. 11. *imperio nati.* ubi v. Cort. Tacit. Agric. 31. *natus servituti.* Hegesipp. I. 44. *natus regno.* Cf. Bentl. ad Terent. Eun. 3. 2. 7.

ut affectae sint) i. e. in quam infelicem conditionem sint coniectae, quae mala iam perpessae sint. *Affectus* absolute sic, et in malam partem Apul. Met. I. p. 34. *ultime adfe-*

ctus, ad quandam cauponam — devorto. Et sic optimi scriptores.

spero confore) i. e. perfici posse. Terent. Andr. I. 1. 140. *et spero confore.* ubi v. Ruhnken. Dictat. p. 25. Plaut. Mil. Glor. 3. 3. 66. *Confido confuturum.*

res integra in manibus vobis est) i. e. in vestra adhuc potestate et arbitrio sita est, ita ut alterutram partem sequi liceat. Eodem sensu *integrum est* dicitur c. 26. *Differe inimicitias haud integrum vobis est.* Cic. Tuscul. V. 21. *atque eis integrum quidem erat.* Plura de hac formula Ruhnken. ad Terent. Hec. I. 2. 5. Dictat. p. 214; Drakenb. ad Liv. XL. 17. 6. — Verba *in manibus* abundanter adiecta sunt, quippe quae fere idem sonent, quod *res integra est.* v. Cort. ad Sall. Iug. 14. 4.

etiam atque etiam providete) Sall. Iug. 85. *etiam atque etiam reputate.* Horat. Epist. I. 18. 76. *etiam atque etiam adspice.*

XXIII. *alienam sententiam exspectantibus)* Sall. Cat. 52. *alius alium exspectantes cunctamini.* Tacit. Hist. I. 55. *ceteri silentio proximi cuiusque audaciam exspectantes.* Eadem vi Liv. II. 10. *circumspectare.*

auctorem) vocat, quem Sallustius *principem* Hist. I. 9. *ne, alius alium principem exspectantes, antecapiamini.* ubi Sept. citat Cort. Infra c. 26. *in inchoando proelio fite auctores*, i. e. principes. c. 42. *auctor audendi.* Cf. Gronov. ad Liv. XXIV. 43. *auctore Fabio.*

scientes prudentesque) Saepe haec a Romanis iunguntur, ut docuerunt Cort. ad Sall. Hist. I. p. 954; Ruhnken. ad Terent. Eun. I. 1. 27. Dictat. p. 92.

cupiditas utilitate potior) Lib. V. 16. *quibus magis libido desideriumque in femina, quam summa militiae potiora forent.* V. 15. *divitias potiores civibus suis.* Sall. Iug. 83. *amicitia bello potior.* Iug. 67. *turpis vita fama integra potior.* Iug. 62. *omnia bello potiora.*

per ordinem) Lib. III. 9. *per ordinem circumeunt.* VI. 8. *per ordinem narrant.* Iustin. XVII. 3. *Per ordinem deinde regnum ad Arrybam descendit.* Hegesipp. II. 13. *reliquos per ordinem huiusmodi elegit.* Oros. I. 17. *nec per ordinem*

nunc retexere nostrum est. I. 19. *per ordinem disserere.* V. 2. *veterum gestis per ordinem explicitis.*

a bono honestoque elapsi) Insolens formula. Perizonius Diss. §. XV. comparat Graecum τοῦ καλοῦ κἀγαθοῦ ἐκπεσόντες. Attamen similiter Tacit. Hist. IV. 81. *illi elapsi in pravum artus.* Aemulatur noster Sall. Iug. 29. *a bono honestoque in pravum abstractus.*

ut erant atrocia) Apul. Met. I. p. 30. *At ille, ut erat capite velato, sine, sine, inquit.* p. 42. *auctorem — cum tota domo — ut erat clausa, ad centesimum lapidem transtulit.* et sic saepe Apul.

nunciatum ad Pr. mitterentur) Sall. Iug. 108. *nunciatum ad Sullam mittitur.* Infra c. 27. *nunciatum Iliensibus mittitur.*

XXIV. *filii nuncio*) i. e. nuncio de filio, scil. allato.

ad id tempus) i. e. circa illud tempus. Cic. Quint. Fratr. II. 15. *cuperem te ad id tempus venire, quod dixeras.*

praeiactis probris) Festus v. *pone: praeiicientes probra.* Dicunt Sall. Iug. 85. et Cic. pro Domo c. 29. *probra obiectare.* Tacit. Hist. IV. 45 et Sulpic. H. S. I. 43. 3. *iacere.* Liv. XXIX. 9. *iactare.*

eundem casum atque exitum utriusque custodiendum) Explica: cavendum esse Graecis, siquidem quidquid ex decreto in Polydorum caderet, quodque mortis esset genus, cui traderetur, eadem eventura essent Menelao. *Casus* i. q. sors, vel dictum de eo, quod in aliquem cadit. Lib. III. 14. *si fortuna in se casum mutaret.* *Exitus* per εὐφημίαν pro exitu e vita, morte. v. Cort. ad Sall. Cat. 55. 6. *Custodire* i. e. cavere; qua notione Graecis usitatum φυλάσσεσθαι. v. Perizon. Diss. §. XV. Raro ita Latini. Cf. Colum. IV. 24. 11. *putator custodire debet, ne proximas* (vites) *relinquat.*

ad manus processerat) Cic. Ver. V. 11. *res venit ad manus.* Nep. Eum. 5. 2. *ad manum accedere.* Cf. Veget. Mil. I. 21.

inquietum) Ad Vell. Pat. II. 68. 3. ubi *inquies* pro inquietus ponitur, multis huius dicendi formulae allatis exemplis, Ruhnkenius obiter monet, loqui ita etiam Sept. II. 24: aperto errore; cum in lectione *inquietum* nulla mihi comperta sit varietas.

XXV. *cum virtute, tum consilio bonus*) Ad Hectorem transtulit Iugurthae elogium ex Sall. Iug. 7. *et proelio strenuus erat, et bonus consilio.* OBRECHT. Hegesipp. I. 1. *bello strenuus, consilio bonus.* V. 10. *virum et manu promptum, et bonum consilio.* Ad Sall. loc. Septimii meminit Wasseus. *Bonus* etiam ad *virtute* spectat; et saepe, ut Graec. *ἀγαθός*, de bellica virtute dicitur.

cum amicitia) i. e. amice. Cic. Tuscul. V. 34. *cum pace*, pro pacate. Cf. ad I. 2.

facta fortia) Plerumque dicitur *fortia facta*, ut cap. 44. Attamen altero ordine habes *facta fortia* c. 34. III. 9. et Sall. Iug. 85.

erutis — civitatibus) ut Virgil. Aen. II. 612. *totamque ab sedibus urbem eruit.*

admissi) Substantive, pro: admissi facinoris. v. Wopkens. p. 31.

ita ut res est) Expectes *esset*; ut lib. V. 3. *quoniam praeterita revocare nulli concessum est, praesentium habendam rationem.* Sed saepe scriptores orationi indirectae inserunt sermonem directum. Sall. Iug. 54. *hortatur, ad cetera, quae levia sunt, parem animum gerant.* Dares c. 31. *Omnibus placitum est, debere fieri, quod Argivi petunt.* Cf. Cort. ad Sall. Iug. 63. 1. Laudat Sept. Oudendorp. ad Apul. Met. II. p. 169.

neque — paterentur, et) Respondent sibi *neque — et.* Cap. 38. *quum neque instantibus cederetur, et exemplo strenuiss.* cet. Sall. Iug. 31. *profecto neque respublica vastaretur, et beneficia vestra penes optumos — forent.* Et sic alii.

cum gratia) Lib. IV. 22. *eosque cum gratia cupere — bellum omittere* i. e. non invitos, sed lubenti animo. v. Ruhnken. ad Terent. Andr. II. 5. 11. Dictat. p. 50.

tristior — suffusisque cum m. lacrimis) Explica: erat tristior, et erat suffusis lacrimis. Sall. Iug. 63. *nemo tam clarus, neque tam egregiis factis erat.* Ad sententiam cf. Virgil. Aen. I. 228. *tristior et lacrimis oculos suffusa nitentes.* Impedite intruditur, et superfluum est τὸ *cum moerore*, cum praecedat *tristior.*

quam legatis videretur) Vid. Wopkens. p. 33. Cf.

Hom. Il. III. 286. *τιμὴν δ' Ἀργείοις ἀποτίνεμεν, ἥντιν' ἔοικεν.*

XXVI. *iracunde atrox*) i. e. atrox usque ad iracundiam. Tacit. Ann. I. 3. *stolide ferox.* Ammian. XV. 5. *abiecte ignavus.* Apul. Apol. p. 542. *mulier sancte pudica.* Cf. Wopkens. p. 33. Pro his Apul. Met. IX. p. 660. *ad extremam vesaniam vecors.* Ammian. XIV. 7. *audaces usque ad insaniam.*

proprio spoliatus) Substantivi loco *proprio* accipiendum: vel potius ex sequente *matrimonium* hic intelligendum *matrimonio;* cuiusmodi ellipseos similia exempla dat Gronov. ad Liv. XXX. 7. Ipse Sept. V. 12. *retinentem utraque manu, ad aram iugulat.* ubi ex *ad aram* ad praecedentia intelligendum *aram.* III. 14. *apportataque in flumine praecipitant*, i. e. apportataque ad flumen in flumine praecip. *Matrimonium* autem ponitur pro uxore, coniuge; ut et lib. VI. 6. *ad vindicandam matrimonii iniuriam.* et supra c. 14 et VI. 3. *coniugium.* De qua significatione consulas Lips. ad Tacit. Ann. XII. 65; Burmann. ad Sueton. Caes. 51; Duker. ad Flor. I. 1. 25; Wopkens. p. 34, quem explicationem meam iam praevenisse video.

ne haec quidem) Exspectes *hae*, scil. Cassandra sive Polyxena. Notanda generis enallage. Lib. I. 7. *videbant quippe, quantae opes — advectae essent: quae universa — necessario amitterent*, pro: quas universas opes. Prolog. *litteras Rutilio — obtulit. Ille — ad Neronem oblata sibi transmisit.* exspectes: oblatas litteras. Alia Burmann. ad Phaedr. IV. 1. 5.

in rem eius) i. e. commodis et utilitati eius. v. Ruhnken. ad Terent. Andr. III. 3. 14. Dictat. p. 58; Gronov. ad Liv. XXX. 4.

qui e Graecia sunt) i. q. Graecis. ut Dares c. 9. *hi qui in insula erant*, i. q. insulani. cf. Wopkens.

Cretae) pro Cretensibus. Sic Iuvenal. Sat. XIV. 240. *Thebae* pro Thebanis. De quo poetis familiari usu vide Burmann. ad Ovid. Met. IV. 668, et quos ibi laudat viros doctos.

iuventus — abunde nobis est) Sall. Cat. 21. et Iug. 14. attulit Vindingius.

placida oratione) Laudat Cort. ad Sall. Iug. 72. 1. *placide respondit.*

inchoando) i. q. incipiendo. Oros. IV. 11. *Post annum tertium et vigesimum, ex quo bellum Punicum primum fuerat inchoatum.* pro quo lib. V. 23. *decimo anno belli incepti.*

site auctores) Plaut. Curcul. I. 2. 63. *site causa mea Lydi barbari.* ibid. I. 1. 89. *site mihi volentes.* A Nonio p. 475. Merc. afferuntur Catonis verba: *Tu dives sito*; et Crassi: *Socii nunc site viri.*

consilio abeunt) Sall. Iug. 107. *castris abire.* Tacit. Ann. II. 19. *sedibus.* Virgil. Eclog. VII. 56. *montibus.* Sedul. Carm. V. 268. *fractis abire sepulcris.*

XXVII. *poenas luit*) Eadem formula c. 39. 41. III. 10. 23. Significationem verbi *luere* expedit Perizon. ad Sanct. Min. III. 2. p. 278. Cf. Ruhnken. ad Terent. Phorm. V. 7. 80. Dictat. p. 268.

eas ingressus) Cap. 18. *ingressusque eorum regionem.* Sall. Iug. 30. extr. *acriter Numidiam ingressus.* ubi inter alia Sept. citat Wasseus.

cuiuscemodi pecora) Adi Praefat. p. L.

XXVIII. *cum Agam. degere*) Cap. 33. *quae cum Achille degeret.* Additur *vitam* lib. IV. 18. *in qua reliquam vitam degeret.*

religione tanti numinis) Infra: *ob religionem Apollinis*, i. e sanctitatem, maiestatem. Cic. Invent. II. 1. *propter fani religionem.* Tacit. Hist. I. 4. *templorum religione.*

praeferens dei vultus) Plin. H. N. XXXV. 2. *vultus Epicuri per cubicula gestant.* Capitolin. in Gord. trib. 10. *vultus sunt propositi.* Senec. Octav. 675. *Affligat humi violenta manus Similes nimium vultus dominae.* quibuscum cf. v. 783 sqq. In his *vultus* pro effigie, simulacro. Alia legi possunt apud Salmas. ad Vopisc. Prob. 23. p. 686.

magnificarent) i. e. magni facerent, revererentur. Verbum hoc legebatur Terent. Hec. II. 2. 18; Plaut. Crist. I. 1. 23. Menaechm. II. 3. 19. Stich. I. 2. 44. Pseud. IV. 1. 34. idque Auctori ad Herenn. IV. 21. restituit Graevius. Verum contra librorum auctoritatem ex Terentio Plautoque illud eic-

cit Bentleius, legitque *magni facere*. v. Ruhnken. ad Terent. loc. Dictat. p. 218. Etiamsi verum sit, librarios *magnificare*, quod ipsis e vulgata Bibliorum versione erat familiare, alteri passim substituisse, tamen persuadere mihi non possum, omnibus hisce locis esse adulterinum. Immo si non omnibus, multis tamen locis illud genuinum puto, atque ex iis Septimium, aeque ac Plinium, qui eo persaepe utitur, desumsisse arbitror. Cf. Vorst. ad Sulpic. Dial. II. 12. 5. et Obrecht. ad h. l.

per omnia) i. e. omnibus in rebus. Liv. IX. 17. *fortuna per omnia humana potens*. Saepe sic *per omnia* dicit Sulpic. H. S. I. 23. 5. Ep. I. 5. Dial. I. 10. 1. alibi. Cf. Manut. ad Vell. Pat. II. 31. 1. Velleius eodem sensu adhibet *in omnia*, ut docuit Heins. ad eius lib. II. 69. 3.

XXIX. *extrema metuentem*) Sueton. Vesp. 4. *extrema metuenti*. Virgil. Aen. VI. 457. *exstinctam ferroque extrema secutam*. In his *extrema* pro morte.

contumeliis lacerabat) Lib. V. 15. *lacerare utrumque regem, neque abstinere maledictis*. Utrumque locum citat Wass. ad Sall. Iug. 89. *cum omnibus locis me vosque maledictis lacerent*. Ammian. XXX. 1. *probrosis lacerati conviciis*. Cf. Cort. ad Sall. Hist. III. 11. p. 976; Bentl. ad Horat. Serm. II. 1. 85.

XXX. *fluxerunt dies*) Lib. III. 2. *ubi dies pauci fluxere*. Senec. Ep. 123. *fluunt dies, et irreparabilis vita decurrit*. Sabin. Epist. II. 17. *fluxere interea pede tempora lapsa fugaci*.

incertum alione casu, an) Lib. III. 15. *incertum pretio, an bellandi cupidine*. Tacit. Agric. 7. *incertum suo, an militum ingenio*. Sall. Hist. IV. 1. *incertum stolidior, an ferocior*. Sueton. Calig. 1. *incertum constantia, an pietate*. Et saepe scriptores *incertum* absolute adhibent, pro: cum incertum sit; plane ut Graci ἄδηλον ὄν, ut Thucyd. I. 2. ubi Schol. *ἀντὶ τοῦ· ἀδήλου ὄντος. Ἀττικὸν δὲ τὸ σχῆμα.*

mortuus ex hoc malo) Flor. IV. 12. 42. *Lucius morbo solvitur — Caius ex vulnere*. Tacit. Ann. I. 17. *truncato ex vulneribus corpore*. Eurip. Hec. 24. *σφαγεὶς Ἀχιλλέως παιδὸς ἐκ μιαιφόνου.*

attentatus) De hoc verbo Praefat. p. LII.

flagitare Calchanta) i. e. ab Calchante. v. Wopkens. p. 35.

haud liberum esse) i. e. in sua potestate non esse, haud licitum sibi esse. Cic. Phil. I. 5. *ita sine cura consules sunt, ut paene liberum sit senatori, non adesse.* Eodem sensu saepe Livius *liberum habere*, docente Gronovio ad eius lib. XXII. 34. extr.

contraheret offensam) Sueton. Vesp. 4. *gravissimam contraxit offensam.*

animos in se conciliavit) i. e. sibi amicos, propitios et faventes reddidit. Plane ut Plaut. Bacchid. 3. 6. 22. *Ille, quod in se fuit, accuratum habuit, quod posset mali Facere, et in me inconciliare copias omnes meas*, i. e. mihi inimicas et adversas reddere. Trahe huc etiam haec exempla: Plaut. Amph. 1. 1. 29. *bene quae in me fecerunt*, i. e. mihi. Trin. 5. 2. 4. *Si quid amicum erga bene feci, aut consului fideliter.* ibid. 2. 3. 5. *qui nihil aliud, nisi quod sibi soli placet, consulit advorsum filium.* Terent. Andr. 1. 1. 15. *Et id gratum fuisse advorsum te, habeo gratiam.* ubi v. Ruhnk. Dativum adhibet Sept. VI. 4. *uterque conciliatus sibi*; sed hic quoque loquendi formula paulo insolens est, pro: in gratiam reductus.

ob iniuriam sacerdotis) i. e. sacerdoti illatam, ut recte explicat Davis. ad Caes. B. C. III. 110. Sed male vir doctus comparat lib. I. 4. *ob iniuriam affinium*, i. e. quam fecerant affines. Illo enim loco iniuria passiva vi ponitur, hoc activa. Passive ponitur etiam lib. VI. 6. *ad vindicandam matrimonii iniuriam.*

restitutionem virginis) Dixi in Praefat. p. LV. De voce *virgo* v. Perizon. Diss. §. XV.

XXXI. *pernicie — anxius*) i. e. anxius, ne perderetur defessus exercitus. Liv. XXV. 40. *Hanno iam ante anxius gloria eius.* i. e. ne gloria ab eo vinceretur. Laudat praeterea hunc locum Oudendorp. ad Apul. Met. IV. p. 315. *et miseri quidem parentes eius tanta clade defessi.*

duce atque auctore) Cap. 42. *dux atque audendi auctor.* Sall. Hist. I. 10. *Aemilium — ducem et auctorem sequimini.* Flor. I. 9. 1. *Bruto Catilinoque ducibus et auctori-*

bus. Cic. Fam. X. 6. *senatui bonisque omnibus auctorem, principem, ducem praebeas.*

exitio vindicandum) scil. Agamemnonem. Rarius *vindicare aliquem* pro punire dici, putat Wopkens. p. 35. At Cic. Amic. 12. *talis improborum consensio — omni supplicio vindicanda.* Offic. III. 15. *atque iste dolus malus etiam legibus erat vindicatus.* Sall. Iug. 106. extr. *manu vindicandum, neque apud illum tantum scelus inultum relinquendum.* i. e. morte puniendum.

Quae ubi regi nunciata) Intell. sunt. Cap. 30. *Postquam nullus morbi modus,* scil. est. Lib. III. 9. *Postquam dies aliquot triti,* scil. sunt. V. 2. *unquamne nobis defuere fletus, aut sociis imminutae* (sunt) *calamitates?* Sall. Iug. 109. *Postquam — congressi,* scil. sunt; et saepe idem.

cuncta extrema ratus experiri) Sall. Cat. 26. *constituit — extrema omnia experiri.* Loco Sallustiani *constituit* Septimius eiusdem sensus posuit verbum *ratus*, quippe quod significet: cui ratum, certum, firmum, fixum animo fuit. A Wopkens. p. 36. affertur Venant. Fortunatus ap. Barth. ad Paulin. Vit. Martini I. 201. *ratus ire per Alpes,* i. e. conclusum habens. Sed adi ipsum virum doctum.

XXXII. *simul — animadvertentes, doctique*) Nexus *simul — que*, pro *et — et,* familiaris Septimio cum Livio, Sallustio, aliis. Cap. 48. *daret operam simul, voluntatemque negotio adhiberet.* III. 5. *simul subvenire his cupiens, et memor paulo ante repulsae.* III. 10. *clamorem inconditum simul, et tela in hostes coniiciunt.* et mox: *hortatur simul et instat.* Consulas etiam Gronov. ad Liv. XXXIII. 12; Cort. ad Sall. Iug. 70; Oudend. ad Sueton. Caes. 67.

debiles agere) ut c. 42. *quieti — egere.* Sall. Iug. 53. 2. *civitas — laeta agere.* ubi cf. Cort. Apul. Met. VIII. p. 520. *quamquam — laetus ageret.*

cohortati inter se) i. e. alius alium. v. ad cap. 52.

effusi portis) Laudat Cort. ad Sall. Iug. 69. 2. *alii volgum effusum oppido caedere.*

pergunt advorsum) Eadem praecisa locutio c. 39. IV. 9; ut III. 7. *pergunt obviam.* III. 5. *contra tendit.* III. 4. *adversum processere.* Et sic passim etiam alii historici.

Troianis duces) Cap. 42. *Queis Hector dux — factus.* IV. 9. *Quis dux Alexander.* Plane ut Cic. Cat. II. 5. *huic bello ducem.* Cf. Oudend. ad Apul. Apol. p. 594, qui Sept. produxit; Wopkens. Vol. IV. Tom. X. p. 21. sq. Sulpic. H. S. I. 29. 5. *Huic bello Iudas dux fuit.* Oros. I. 21. *dux proelio*, i. q. bello. III. 1. *Cui militiae — Agesilaum ducem decreverunt.* VI. 11. *Dux his Vercingetorix fuit.* Sedul. Carm. I. 127. *cui dux Christus erat.* Plaut. Trin. I. 2. 140. *dominus aedibus.*

armati atque instructi pro negotio) Lib. IV. 6. *armati instructique pro negotio.* Iustin. VI. 6. *armato instructoque exercitu.* Iungit Sall. Iug. 53. *instructi intentique.* Iug. 100. *armatus intentusque.* Similia dedi ad lib. I. 18. *Pro negotio* i. e. pro re, ut res et tempus permittebat. Dicit Sall. Cat. 59. *pro loco atque copiis exercitum instruit.* Iug. 50. *pro re atque loco procedere.* Iug. 57. *pro tempore atque loco paratis rebus.* Laudat Sept. Wasseus ad Sall. Cat. 72.

simplici forma) De qua vide Obrechti opinionem.

aciem composuere) Mox *composito exercitu.* Cap. 36. *aciem ordinant, magistro ac praeceptore componendi Mnestheo.* ibid. *ordinato exercitu*, ut I. 23. *exercitus ordinatus.* Promiscue Septimius dicit *componere* et *ordinare aciem* et *exercitum.* Nempe *componere* est ordine ponere, ordinare. Pariter Tacit. Germ. 6. *aciem componere.* Ann. XIII. 40. *exercitum componere.* pro quo Iustin. XI. 9. *aciem ordinare.* Atque *compositus et ordinatus* iuxta ponit Apul. de Dogm. Plat. p. 197.

curabant) *Curare* verbum proprium in re militari. Sall. Iug. 46. *in postremo C. Marius legatus cum equitibus curabat.* Iug. 57. *legatis imperat, ubi quisque curaret.* Iug. 100. *praeterea cohortes Ligurum curabant.*

in manus ventum) Tacit. Hist. IV. 71. *ut ventum in manus.* De qua formula, idem significanti, quod *venire ad manus* (cf. ad c. 24.), v. Gronov. ad Liv. II. 46. Graecis usitatum ἐς χεῖρας ἰέναι.

tracto certamine) i. e. cum certamen aliquamdiu durasset, productum esset, ut loquitur c. 41. *bellum producunt.* Eandem admittit explicationem Trebell. Poll. in Gall. duob. 4. *longoque bello tracto.* Oros. II. 9. *Proelium a principio*

noctis in maiorem diei partem tractum. i. e. duravit. III. 2. *tracto per aliquot aetates hoc continuo bello.* III. 22. *bellum quod per* 49 *annos — trahebatur.* Sueton. Octav. 16. *Bellum Siculum — diu traxit intermissum saepius.* Flor. IV. 2. 13. *Decem annos traxit ista dominatio.* ubi cf. Duker.

nox — proelium diremit) Saepe ita historici. Cf. Liv. XXI. 59; Sall. Iug. 60 extr., ubi Sept. affert Cort.

XXXIII. *decus regium*) pro imperium. Originem locutio debet Sallustio. v. ad III. 20. Cf. Liv. IX. 42. *quando belli decus penes alios esset.* Hegesipp. IV. 26. *regni decus.* V. 4. *militiae decus.*

cordi esse) Idem c. 48. 49. III. 21. *Cordi est, honeste dictum, animo sedet,* ait Nonius p. 88. Merc., et affert Lucil. lib. XXVI. *Et quod tibi magnopere cordi est, mihi vehementer displicet.* et eiusdem: *Si tibi porro isthaec res iccirco cordi est, quod rere utilem.* Alia affert Ruhnken. ad Terent. Andr. 2. 1. 28. Dict. p. 42.

neque ult. differre, quin) Forma simili Sidonius IV. Ep. 25. *neque differre, quin grandis communione te gaudii festinus impertiam.* Wopkens. p. 37.

connivente Achille) i. e. adnuente, concedente, assentiente. Explicationi scil. sunt infra sequentia: *tanquam ab omnibus concessa res videretur.* Sequior latinitas est. Ammian. XIV. 11. *eadem rerum domina connivente.* Du Cangius Lex. med. et inf. Lat. affert veterem inscriptionem Massiliae: *Augustius Augustalis connivente Dunnio fratre eius haerede ponendum curavit,* pro assentiente. Forte tamen Septimii verba optimae latinitati vindicari liceat, qua *connivere* saepe ponitur pro: indulgentem, obsequentem se praestare. Nam infra c. 34. *patientia* explicatur: indulgentia.

effectum habuit) Dixi in Praefat. p. LV.

Tantus amor cet.) Amat hunc nexum cum Sallustio. Lib. V. 17. *tantus amor — incesserat.* V. 13. *tantus dolor incesserat.* Sall. Cat. 7. *tanta cupido gloriae incesserat.* Iug. 84. *tanta lubido plerosque invaserat.*

exercitum erga) Terent. Heaut. I. 2. 15. *se erga.* II. 3. 24. *me erga.* Eiusdem generis est c. 5. *Priamum adversum.*

adversa cunctorum voluntate) Sall. fragm. VI. 9. *cuius adversa voluntate* Iug. 113. *adversae voluntates.*

lictoribus) Nominantur *lictores* etiam c. 49. An vero etiam apud Troianos lictores eo more, quo apud Romanos? An more Rom. tantum loquitur? Qui apud Homerum praecones et fidi ministri vocantur, hic sunt intelligendi, quos Septimius lictores nuncupat, quia horum apud Romanos familiarius erat ministerium. Aemulatur Sallustium, qui Iugurthae lictorem attribuit, licet illud munus apud Numidas non obtinuerit. Vid. Cort. ad Sall. Iug. 12. 3. Idem cadit in *morum magistros,* qui c. 34. Graecis tribuuntur. Iosephus Iscanus, qui ad Septimium libenter respicit, lib. III. 9. *sacrificis bibulos lictoribus instruit ignes.* ubi cf. Dresem.

iussa efficiunt) Cap. 52. *mandata efficit.* Sall. Iug. 24. *Numidae paucis diebus iussa efficiunt.*

vis mali) Liv. XXIX. 10. *ni eadem vis mali — ingruisset.*

salubritas) opponitur pestilentiae Cic. de Div. I. 57. *ex colore tum salubritatis, tum pestilentiae signa percipiuntur.*

XXXIV. *eorum patientia*) Daceria exponebat: quod passi essent eam per iniuriam abduci; cavendumque praecipit, ne hoc imitemur. Sed latinitate sane proba atque imitanda *patientiam* dixit indulgentiam ignaviorem, qua ad res pravas conniveatur. Sall. Iug. 31. 1. *multa me dehortantur a vobis — opes factionis, vestra patientia, ius nullum.* cum nota Interpp. Wopkens. p. 37. Recte. Vid. ad loc. Sall. imprimis Wasseus. Attamen etiam Daceria non tam male explicuit. Nam Iustin. II. 1. *naturam — ad locorum patientiam animalia quoque generasse,* i. e. prout loci paterentur; vel pro locorum conditione, ut explicatur sequentibus: *sed et arborum atque frugum, pro regionum conditione, apte genera variata.*

bellorum victorias) Cic. Muren. 14. *victoriaeque eorum bellorum gravissimae fuere.* Cf. Plin. H. N. XXIX. 3. *victoriae litium.*

per iniuriam) pro: iniuste, contra ius; Accusativus cum Praepos., loco Adverbii. Sic c. 50. *per dedecus.* V. 2. *per scelus.* et alibi alia. Sall. Hist. I. 5. *per iniuriam malunt, quam optumo iure libere agere.* Cat. 20. *per virtutem, per*

dedecus. Gellius X. 3. *viros virgis per iniuriam caesos.* ibid. *per dedecus et maximam contumeliam.* Plura Cort. ad loc. Sall. et Bentl. ad Horat. Od. IV. 2. 29.

deseruissent) *Deserere* eo sensu, quo nos dicimus im Stich lassen. Sall. Cat. 45. extr. *Vulturcius primo — gladio se a multitudine defendit; dein, ubi a legatis desertus est — sese praetoribus dedit.* In eundem sensum dici etiam *relinquere,* docet Brem. ad Nep. Dat. 6. 3.

morum magistrum) vocat Phoenicem, quem lib. I. 14. *custodem et rectorem.* Significatur moderator studiorum, suasor et consultor. Artopoeus in Ind. reddit Hofmeister, dictus Plinio Epist. VIII. 23. *formator morum.* Bene: *Παιδαγωγός* enim Achillis audit Phoenix Auctori *τῶν Τρωϊκῶν* in Bibl. Uffenb. X. p. 665, *μνήμων* Ptolemaeo Heph. I., *moderator* Statio Silv. V. 193, *τροφεὺς καὶ ὀπαδός* Philostrato Vit. Apollon. IV. 11. p. 148. Cf. Obss. ad lib. I. 14.

obsequiis amicitiae carum) Sall. Hist. II. 6. *qui regi per obsequelam orationis — graves carique* (al. *clar.*) *erant.* Sulpic. H. S. II. 11. 1. *Artaxerxi merito obsequiorum carissimus.* Explicatur a Septimio Homeri saepe de Patroclo dictum *φίλος ἑταῖρος.* Cf. Obss. ad lib. I. 14.

XXXV. *tempore multo frustra trito*) Cap. 38. *diebus aliquot in otio tritis.* c. 7. *tritis aliquot diebus.* Sall. fragm. VI. 2. *ibi triennio frustra trito.*

apud arma essent) Promiscue Sept. dicit *apud arma esse* et *in armis esse.* Alteram formulam habes in seqq.: *omnes in armis nunciabantur.* Pariter c. 45. *iubent omnes frequentes apud arma agere,* pro quo lib. III. 13. *exercitus — in armis agit.* Omnino frequens apud Latinos usus praepositionis *apud* pro *in* seq. Ablativo. Supra c. 6. *qui apud naves erant,* pro: in navibus. Plaut. Asin. 2. 2. 63. *maior apud forum'st, minor hic est intus.* ibid. 3. 3. 16. *bene vale: apud Orcum te videbo. Nam equidem me iam — a vita abiudicabo.* Promisce *apud* et *in* ponuntur Plaut. Amph. 4. 1. 4. *apud emporium et in macello, in palaestra atque in foro: in medicinis, in tonstrinis, apud omnis aedis sacras.* Cf. Ruhnken. ad Terent. Andr. I. 5. 19. Dictat. p. 35. Pertinent huc etiam quae disputavi ad lib. I. 5.

dux atque imperator mil.) Sall. Iug. 1. *dux atque imperator vitae mortalium animus est.* Capitolin. in Maxim. duob. 11. *Denique etiam ipsi Tycum ex suis sibi ducem atque imperatorem fecerunt.*

ob mercedem) i. e. pro mercede. v. ad I. 18.

consilio atque armis pollebat) Sall. Iug. 96. *neque consilio neque manu priorem aliquem pati.* Ammian. XIV. 6. *consiliis armisque regem superasset.*

inconditis moribus, dispari sono vocis) Cf. Sall. Cat. 6. *dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viventes.*

XXXVI. *more militiae*) Sall. Iug. 58. *meritos in proeliis more militiae donat.* ubi Sept. affert Wasseus. Hegesipp. III. 3. *militem Romanae militiae more exercitare.*

magistro ac praeceptore) Mnestheum et Serestum Virgilius Aen. IX. 173. vocat *rectores iuvenum rerumque magistros. Magister militiae* familiarissima formula est Sulpicio et Hegesippo. De Septimii synonymis dixi ad c. 12.

intermitteretur) Videtur capi debere pro: intermissus esset, i. e. exclusus esset, vel fuisset. Nam longe ante haec coena habita est in insula Tenedo. Cf. Obss. Sic cap. 50. *plurimi etiam affinium obvoluti genibus deprecarentur*, pro: deprecati essent. Et alii scriptores Imperfectum Coniunctivi ponunt loco Plusquamperfecti Coniunctivi. Vid. Gronov. ad Liv. XXIX. 1. XXXIV. 11; Duker. ad Flor. III. 3. 13; Ruhnken. ad Terent. Andr. I. 5. 23. Dict. p. 36.

omnibus copiis) pro: cum omn. cop. Lib. IV. 4. *Memnon — ingentibus copiis — supervenit.* Flor. I. 10. 1. *aderat ingentibus copiis.* Res nota. Cf. Gronov. ad Liv. XXV. 22.

committere) pro: com. proelium. Sequior latinitas. Flor. IV. 2. 6. *si locum et spatium ubi, commissum est intra Italiam.* Laudat Sept., aliaque attulit Burmann. ad Val. Flacc. VI. 31. et ad Ovid. Met. XII. 68. Cf. Salmas. ad Capitolin. Clod. Albin. 9. p. 696; Cort. ad Iul. Exsuperant. B. C. 8. p. 1078; Wopkens. p. 38.

XXXVII. *per loca solita*) i. e. hic et illic variis in locis. Lib. VI. 5. *Phoenicum per maria praedantium.* Sall. Iug. 30. *Romae per omnes locos et conventus de facto consulis agitari.* Cat. 51. extr. *ipsos in vinculis habendos per muni-*

cipia. Hist. III. 3. *hiemem per oppida sustinui.* Et sic alii loquuntur.

corpus cibo curare) Lib. IV. 8. *corpora sua quisque curantes vino atque epulis.* Frequens apud historicos locutio, ut Liv. III. 2. XXI. 54. Cf. Virgil. Aen. VIII. 607.

ultum ire cupiens iniurias) Sall. Iug. 68. *cum maxuma cura ultum ire iniurias festinat.* Cf. ad VI. 1.

duces circumcursans — monet atque hortatur) Sall. Cat. 59. *ipse equo circumiens, unumquemque nominans appellat, hortatur, rogat.* Iug. 49. *circumiens monet atque obtestatur.* Et sic Livius, Tacitus aliique historici in militum cohortatione semper *circumire*, nusquam, quod meminerim, *circumcursare*, praeter Hegesipp. III. 24. *maximas acies circumcursat.* Ipsum tamen verbum probum est, quo utantur Cicero, Terentius, alii.

clamor ingens oritur) Sall. Iug. 57. *undique clamor ingens oritur.*

praeverso de se nuncio) Adi sis Praefat. p. LII. sq.

conata procedere) *Conata* passive. ut Sueton. Galb. 17; Vell. Pat. II. 9; Nep. Dion. 10. Cf. Drakenb. ad Liv. XLII. 11; Ruhnken. ad Vell. Pat. II. 35. 5.

ratus moveri — incoepturos) Vides Infinitivum Praesentis *moveri* poni loco Infinitivi Futuri *motum iri;* ut lib. V. 4. *suspicans tradi se Menelao*, pro: traditum iri. lib. IV. 16. *se omni ope conari respondit*, pro: conaturum esse. Alia ex Sept. dat Wopkens. p. 31. Permulta huiusmodi collecta sunt in Sanct. Min. I. 14; a Gronov. ad Liv. II. 5; Duker. ad Flor. I. 12. 8; Cort. ad Sall. Iug. 87. 4; Oudend. ad Caes. B. G. II. 32.

cupidus persciscere) Lib. III. 20. *avidi noscere.* Carminibus hic Infinitivi usus convenit. De verbo *persciscere* v. Praefat. p. XLV.

avidus ignara cognoscendi) *Ignara*, pro: ignota. Sall. Iug. 93. *cupido ignara visundi.* Hunc Sall. locum aliosque iam attulit Mercerus. Familiaris haec significatio Tacito est, ut et *gnarus*, pro: notus. Praeter Intpp. ad loc. Sall. cf. Heins. et Burmann. ad Ovid. Met. I. 134; Salmas. ad Plaut. Mercat. 5. 1. 12.

in manus — devenit) Aliquoties ita loquitur Cicero: Attic. I. 6. Fam. VII. 5. Habuimus *venire in manus* cap. 2.

XXXVIII. *productio — exercitus*) v. Praefat. p. XXXVIII.

composite a Graecis, ac singulis cet.) *A Graecis* i. e. a Graecorum parte. Liv. I. 12. *Principes utrinque pugnam ciebant: a Sabinis Mettus Curtius, ab Romanis Hostus Hostilius.* Tacit. Ann. IV. 25. *Ab Romanis confertus pedes, dispositae turmae, cuncta proelio provisa: hostibus contra, omnium nesciis, non ordo, non consilium.* Cf. ad lib. III. 11. Sensus loci: Conflixere acies, et quidem composite et ordinate a Graecorum parte, quorum singuli in suis quisque turmis imperia praefectorum exsequebantur: contra barbari sine modo atque ordine, incomposite, in certamen se praecipitavere. Verba *per distributionem*, quae et lib. III. 12. leguntur, malae sunt latinitatis, aeque ac lib. I. 19. *per aequationem.* Recte ea explicuere Daceria et Obrechtus.

sine modo — ruentibus) Liv. XXIII. 27. *sine imperio, sine signo, incompositi, inordinati in proelium ruunt.* Iustin. VIII. 1. *in exitium sine modo ruentes.* Cf. ad I. 19. *Ruere in bellum* Virgil. Aen. IX. 182. et saepe.

bello decedere coacti) Oros. II. 11. *quos excedere bello iubebat.* Sall. Cat. 9. *bello excesserat.* Ponitur *bello* pro proelio.

XXXIX. *concurrens cum Deiph.*) pro: accurrens. Liv. II. 11. *Herminius, ubi tumultum sensit, concurrit ex insidiis.* Apul. Met. IX. p. 657. *ipsoque illo momento — concurrit unus e cella vinaria.* Oros. VI. 15. *Hortensius quoque ab infimo mari cum classe concurrens.*

omnibus animis) Sall. fragm. VI. 44. *ardet omnibus animis.* Hist. III. 9. *quantis animis ierit.* I. 10. *tanto agmine atque animis incedit.*

contra se tendere) Comparat hunc locum Cortius cum Sall. Cat. 60. 5. *magna vi tendere.* Perperam. Nam ibi *tendere* est contendere, dictum de magna virium contentione. Hic est ire, pergere; ut lib. III. 5. *At ubi eum Achilles — animadvertit — contra tendit.* Sall. Iug. 91. *pedites contra tendere ad Capsam.* Alia dat Gronov. ad Liv. XXVIII. 14.

paratos armis atque animis) Inter alia id genus exempla multa viri docti producunt Sept. IV. 15. *Myrmidonas —*

armis atque animis confirmant. Adde Caes. B. G. VIII. 18. *animo atque armis parati.* Cf. not. cr. et Oudend. ad B. Alex. 45. Dares c. 38. dicit *paratus cum armis.*

XL. *pleno gradu)* Sall. Iug. 98. *cunctos pleno gradu in collem subducit.* ubi Sept. inter alia producit Wasseus (c. 102). Infra c. 42. *cursu pleno.*

advorsum cedens) *Cedere* notione eundi, incedendi, frequens in primis est poetis, ut abunde docuit Bentl. ad Horat. Sat. II. 1. 64. et Epist. II. 1. 67.

intra iactum teli pervenerant) Eadem formula lib. III. 4 et IV. 5. Curt. III. 20. *iam ad teli iactum pervenerant.* Virgil. Aen. XI. 608. *intra teli iactum progressus.* Apul. Florid. p. 7. *cernere — intra lapidis iactum.*

iaculi eventu) Idem sonare haec verba videntur, quod Ciceronis *teli emissio,* Vitruvii *sagittae emissio.*

locum vulneri inventurum) Lib. III. 6. *quaesitum — vulneri locum.* Similia ex aliis scriptt. dat Wopkens. p. 40. Cf. Curt. IX. 6. *honestae morti locum inveniam.* Terent. Andr. 3. 1. 10. *Quod remedium nunc huic malo inveniam?* Septim. III. 12. *busto locum dimetiuntur.* Apul. Florid. p. 74. *decreverunt locum statuae.* Senec. Med. 550. *vulneri patuit locus.*

dissimili casu) Incassum misit telum, aeque ac Paris.

parato — ad cavendum) Sall. Cat. 26. *neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutiae deerant.* Sueton. Claud. 37. *nullus auctor tam levis exstitit, a quo non — ad cavendum ulciscendumque impelleretur.*

ictumque declinante) i. e. declinando evitante. Sulpic. H. S. I. 35. 3. *nisi ille lethalem ictum propere declinasset.* Cf. Curt. IX. 7. *quam Dioxippus cum exigua corporis declinatione vitasset.* Cic. Orat. 68. *Ut enim — gladiatores videmus nihil nec vitando facere caute, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palaestram quandam: — sic oratio nec plagam gravem fecit, nisi petitio fuit apta; nec satis declinat impetum, nisi etiam in cedendo quid deceat intelligit.*

redarmatae) Vid. Praefat. p. XLV.

ictus femur) ut lib. IV. 7. *ictus inguina.* III. 8. *Dei-*

phobum — tibiam ferit. IV. 5. *debilitati — animos.* Accusativorum eiusmodi Graecorum exempla ex bonis scriptt. haud pauca passim enotarunt viri docti.

educto gladio) Eadem formula c. 49; Sall. Cat. 51; Vopisc. Numerian. 13; Ammian. XVII. 12; Sulpic. H. S. I. 72. Cf. Gell. V. 9. *deducto gladio.* Virgil. Aen. XII. 378. *ducto mucrone.* Ovid. Fast. V. 929. *vagina ducere ferrum.*

decernentibus) Nep. Hannib. 4. *Cum hoc eodem de Clastidio apud Padum decernit.* Intellige: armis. Saepe ita recentiores, ut Hegesippus.

globus barbarorum) Tacit. Ann. XII. 43. *militum globi.* Sall. Hist. III. 1. *globis eruptionem tentavere.* Graec. *σύστημα.*

XLI. *in ea permixtione*) Cum similibus hunc locum componit Wass. ad Sall. Iug. 45.

corpus eius liberatum ex acie) Citat Oudend. ad Apul. Met. IX. p. 632. *quo iam pro limine liberato.*

ancipiti fortuna) Cic. pro Marcell. 5. *incertus exitus et anceps fortuna belli.*

bellum ad occasum solis producunt) ut Cic. de Senect. 14. *convivium ad noctem producere.* Somn. Scip. 1. *sermonem in multam noctem producere.* Cf. Ruhnken. ad Rutil. Lup. II. p. 100.

custodibus — exercitus communivere) Sensus est: utrumque exercitum armatum et proelio paratum circumdedere custodibus et speculatoribus, quasi moenibus, quibus suos ab improviso hostium impetu tutarentur. Simili latinitate Plaut. Capt. 2. 2. 4. *vinclis custodiisque circummoeniti sumus.*

utrinque — haud longe) Sall. Iug. 59. *Duobus locis haud longe inter se castra faciebant. Longe* valet procul, et *inter se* valet inter se invicem: quae voce *utrinque* interpretatus est Sept. II. 41. *utrinque reges* cet. Wass. ad loc. Sall.

qui reliquus non pugnae opp.) *Reliquus* vi explicativa praeditum est hac: nempe reliqua eius pars. Lib. VI. 10. *qui in eo exercitu plurimi fuerant,* nempe plurima eorum pars. Virgil. Aen. II. 278. *vulnera — quae circum plurima muros accepit patrios.* Cic. Cat. II. 10. *qui — permulti — se in illa castra conferre dicuntur.* Constructio Graeca est. Parum discrepat Wopkensii p. 40. explicatio.

utraque pars) Recte haec verba expedivit Daceria. Troiani et Graeci intelligi nequeunt; nam Troiani intra muros abierant. Aiax Telamonius hoc tempore hostiliter contra finitimas civitates agebat; et Hector, Graecis quiete circa agriculturam occupatis nihilque hostile suspicantibus, eruptionem parabat (c. 42.). Significantur soli Graeci, qui campo in duas partes diviso, et ipsi separatim agriculturam exercebant.

aratui insistere) De voce *aratus* diximus in Praef. p. XXXIX. *Aratui insistere* dicitur, ut lib. IV. 10. *sacrificio insistere*, i. e. occupatum esse. Petita locutio ab aurigis, qui habenas tenentes currui insistebant. Vid. Ernest. Clav. Cic. et ad Tacit. Ann. XIV. 14. Cf. Sept. IV. 13. *Aiace praecipue insistente*. quem locum laudat Oudend. ad Apul Met. IX. p. 621.

tempus anni) Amant hanc phrasin Sallustius et Caesar, ut docent Cort. ad Sall. Iug. 50. 1. et Oudend. ad Caes. B. G. VII. 16. B. Alex. 3.

habent etiam nonnullos) ἔχων δὲ καί τινας.

multa hostiliter vastat cet.) Affert locum Cort. ad Sall. Iug. 20. *Igitur ex improviso fines eius cum magna manu invasit: multos mortales cum pecore atque alia capit, aedificia incendit, pleraque loca hostiliter cum equitatu accedit, dein cum omni multitudine in regnum suum convortit.* Ad *multa* intell. loca; plane ut in Prolog. *terrae motus facti cum multa, tum etiam sepulchrum Dictys patefecerunt.*

praeda auctus) Sic loquitur ipse Cic. Verr. II. 5. 31.

XLII. *per conditionem hiemis*) Abundanter dictum pro: per hiemem. Lib. III. 23. *mos humanae conditionis*, pro: mos humanus. IV. 15. *conditio senectae*, pro: senecta. *Per* autem ponitur pro: propter. cf. ad IV. 19.

audendi auctor) Virgil. Aen. XII. 159. *auctor ego audendi.* Oros. II. 17. *qui auctor audendi pro patria fuit. Auctor* i. q. princeps. Ammian. XVI. 12. *principes audendi periculosa.*

Graii) Cf. 46. 47. III. 4. cet. Quam antiquam formam cum aureae aetatis scriptores raro admiserint (cf. Cic. Somn.

Scip. 3; Nep. Them. 9), vel maxime ea delectati sunt posteriores multi, in his Apuleius.

incuriosique ab armis) Recte contra Daceriam, iungentem *ab armis* (i. q. armatis militibus) *turbari*, disputat Wopkens. p. 41. *Ab armis incuriosi*, i. e. quod attinet ad arma: de qua praepositionis *a* vi cf. Cort. ad Sall. Iug. 48. 3; Ruhnken. ad Terent. Heaut. Prol. 13. Dictat. p. 143. et Hec. I. 2. 70. p. 215.

territi atque improviso tumultu exsangues) Attulit Cort. ad Sall. Iug. 38. 5. *tumultu perculsi insolito*. cf. Sall. Cat. 39. et fragm. VI. 38. *defessi et exsangues*.

genibus — obvolvebantur) Disputavi de hac formula in Praefat. p. XLV.

tanta rep. mutatio — incesserat) Hunc locum similemque lib. III. 3. laudat Wass. ad Sall. fragm. VI. 14.

XLIII. *promptus*) i. e. fortis, parato pugnae animo. Lib. III. 5. *ubi eum — in hostem promptum animadvertit*. I. 15. *promptiores animos omnium ad bellum — facit*.

consternatum deiicit) Lib. III. 19. *Ulixem deiicit*. *Deiicere* verbum proprium de victis; atque familiare Virgilio: Aen. X. 753. XI. 642. 665. 833. alibi. cf. Scheffer. ad Phaedr. II. 2. init.; Brem. ad Nep. Thrasyb. 3; Burmann. ad Val. Flacc. I. 191; Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 148; Ernest. Clav. Cic.; Oberlin. ad Tacit. Dial. Orat. 26.

male prospera) i. e. admodum improspera et infelici.

eruptione — usum) Lib. I. 5. *properatione usus*. Sall. Iug. 93. *fortuna prospere usus*. Iug. 1. *libidine usus*. Iug. 111. *fluxa fide usus*. et alia idem.

prorsus nullo — intacto) Sall. Iug. 66. *prorsus nihil intactum*. Iug. 54. *nemo omnium intactus profugit*.

vulneribus gravati) Cf. Frontin. Strat. II. 13. *vulneribus oneratus*.

locum amisere) Sall. Iug. 52. *amisso loco Numidae fusi fugatique: pauci interiere*.

arto — ingressu, quum super alium alius ruinae modo praecipitarentur) Sall. Iug. 58. *At Iugurtha munimento castrorum impeditus, quum alii super vallum praecipitarentur, alii in angustiis sibi ipsi properantes officerent,*

multis amissis in loca munita sese recepit. Tacit. Hist. IV. 71. *deturbati ruinae modo praecipitantur.* De verbis *ruinae modo* v. ad III. 10: de plurali *praecipitarentur* Oudend. ad Caes. B. G. II. 26, ubi Sept. affertur.

trepida impeditaque — caesa exstinctaque) Dedecet pedestrem orationem haec particularum repetitio. Ceteroquin totum caput optimo Septimius sermone scripsit, ut in proeliis, imitatus Sallustium, solet.

XLIV. *donis egregiis honoratur*) Laudat Heins. ad Vell. Pat. II. 115. 1.

spes omnes atque opes militiae in tali viro sisterentur) Sall. Iug. 114. extr. *spes atque opes civitatis in illo sitae.* ubi cf. Intpp. Sulpic. H. S. I. 11. 8. *Ea tempestate spes atque salus Aegypti in illo sita erat.* ubi Vorstius affert Terent. Ad. III. 2. *in quo nostrae spes opesque omnes sitae erant.* Nemo autem in hac phrasi utitur verbo *sisti* i. e. poni, collocari: quod quidem aliquoties veteres ea notione admisere. Cf. Ovid. Met. VIII. 669.

XLV. *incedente iam vespera*) i. e. ingruente, imminente. Plane ut Ammian. XX. 11. *incedens vespera.* Tacit. Ann. XV. 37. *tenebrae incedebant.* ubi alia ponit Ernest. Ipse Sept. IV. 10. *solemne incessit.*

anteposita civitati) Hoc est, quae adiacet Troadi, continentique Troianae civitatis connectitur. Servii ab Obrechto allati verba: *Sicanio praetenta sinu iacet insula. Praetenta: anteposita.* Graec. προσκείμενος, προστιθέμενος.

presso gradu) Sall. fragm. VI. 31. *presso gradu silentes iam.* ubi Sept. et al. attulit Wasseus. Ovid. Met. III. 17. *presso gressu.* Videtur idem esse, quod Apuleii *suspenso et insono vestigio.* Ios. Iscani III. 231. *tenero incessu.* ubi vid. Dresemius.

circumspicientesque omnia) Sall. Iug. 93. *tentans omnia et circumspiciens.* Iug. 72. *circumspectare omnia.* Tacit. Agric. 32. *omnia circumspectantes.*

somno pressis) *Somno oppressus* nota formula est.

nihil ultra audendum rati) Lib. III. 7. *amplius audendum ratus.* Hegesipp. I. 21. *audendum aliquid ratus.* Sulpic. H. S. II. 16. 1. *audendum aliquid et tentandum rata.*

reliquum noctis — requiescentes transigunt. Lib. IV. 6. *reliquum noctis cum quiete transigunt.* Liv. II. 25. *reliquum noctis quieti datum.* XXXIX. 13. *ubi reliquum vitae degere tuto posset.* Sulpic. Vit. Mart. 23. 9. *reliquum noctis hymnis psalmisque consumitur.*

facinus ausum) *Ausum* vi passiva; ut Tacit. Ann. III. 67. ubi cf. Oberlin.

XLVI. *foedam faciem*) Sall. Cat. 58. *foeda atque terribilis facies camerae.* Iug. 55. *foeda atque miserabilis facies negotii.*

raptim — ut quemque fors conglobaverat) Sall. Iug. 97. 4. *non acie, neque ullo more proelii, sed catervatim, ut quosque fors conglobaverat.* Liv. XXII. 5. *fors conglobat.*

conferti inter se) Hegesipp. V. 19. *illi, conferti inter se, urgere coeperunt.* Septim. III. 4. *conglobatos inter se.* De verbis *inter se* cf. V. 14.

ad naves evolant) Apul. Met. II. p. 100. *ad Milonis hospitium perniciter evolo.* ubi Sept. laudans Oudendorpius, utroque loco *evolare* accipit vi revolandi, recurrendi. Idem ad Sueton. Octav. 94. docuit, frequentem esse *evolare ad locum* apud Latinos formulam. Cf. Wopkens p. 43.

imperia servantes) Cap. 38. *imperia exsequi.* Sulpic. H. S. I. 33. 7. *non imperia exsequi, non ordines observare.* Sall. Iug 80. *Ordines habere, signa sequi, imperium observare.* ubi de his locis consulatur Cortius. *Exsequi imperium* habes Plaut. Amph. 1. 1. 106. et 3. 3. 1, ut *persequi imp.* Plaut. Amph. 2. 1. 75. et Stich. 1. 2. 84.

ut quisque locum ceperat) Sall. Cat. 61. *quem quisque pugnando locum ceperat.* Affert Sept. Burmann. ad Ovid. Art. Am. I. 234.

bini aut amplius congregati) Sall. Cat. 20. 11. *illos binas aut amplius domos continuare.*

custodes castris) Citat Oudend. ad Apul. Apol. p. 594. Cf. ad V. 8.

uti quidque fors dederat) Aurel. Vict. de Vir. Ill. 13. *equum, quem fors dederat, arripuit.* Ovid. Met. I. 453. *quem non fors ignara dedit.* ubi multa collegit Heinsius.

Tacit. Ann. XIV. 5. *quae fors obtulerat.* Sulpic. H. S. I. 27. 5. *arrepto osse asini, quod casus telum dederat.*

XLVII. *onusti praeda atque victoria*) Offendit Daceria in verbis *onusti victoria*, quae posse latine dici negat. Memor docta matrona esse debebat, saepe veteres duobus substantivis unum adiungere verbum iisdem respondens, quod tamen alterutri pro se posito minus conveniat. Simillime Tacit. Ann. XII. 28. *praeda famaque onusti.* Zeugma hanc figuram grammatici vocant; ad quod refer c. 16. *magnam vim gloriae atque praedae adportans.* III. 10. *clamorem — et tela in hostes coniiciunt.* Sall. fragm. VI. 22. *res et verba gerere.* Tacit Germ. 7. *cibos et hortamina pugnantibus gestare.* Cf. Ruhnken. ad Terent. Andr. III. 5. 18. Dictat. p. 64.

ex muris respectantes) Iidem Troiani apud Q. Ennium referente Macrobio Saturn. VI. 2. *O lux Troiae, germane Hector, Quid ita cum tuo lacerato corpore miser, Aut qui te sic respectantibus tractavere nobis?* Obrecht. *Respicere* pro conspicere, videre, habes apud Daret. Phryg. c. 10. 21. 24. 33.

nequicquam pro sociis, intra m. tamen trepidarent) Explica: quum interim Troiani in muris pro sociis trepidarent, et, licet haec trepidatio frustra esset atque nullius commodi, tamen trepidarent. Plana igitur sententia orationis quamvis hispidae. Cf. Virgil. Aen. X. 121. IX. 538.

in se — gesta erant) Latinum fuisset: pro beneficio, quod in se contulerant. Similis farinae est cap. 8. *male actum adversum Graeciam.*

liberaliter habitam) *Liberaliter* i. e. honeste, ut liberam et ingenuam mulierem decuit. De loquendi more *liberaliter habere* diximus ad I. 2.

XLVIII. *consilium — agentibus*) Cic. Verr. V. 11. et Iustin. XII. 13. *conventum agere.* Tacit. Ann. XVI. 31. *coetus agere.* Vid. Cortius ad Porc. Latron. Declam. contra Catil. 19. *coetus nocturnos agitare.* Antiquis scriptt. magis familiare est *consilium habere.* de qua formula dixi ad c. 19.

secundis rebus Graeci) Sall. Hist. IV. 2. *qui rebus secundis suis ad bellum orantur.* Tullius Tiro apud Gell. VII. 3. *Scio solere plerisque hominibus, rebus secundis atque prolixis atque prosperis, animum excellere.* Caes. B. G. I. 30. *quod*

eo consilio, florentissimis rebus, domos — reliquissent. Ablativum absolutum expedire possis: in rebus secundis constituti.

in commune — consulendum) Lib. V. 16. *in commune consulerent.* Eiusdem sententiae est lib. V. 2. *in medium consulamus.* Frequentes historicis formulae: Tacit. Ann. XII. 5; Liv. XXIV. 22; Sall. Hist. IV. 9; Curt. VIII. 25. IX. 2. Cf. Virgil. Georg. I. 27. *in medium quaerere.*

locis alienis) Citat Wass. ad Sall. Iug. 58. *qui sua loca defendere nequiverat, in alienis bellum gerere.*

ad coelum tollere) Sall. Cat. 48. *Ciceronem ad coelum tollere.* Frequentius est: *ferre ad coelum;* ut loquitur Sept. IV. 1. 8. 14.

XLIX. *suspensam retinerent)* Scio Septimium alibi *retinere* dicere pro simplici *tenere*, ut docuit Wopkens. p. 62. Sed nostro loco subtilior huic verbo inesse vis videtur, nempe: parvo intervallo a se remotam tenere. Cogita duo, quibus imperatum erat, *inter se* suspensam *tenuisse* hostiam, ita ut, illaesis iis qui tenebant, commode in duas partes discindi posset.

in eum diem) ut lib. V. 2. *in hunc diem*, pro: usque ad. Tacit. Agric. 30. *Nos — recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit.*

desiderio lapsum) Perperam Obrechtus huc trahit Plaut. Cist. II. 1. 8. ubi *lapsum animi* est: lassum, fatigatum. Hic loci *lapsum esse* significat: peccasse. Bene Wopkens. p. 44. contulit Valer. Max. VI. 1. 3. *cum praesertim non libidine, sed errore lapsus videri possit.* Adde Sall. Iug. 104. *postquam errasse regem et Iugurthae scelere lapsum, deprecati sunt.* Apul. Met. X. p. 723. *ne quo casu caloris iuvenalis impetu lapsus, nescius nesciam sororem incurreret.*

magnificentiam regis) *Magnificentia est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione agitatio et administratio.* Cic. Invent. II. 54.

oblatione — opum) Diximus de hac formula in Praefat. p. L.

L. *sedere hortatur)* Lib. III. 5. *pugnare hortatur.* Cf. Tacit. Ann. VI. 37. XII. 49; Ernest. in Ind. ad Ammian. Marcellin.

enumerationem facit) pro: ea omnia enumerat. Lib. V. 4. *uti inter cetera sui quoque — commemorationem faceret*, pro: se quoque commemoraret. Lib. VI. 6. *finem vitae fecit*, pro: vitam finivit. Similiter Ulpian. Dig. XXXVI. 1. 6. *restitutionem facere*. Auct. B. Hisp. 22. *iugulationem magnam fecit*. Cf. Ruhnken. ad Terent. Eun. III. 3. 7. Dict. p. 116.

LI. *solitum*) scil. esse. Infinitivus pendet a verbo *dicere*, quod intelligi debet ex praecedente *admonere*. Infra: *rediret in gratiam*, intell. dicentes, orantes. Lib. III. 5. *a quo etiam Olizonen genitam — deductam in matrimonium Dardani*, intell. perhibebànt, dicebant.

in commune — redigere) ut Liv. II. 42. *redigere praedam in publicum*. Tacit. Hist. IV. 72. *in fiscum*.

insigni iniuria dehonestaretur) Tacit. Ann. XIV. 21. *nullo insigni dehonestamento id spectaculum transiit*.

per dedecus) Sall. Cat. 20. *vitam — per dedecus amittere*. Cf. ad. c. 35.

praeterita — transactorum) Cic. Tuscul. IV. 25. *in rebus transactis et praeteritis orationes scribimus*. Apul. de Dogm. Plat. p. 246. *nec futuris modo angitur malis, verum etiam praeteritis transactisque torquetur*.

adosculari) Monuimus de hoc verbo in Praefat. p. XLV.

contingere genua) Eadem formula Apul. Met. VIII. p. 560. IX. p. 669. ubi cf. Oudendorp. Aliquoties ita loquitur Velleius, docente ad eius lib. II. 104. 5. Burmanno; item Historiae August. scriptores: consulas Casaubon. ad Capitolin. Max. Iun. 2. p. 66. ubi disseritur etiam de more superbissimorum Imperatorum, qui genua sibi, pedes, manus, caput osculari a Romanis patiebantur.

LII. *Graecis mixtus*) Graec. *μιχθεὶς Ἀχαιοῖς*. Lib. IV. 18. *consilio mixtus*. Virgil. Aen. I. 439. *se miscere viris*. Horat. Od. I. 1. 29. *se superis miscere*. Apul. de Deo Socrat. p. 128. *nullus deus miscetur hominibus*. Met. IV. p. 315. *pompae populi — sese miscuit*.

favorem attollentibus) Lib. III. 18. *quum a reliquis favor attolleretur*. Nostrum locum Casaubonus ad Vopisci Aurelian. c. 48. p. 582. Graece reddit: *πάντων μετὰ βοῆς αὐτὸν εὐφημούντων*. Vid. Obrecht. ad h. l. et Perizon. Diss. §. XV.

gaudio laetitiaque) Utrumque iuxta ponunt Sall. Cat. 48; Gell. VII. 3; Sulpic. Vit. Mart. 13. 6. Quid differat, docet Cic. Tuscul. IV. 6. cf. Cort. ad Sall. Cat. 61. extr.

manum — retentans) i. q. retinens, tenens.

quum laeti inter se invitarent) *Inter se* i. e. alius alium. Plane ut c. 52. *cohortati inter se*. Cic. Attic. VI. 1. *Ciceronis pueri inter se amant*. Caes. B. C. I. 21. *operibus — milites disponit, non certis spatiis intermissis — sed perpetuis vigiliis stationibusque, ut contingant inter se, atque omnem munitionem expleant*. Plaut. Mil. Glor. 5. 40. *nihil cessarunt illico osculari atque amplexari inter se*. Eadem ratione *invicem* adhibet noster lib. V. 14. *atque invicem industriae meritis expostulare*. De ellipsi, qua *invitare* sine vini aut cibi mentione ponitur, v. Obrecht.

libens efficit) *ἕκων ποιεῖ*. Terent. Ad. V. 6. 7. *lubens faxim*. Sulpic. H. S. II. 26. 6. *Hyrcanum libens excepit*.

inter se sine ullo metu — miscebantur) Cf. Thucyd. I. extr. *ἐπιμίγνυντο δ' ὅμως ἐν αὐταῖς, καὶ παρ' ἀλλήλους ἐφοίτων, ἀκηρύκτως μὲν, ἀνυπόπτως δὲ οὔ*. Lib. II. init. *ἐν ᾧ οὔτε ἐπιμίγνυντο ἔτι ἀκηρυκτεὶ παρ' ἀλλήλους*.

GLOSSARIUM SEPTIMIANUM

AD

LIBRUM TERTIUM.

I. *dilato conditionibus — bello*) Sall. Iug. 112. *posse conditionibus bellum poni.* ubi v. Cort. Liv. XXIII. 7. *pacemque cum eo conditionibus facere.* ubi v. Gronov. et ad XXXIV. 23.

in tempus) i. e. aliquamdiu. Sall. Hist. III. 9. *ex licentia — aut avaritia in tempus arsere.* ubi v. Cort.

cuncta — festinabant) Sall. Iug. 74. *cuncta parat festinatque.*

Namque — utebantur) Series sententiarum haec est: Multitudo universa, singuli populi sub suis quisque ducibus, qua seiunctione quisque populus ea munera militaria, quae apud se in usu erant, curare poterat, ante vallum instructi atque dispositi, ad multum diem variis, pro cuiusque populi more, bellandi generibus se exercuerunt, partim iaculis aut sudibus, alii saxis, alii sagittis certantes.

exercere) scil. se. Sueton. Caes. 26. *ipsique dictata exercentibus darent.* Octav. 98. *spectavit assidue et exercentes ephebos.* quem locum attulit Wopkens. p. 46. Auct. B. Afric. 27. *milites in opere exercere.*

destinata feriendi) Hegesipp. III. 9. *missilibus quoque plurimi Iudaeorum — destinata feriendi arte vulnerabantur.* Curt. VII. 5. §. 41. *namque adeo certo ictu destinata feriebat.* Eumenius Paneg. Constant. c. 8. *destinata fixerunt.* cf. ad c. 18.

socordius agitare) ut Sall. Iug. 19. *alios incultius vagos agitare.* Tacit. Ann. I. 50. *laeti agitabant.*

facinoris exemplo suspectis) Sensus: Praeterquam quod ob facinoris exemplum (a Paride datum) omnes Troiani iam suspecti circa hospitium erant per omnes gentes, tum vero Graecorum simul victoriae, Troianarumque eversio civitatum animos occupaverat. *Suspectis omnibus* (scil. Troianis) Ablativus est absolutus. *Cognitum* i. e. τὸ πυθέσθαι, τὸ μαθεῖν. plane ut Liv. XXVIII. 26. *auditum.* cf. Obrecht. et Wopkens. Attende praeterea nexum *simul — et,* de quo aliquoties iam monuimus.

odium — incesserat) Lib. IV. 8. *desperatio incesserat.* V. 13. *dolor incesserat.* 17. *amor incesserat.* Absolute idem verbum ponit Sall. Iug. 13. *commutatio incessit.* Cat. 7. *cupido incesserat.* amatque Livius. v. Gronov. ad XXIII. 24.

II. *forte quadam die*) Incipit sic sententiam Apul. Met. I. p. 133.

avens visere) Lib. VI. 4. *aventes dinoscere.* Horat. Sat. II. 6. 99. *urbis aventes moenia nocturni subrepere.*

principalium) Dixi in Praefat. p. LI.

partim — reliquae) Plane ut Sall. Iug. 55. *exercitus partim ipse, reliquos Marius ducebat.* cf. Septim V. 10. *uti pars ad Solem, residuum ad naves spectaret.*

redimitae ornatu) Nova locutio. Apte tamen comparatur Virgilii et Ovidii *velatus amictu.* Hegesipp. I. 5. *succinctus ornatu.* I. 36. *amictu indutus.*

suggerente sibi — apparatum sacri) Fallitur, si quid video, Vindingius, hoc *sibi* ad Cassandram referens, ut sit pro *ei.* Haud equidem nescio, *sibi* et *se* apud scriptt. posteriores (ut praetermittam Plautum persaepe ita loquentem, v. c. Mil. Glor. 2. 2. 26. *se* pro *eam*) haud raro poni pro, *ei, eam.* v. Salmas. ad Capitolin. Pertin. 3. p. 537. b; Vorst. ad Sulpic. Vit. Mart. 15. 4. Sed malim *sibi* numero plurali accipere, ut ad utramque matronam spectet; nisi melius forte illud hîc loci, ut saepe apud Latinos, et saepius apud Graecos σοι abundare existimaveris. *Suggerere apparatum sacri* est: res sacrificio necessarias comparare. Auct. B. Alex. 8. *urbs omnium rerum apparatus suggerebat.* cf. Terent. Adelph. I. 1. 36. *sumtum suggerere.*

auctoque in horas) Horat. Poet. 160. *et mutatur in horas.*

animus non lenitur) Vid. ad I. 19.

daturum se — mandat) Eutrop. V. 3. *Senatuique mandat, bellum se ei — illaturum.* Iustin. XXIV. 2. *itaque non credenti mandat — velle se* cet. Et sic saepe *mandare alicui*, ut et *mandare ad aliquem* (v. Sueton. Calig. 25'), est vel literis, vel nuntio misso indicare, et iubere nuntiari. v. Duker. ad Flor. III. 3. 6; Wopk. p. 47. sq. cf. Septim. IV. 9. *indignatus, nondum sibi — mandatum*, i. e. uuntio indicatum; et quae adnotamus ad IV. 10.

III. *soluturum se — bellum*) Adi sis Praefat. p. XLV.

alias) pro: alioquin, alio pacto. Ulpian. Dig. 47. 4. 1. 2. *non alias tenebitur iste libertus, quam si dolo quid dissipasse proponatur.* Et sic saepissime iurisconsulti. Consulatur etiam Oudend. ad Apul. Florid. p. 47. Aureae aetatis scriptores *alias* non nisi de alio tempore et alio loco dicunt. v. Perizon. ad Sanct. Min. I. 17. p. 156; Ruhnken. ad Terent. Andr. III. 2. 49. Dictat. p. 56.

ira concitus) Virgil. Aen. IX. 694. *immani concitus ira.* Senec. Med. 506. *ira concitum pectus.* Apul. Met. IX. 662. *rabie conciti.*

animi iactatione saucius) i. e. saucius amore, qui eius animum agitabat, turbabat. Mox: *iactari animo atque in dies magis magisque aestuare desiderio.* Laudat locum Oudend. ad Apul. Met. IV. p. 310. *animi saucia.*

praesenti negotio utendum) i. e. quid praesentia, praesens rerum status facere eum iuberet. *Praesens negotium* pro praesentia est etiam apud Sulpic. H. S. II. 2. 2. *cum adstricti praesenti negotio nihil scire se faterentur.*

aestuare desiderio) i. e. agitari. Idem Sulpic. Vit. Mart. 25. 1. cf. Cic. Verr. II. 30. *aestuare dubitatione.* Sall. Cat. 23. *invidia aestuare.*

recordatus sui) Vid. Praefat. p. XLV. Facta formula est κατ' ἀναλογίαν notae elocutionis *oblitus sui* apud Terent. Eun. 2. 2. 15. Senec. Octav. 257. aliosque.

negotium, ut gestum erat — aperit) Sall. Cat. 47. *omnia, uti gesta erant, aperit.* Cat. 41. *omnem rem, uti co-*

gnoverant, aperiunt. Septim. supra: *rem cunctam aperit.* Sall. Cat 45. *rem omnem aperit.*

bono animo ageret) Tacit. Ann. XIII. 32. *animo moesto agere.*

satis sibi esse praesentium copiarum) Singulari forma sic loqui videtur Dictys, pro: satis sibi esse praesentes copias. Similiter Symmachus I. Ep. 32. *satis est unius erroris*, i. e. unus error. Wopk. p. 49.

fluxa fides) Sall. Iug. 111. *fluxa fide usus.* ubi Sept. laudat Wass. (c. 119.) cf. Tacit. Hist. II. 75; Sulpic. H. S. II. 46. 6. De sequentibus *animi parum spectati* i. e. probati, consulas Gronov. ad. Liv. II. 7; Cort. ad Sall. Cat. 20. 1.

sine dolo credebatur) Laudant locum Cort. ad Sall. Iug. 36. 3, et Wass. ad Sall. Hist. VI. 14. *ut tanta repente mutatio non sine deo crederetur.*

IV. *signo belli edito*) Desidero alterum exemplum, cum ceteri scriptt., ut et Septimius alibi, semper *signo dato.* Apposite tamen Caes. B. G. VIII. 15. *signo pronunciato.* quem loquendi morem rarum vocat Vossius. Aeque insolenter Plin. VII. 56. et Dares c. 20. *datio signi.*

instructae — advorsum processere) Sall. Iug. 53. *instructi — obviam procedunt.*

ascito sibi quisque auriga) Cortius ad simillimum Sallustii locum Iug. 18. 3. *multis sibi quisque imperium petentibus*, de integritate loci Septimiani dubitans, τὸ *quisque* ad *ineunt* refert; et apud Sallust. pro *quisque* contra Edd. praestantissimas meliorisque notae MSS. omnes, qui servant *quisque*, scribi vult *quîque* i. e. quoque. Nihil hic dubitandum neque tentandum. Sit tibi Septimii, non anxii quidem, sed tamen diligentissimi Sallustiani sermonis aemuli, integer locus argumento, Sallustii manum fuisse *quisque.* Una voce *quisque*, nude et absolute posita, plena sententia continetur, accuratiori explicationi inserviens. Sallustianum explica: nempe quisque rex sibi ascivit aurigam. Eadem ellipsis est in his: lib. II. 30. *converso iam in se quisque timore.* IV. 17. *suis quisque militibus instructis.* Sed occupatam iam ex parte a Wopkens. p. 49. video nostri loci defensionem.

secum stipatores habuerat) Sall. Cat. 14. *omnium flagitiorum atque facinorum circum se, tanquam stipatorum, catervas habebat.*

adhibito equis Merione) scil. regendis, i. e. ad equos currui iunctos regendos. Consimiliter Hegesipp. I. 16. *adhibitis custodibus Aristobulo*, i. e. positis (hominibus), qui Aristobulum custodirent. *Adhibere* est assumere; ut lib. IV. 5. *adhibito secum fortissimo quoque.*

situs in alia parte) i. e. collocatus, versans. Lib. IV. 20. *multi — super muros siti.* ubi paulo infra: *qui in muris locati erant.* Familiarissimus hic loquendi mos est Hegesippo, qui lib. II. 15. *hostes — in superioribus siti*, i. e. in locis sup. collocati. V. 38. *in inferioribus sitos — urgere.* III. 1. *Ea postquam Neroni nunciata sunt, in Achaiae partibus sito*, i. e. versanti, agenti. V. 4. *Caesar in medio populi situs.* pro quo infra: *in medio belli versari Caesarem.* IV. 6. *ante fores templi atque in ipso vestibulo siti, adversum populum proeliabantur*, i. e. positi. IV. 9. *machinabantur, in templo siti, quomodo iungerentur Idumaeis.* V. 33. *siquidem et intra templum siti non dormiebant.* Cf. Terent. Heaut. V. 2. 44. *adolescens quam in minima spe situs erat*, i. e. collocatus, spem habens: quam notionem Terentio vindicat Bentleius, qui, cum plerumque ab exemplis sit copiosus, hic adstruit nullum. Ut rarissimam ibi notat locutionem Ruhnken. Dictat. p. 176. Prope accedit frequens recentioribus formula, qua *siti esse* dicuntur populi, in aliqua regione habitantes. Similiter *κεῖσθαι* obsides, qui in insulis dispersi agunt, dicit Thucyd. VI. 61.

occurrit auxilio laborantibus) Sall. Iug. 101. 10. *occurrit auxilio suis.* Caes. B. G. III. 4. *eo occurrere* (al. *accur.*) *et auxilium ferre.* ubi v. Oudend. cf. Gronov. ad Liv. XXXVI. 24.

V. *tollit animos*) Eadem formula c. 8. V. 10. 4. Sall. Iug. 101. *simulque barbari animos tollere.* Cf. Freinshem. in Ind. ad Flor.

singulos — nomine appellans — hortatur) Sall. Cat. 59. *unumquemque nominans adpellat, hortatur, rogat.* Cat. 17. *singulos adpellare, hortari alios.* Cat. 20. *universos adpellare et hortari.*

in hostem pugnare) Sall. Cat. 9. *qui contra imperium in hostem pugnaverant.* Liv. VIII. 6. *ne quis extra ordinem in hostem pugnaret.* Septim. IV. 2. *in pedites pugnare.*

repulsae in Polyxena) i. e. in causa Polyxenae, quod Polyxenam spectat. Eandem *in* praepos. admittit vim c. 14. *insolentiae in Patroclo.* c. 20. *in Priamo miseratio.* Varia huiusmodi collegit Cort. ad Sall. Cat. 51. 15. cf. Wopkens. p. 51.

progressusque in medio) Lamprid. Commod. 8. *in publico processit.* Ipse Septim. c. 4. *exercitum in campis productum.* ut S. Damas. Epist. 8. *quando causa rectissime in medio producatur.* Sulpic. Vit. Mart. 10. 6. *omnia in medio conferebantur.* Atque similia id genus alia praebet noster. v. ad c. 14. I. 10. VI. 10.

orginem propriam memoria rep.) *Propriam* i. e. suam; ut lib. I. 14. *fata propria protulerat.* II. 4. *propriam gloriam aequiparaverat.* II. 28. *ob sacerdotem proprium.* Familiarem hunc usum etiam Apuleio esse, docet Oudend. ad Met. X. p. 687. Cf. Hegesipp. V. 15. *ad originis propriae libertatem redire.* I. 12. *summam rem uxoris propriae delegebat solicitudini.* et alibi. *Memoria* simpliciter sic pro: memoriter (lib. I. 9. *memoriter retexere*) dici solet; ut a Cic. de Orat. I. 1. *Cogitanti mihi et memoria vetera repetenti.* et aliis.

deductam in matrim.) Pro: ductam in matr.; ut saepe apud nostrum *denubere, deflere, deprecari,* pro simplicibus: nubere, flere, precari.

VI. *ad se — tendi*) pro: contra se; ut alibi loquitur. Lib. IV. 6. *ubi ad se tendi videt.* Liv. I. 5 *ad regem impetum fecit.* v. Intpp. ad Caes. B. G. II. 10; Brem. ad Nep. Dion. 5. 4.

infesto agmine) pro: impetu; ut mox: *non ulterius impetum viri experiri ausus.* Sic explicat Septimium Wasseus ad Sall. Hist. I. 10. *tanto agmine atque animis incedit.* ubi plura ponuntur. Hegesipp. V. 4. *ingenti agmine super hostem irruunt.*

fundere obvios, quum prostr. — obtereret) Sall. Iug. 94. *Eo acrius Romani instare, fundere, ac plerosque tantum-*

modo sauciare, dein super occisorum corpora vadere. Invaderet desuper pro: superinvaderet. Cap. 12. *impositum desuper cadaver*, pro: superimpositum. Apul. Met. II. p. 35. *desuper aqua calida iniecta*, pro: superiniecta. Non male etiam abundare *desuper* statueres, ut Apul. Met. X. p. 240. Bip. *desuper brevibus — pulvillis — superstruunt.* Verbum *obterere*, ut nostro (v. not. cr.), usitatum etiam Livio, ut ad eius lib. XXVII. 41. docuit Gronovius.

mortales cum ducibus) Bene de hac figura a Wopkens. p. 51. disputatis adde Caes. B. C. II. 39. *homines equitesque.* et quae ibi adnotant Intpp.

vir egregius bellandi) Lib. IV. 13. *cum viro egregio bellandi.* 15. *gentem — inclytam bellandi.* In his et similibus grammatici solent supplere *arte*, vel quid simile. v. Voss. de Construct. c. 14. Septimius videtur intellexisse *fama*, si respicis c. 16. *fama bellandi inclyto.* cf. Hegesïpp. I. 1. *bellandi artibus spectatus.*

VII. *neque vulneratus quisquam*) Haec quasi in parenthesi ponuntur. Similiter Curt. VIII. 25. *ac primo humani ingenii vitio spei suae indulgens, Abisarem belli socium*, et ita convenerat, *adventare credebat.* c. 21. *Ceterum Alexander cum statuisset desistere incoepto*, quippe nulla spes potiundae petrae offerebatur, *tamen speciem ostendit in obsidione perseverantis.* Et sic alii loquuntur.

multum diei consumserant) Sall. Iug. 51. *multum die* (i. q. diei) *processerat.*

colligit sese in arma) Quis nescit, bis hanc formulam canere Virgilium: Aen. X. 412. et XII. 491.? Unde eam sumsit etiam Hegesipp. IV. 1. Interpretationi inserviunt sequentia: *cautius contectus.* c. 13. *ad evitandos ictus compositus.* Curt. VI. 2. *clypeo protegens corpus.* Eurip. Phoen. 1178. Dind. ὑπ' αὐτὴν ἀσπίδ' ἑλίξας δέμας. Prorsus simile est c. 8. *compositusque in armis.* Wopkens. p. 52. consuli iubet Burmann. ad Quintil. II. 11. *et se — debilitas collegit in vires.* Cf. Boëth. Consol. I. p. 22. Pros. IV. ed Horn. *collecto in vires animo.*

ingressusque) i. e. sub gladium successit, ut veteres loquebantur. Quadrigarius ap. Gell. IX. 13. de pugna Manlii

Torquati cum Gallo: *eique sub Gallicum gladium successit.* Vid. Obrecht.; item Burmann. ad Val. Flacc. IV. 298, qui Sept. citat.

poplitem succidens) Petron. c. 1. *succisi poplites eius membra non sustinent.* ubi vid. Intpp. Apul Met IV. p. 246. *gladio poplites eius totos amputant.*

exsectis nervis) Translate Cic. Agr. II. 33. *nervos urbis exsecare.*

corpore propulsat) Ovid. Met. III. 80. *obstantes proturbat pectore silvas.* ubi Heinsius affert Stat. III. 18. *manuque proturbare parant.*

VIII. *gemitum magno clamore tollunt*) Lib. IV. 9. *tollunt gemitus et clamore deflent.* IV. 1. *cuncti cives fletum tollunt.* Virgil. Aen. XI. 37. *ingentem gemitum — ad sidera tollunt.* Apul. Met. VIII. p. 556. *fletu cum clamore sublato.*

positum humi) Cf. Apul. Florid. p. 48; Heins. ad Val. Flacc. I. 710.

compositusque in armis) Quid significet, dixi ad c. 7. cf. Lipsius ad Plaut. Mil. Glor. 4. 9. 12. Tacit. Dial. Or. 26. *ipsis etiam, quibus utitur, armis incompositus et studio feriendi plerumque deiectus.*

ex fuga reductis) Cic. Att. IX. 17. *reductus de exsilio.* Caes. B. C. I. 24. *reducitur ex itinere.* Sall. Cat. 47. et Sueton. Octav. 17. *ex fuga retractus.*

proelium incenditur) Liv. I. 57. *accenditur certamen.* quod frequentius. Lib. II. 1. *incensus ira*, pro quo pariter usitatius *accensus ira.*

Tum vero — accurrentes) *Instantes* pendet a *duces*, quod ex praeced. *ducibus* subintelligi debet, plane ut c. 17. ad *gens bellatrix* ex praeced. *Amazonibus* intelligendum *Amazonum*. Etiam ad *accurrentes* intell. duces. Hoc vult Septimius: Tum vero, inclyti utriusque partis duces ubi cohortationibus exercitum confirmarunt, confligunt acies: duces hinc inde cedentibus instant, et, ubi acies nutat, auxilio accurrunt.

acies nutaverat) Hegesipp. V. 4. et 42. *nutabat acies.*

et diei vesper erat) Cap. 19. *et iam diei vesper erat.* Sall. Iug. 52. *et iam die* (i. q. diei) *vesper erat.* Iug. 106. *ubi die vesper erat.* Cf. Iug. 21. *et quia die extremum*

erat. Utrumque Sept. locum affert Wasseus (c. 55 et 114.).

deflentibus) Familiare nostro *deflere* pro simplici flere. Lib. I. 5. *casum domini deflentes.* IV. 13. *deflentibus cunctis — casum.* IV. 1. *foeminis — deflentibus.* IV. 9. *casum — deflent.* Et aeque familiare est Apuleio, docente Oudendorpio ad eius Met. IV. p. 316. qui nostrum locum adduxit. Passim ita loquuntur etiam alii. cf. Wopkens. p. 53.

luctu atque gemitu omnia completa sunt) Sall. Iug. 92. *luctu atque caede omnia completa sunt.* Cat. 51. *cruore atque luctu omnia compleri.* cf. ad. IV. 7.

interfecto) Intell. eo interfecto, Ablat. absoluto.

Achillem revisunt) ut saepe veteres *visitare aliquem;* de qua formula consulas Oudendorp. ad Sueton. Tib. 11. ubi et Septimii locus tangitur.

inspectatis) Vid. Praefat. p. XLVI.

extollere laudibus) Cf. Cic. Fam. XII. 25.

arma expedire) i. e. se armare, se accingere ad pugnam. Caes. B. G. VII. 18. *Caesar — arma expedire iussit.* Virgil. Aen. IV. 592. *arma expedient, totaque ex urbe sequentur.* Pro eo Livius, Sallustius, ipse Caesar, alii: *se expedire ad pugnam.*

X. *effusi ruinae modo*) Lib. II. 43. *ruinae modo praecipitari.* IV. 5. *ruinae in modum irrumpere.* Tacit. Hist. IV. 71. *deturbati ruinae modo praecipitantur.* Senec. de Ira III. 3. 1. *barbari — ruinae modo regionibus incidunt.* Flor. III. 3. 11. *Cimbri — Tridentinis iugis in Italiam provoluti ruina descenderant.* Liv. IV. 46. *repentino impetu Aequorum per supinam vallem fusi sunt, multique in ruina quam fuga oppressi obtruncatique.* Laudat Sept. Oudendorp. ad B. Alex. 32. Graeci hunc impetum exprimunt voce ῥύμη, ut Thucyd. II. 81 et 76.

Echinadibus imperator) Plane ut Sall. Iug. 7. *qui tum Romanis imperator.* Consimiliter Virgil. Aen. II. 556. *regnator populis terrisque.* Apul. Florid. p. 115. *Eois regnator aquis* (Ganges). Auson. Epigr. IV. *Illyricis regnator aquis* (Danubins). Adde notata ad c. 15. *regina Amazonibus.* et ad II. 32. *Troianis Hector, Sarpedon auxiliaribus duces facti.*

Cf. Wopkens. p. 54. et Vol. IV. T. X. p. 21. sq.; Oudend. ad Apul. Apol. p. 594, qui Sept. produxit.

foeda) i. e. foedam stragem. Saepe *foedus* et *foedare* dicuntur de vulneribus et sanguine. Liv. VII. 33. *strages ipsa caede foedior.* Sall. Hist. I. 23. *arae supplicium sanguine foedantur.* cf. Heyn. ad Virgil. Aen. III. 241. VII. 575.

fortunam belli vincere aggressus) *Fortunam belli vincere* dicitur ut *vincere bella* et *proelia* apud alios; de qua formula Barth. ad Claud. B. Get. IV. 570. et Advers. VI. 2. *Fortunam belli tentare* dicunt Sall. Cat. 57. et Caes. B. G. I. 36. *experiri* Tacit. Hist. IV. 20. et Capitolin. in Gord. trib. 15. Laudat Sept. inter alia Oudend. ad Apul. Florid. p. 89.

per univ. genera dehonestamenti) Sall. fragm. VI. 11. *quo ille dehonestamento corporis maxime laetabatur.* quem locum servavit Gell. II. 27.

relicto) scil. loco, ut recte animadvertit Daceria.

erip. cad. occip. proturbat hasta) Ios. Iscan. V. 502. *divumque sua proturbat virtute virum.* ubi Septimii inter alia meminit Dresemius.

XI. *deformatum iam lacrimis*) Cap. 20. *deformata multiplici modo.* Sall. Iug. 14. *deformatus aerumnis.* ubi Sept. afferunt Intpp. Apul. Met. I. p. 29. *luctu et moerore diutino deformata.* p. 28. *lurore ad miseram maciem deformatus.* ubi Sept. affert Oudendorpius.

omni supplicio lamentandi) Dixi in Praefat. XLI, ubi de sensu loci egi, amare nostrum huiusmodi insolentes Genitivos Gerundii. Lib. I. 23. *ventorum flatus prosperos navigandi.* I. 16. *incuria navigandi.* I. 19. *festinatio navigandi.* IV. 15. *inclyta bellandi.* Supra c. 6.: *egregius bellandi.* Infra c. 19. *praemia luctandi.* Similia aliqua ex aliis scriptt. enotavit Wopkens. p. 14. sq. Adde Hegesipp. I. 35. *immenso aedificandi sumtu.* II. 1. *dicendi validus.* V. 16. *quaesisse veniendi ad se effugia.* V. 27. *cum tanta habeatis vincendi suffragia.* Oros. V. 19. *insatiabilis praedandi.*

XII. *vigilias agere curarent*) Lib. I. 21. *curarent immolare.* De Infinitivo v. Wopkens. p. 56. *Vigilias agere* citat Heins. ad Ovid. Fast. III. 245.

igni plurimo in armis pernoctant. At lucis principio) Sall. Iug. 98. *Dein crebris ignibus factis, plerumque noctis barbari suo more laetari — Dein ubi lux adventabat.* Ad *igni plurimo* Wopkensius intelligit *existente*. Melius subaudiri *facto*, docet locus Sallustii: de qua ellipsi, praeter alios, monuit Cort. ad Sall. Iug. 75. 1. *Ea fuga*, scil. facta. Cat. 43. 1. *Quo tumultu*, scil. facto.

silvam caesum) i. q. lignum. Infra: *Advecta dein ligni copia.* Graec. ὕλη i. e. materia. Caes. B. G. III. 29. *Caesar silvas caedere instituit.* et mox: *omnemque eam materiam, quae caesa erat.* Curt. VIII. 19. *caesis silvis flammam excitavere*, i. e. lignis. Idem X. 1 et 2 *materiam caedere.* Sed res nota est.

omni affectu) i. e. omni animo, omni cupiditate.

XIII. *refectis ex labore*) Cic. Arch. 1. post Redit. 1. *ex morbo recreari.* Liv. XXIX. 18. *recreatus ex vulneribus.* De qua praepos. *ex* vi agit Cort. ad Sall. Cat. 4. 1.

cum luce simul) Eadem formula lib. II. 42. V. 5.; ut infra c. 16. *cum nocte simul.* Quid significet, docet Cort. ad Sall. Iug. 68. 2.

paratos proelio) pro: ad proelium. Tacit. Ann. II. 79. *proelio parata manus.* Sulpic. H. S. II. 44. 2. *paratum se exilio atque ad omne supplicium.* Hegesipp. V. 15. *fugae potius quam bello parata.* Dares c. 3. *omnibus se paratum, quae Hercules vellet.* Cf. Oberlin. ad Tacit. Agr. 42.

vix principio diei) Insolenter dictum pro: cum vix principium diei esset. Adscribe hunc Ablativum magno Ablativorum absolutorum numero, quibus delectatur Septimius.

cum effectu) Diximus de hac formula in Praefat. p. LV.

ad multum diem) Idem cap. 1; Liv. XXII. 52; ut *ad multam noctam* Cic. Somn. Scip. 1; Sueton. Octav. 78. Dicitur etiam *in multum diem*, ut Liv. XXVII. 2. Attulit Sept. Oudendorp. ad Apul. Met. III. p. 211. Cf. Thucyd. VII. 38. τῆς ἡμέρας ἐπιπολύ.

ex alio) scil. latere. Plin. Epist. II. 17. *ex alio latere est cubiculum.* Iustin. VII. 1. *ex alio latere in Europa regnum Europus nomine tenuit.* Apul. Met. XI. p. 778. *Ex*

alia vero parte — adhaerebat ansa. Ponitur in his *ex* pro: in.

abnuentibus — barbaris) Quid significet *abnuere*, dixi in not. cr. Liv. XXVII. 49. *Ille pugnantes hortando pariterque obeundo pericula sustinuit: ille fessos abnuentesque taedio et labore — incendit.* Sall. Iug. 68. *Ibi milites fessos itineris magnitudine et iam abnuentes omnia docet.* Apul. de Deo Socrat. p. 159. *Enimvero cum Aulide desidibus et obsessis* (Graecis), *ac taedio abnuentibus difficultas belli* cet. Cf. Wopkens. p. 57. Ad Sall. loc. (c. 71) Wasseus male huc trahit Septim. IV. 15 et V. 3.

XIV. *foede et vice imbellium*) Sall. Iug. 31. *quam foede quamque inulti perierint.* cf. ad. V. 12. De voce *vice* dico ad V. 13.

Larissaeis — Sesto regnantes) *Regnare* cum tertio casu coniungit Ennius apud Festum v. *Quadrata*: *Romae regnare quadratae.* Senec. Octav. 901. *regnat mundo tristis Erinnys.* Cic. Verr. II. 54. *Timarchidem omnibus oppidis regnasse.* Cf. Intpp. ad. Lactant. III. 29. 9. Hinc *regnator* eandem adsumsit constructionem, ut vidimus ad c. 10. Pariter Graeci verbo ἄρχειν dant tertium casum, ut Thucyd. I. 93; Hom. Il. XVI. 65. cf. Abresch. ad Aeschyl. II. p. 306 et in Dil. p. 105. ubi Romanorum quoque usus tangitur.

in flumine praecipitant) Ulpian. Dig. 43. 12. 1. *ne quid in flumine publico, neve in ripa eius immittas.* Isidor. Reg. IV. 2. *Accepit vas rude fictile, et adiecit in eo sal, et demersit illud in flumine.* Cf. ad V. 10.

in ordine offerunt) Virgil. Eclog. VII. 20. *in ordine offerebat.* Plaut. Pseud. 2. 3. 10. *cuncta in ordine animo, ut volueram, certa, deformata habebam.* i. q. ordine.

animo gerebat) Sall. Iug. 72. *aliter atque animo gerebat.* Septim. IV. 20. *animo gestare.* Usitatissimum veteribus *animo habere* pro: in animo. v. Gronov. ad Liv. XLIV. 25. Notanda praeterea loci constructio est, qua a verbis *decretum animo gerebat* pendet et Coniunctivus *uti adveheret* et Infinitivus *contegi.* Cf. ad I. 4.

si fortuna in se casum mutaret) *Casus* saepe ponitur pro eo, quod forte accidit. v. Cort. ad. Sall. Iug. 56. 4 et

25. 9. Atque *casus* hic nomen verbale est, recipitque Accusativum cum *in* praepos., quia dicitur *aliquid cadit in me. Fortuna in me casum mutat* i. e. fortuna aliud quidpiam in me cadere facit. Sensus loci hic est: Achilles Patrocli ossa in patriam secum revehere decreverat (cogitatur de reditu in patriam): sed si fortuna aliud, diversum ab illo decreto et cogitatione, qua domum se rediturum sperabat, sibi accidere faceret (cogitatur de praematura ante Troiam morte), tum eodem sepulchro sua amicique ossa condi volebat. Non multum abit explicatio Wopkensii p. 56 sq. Aliter sentit Perizon. Diss. §. XXXIX.

una eademque sepultura contegi) Tacit. Hist. I. 49. *Galbae corpus — Argius — humili sepultura in privatis hortis contexit.* Val. Flacc. I. 814. *membra sepulcro contegat.* V. 58. *ossaque nec tumulo nec separe conteget.* Lucan. IV. 810. *nullo contectus Curio busto.* Cic. Leg. II. 22. *quos humus iniecta contegeret.* Apul. Met. I. p. 63. *comitem misellum arenosa humo sempiterna contexi.* Noster IV. 21. *uno eodemque funere — contegitur.* cf. Lucan. II. 548. et Sedul. Hym. II. 84. *sepulcro tegi.*

canibus dil. iacit) Lib. IV. 3. *canibus dil. iaceretur. Iacere* pro: proiicere; quo sensu alii *iactare.* Apul. Met. VII. p. 489. *intestina quidem canibus nostris iacta.* Petron. c. 44. *cani iactans candidum panem.* Cf. Scheffer. ad Phaedr. III. 8. 22.

desinere pernoctando humi) Sordidus sermo.

in auctorem — vindicasset) *In auctorem caedis vindicare* lib. IV. 21. VI. 12. pro: morte punire auctorem. Sic Sall. Iug. 31. *vindicandum in eos, qui hosti remp. prodidere.* Cat. 9. *vindicatum est in eos, qui — pugnaverant.* quo loco Hegesipp. V. 7. usus est. Iug. 25. *nisi vindicatum in noxios.* Cf. Oudend. ad Apul. Met. IV. p. 306. ubi Sept. laudatur.

XV. *regina Amazonibus*) Spartian. Hadr. 4. *quem Parthis regem fecerat.* cf. ad c. 10.

gens bellatrix) Ex Virgil. Aen. I. 490. Cf. Ammian. XXIII. 6. *natio bellatrix.*

inclyta per mortales) Cap. 16. *inclyto per gentes.* 18. *inclyta per gentes.* quibus iisdem verbis utitur Solin. 40. 6.

Artopoeus in Ind. v. *per* interpretatur: inter mortales, inter gentes; adducitque etiam lib. IV. 14. *per populos memorabilem.* IV. 11. *fuit — verum per mortales.*

daret lora equis) Nota haec poetarum formula ex Virgil. Aen. I. 156. Georg. I. 106; Ovid. Art. Am. II. 433. aliisque.

curru concito per campum — pervolat) Apul. Florid. p. 100. *tum cum eo equo per viam concito pervolant.* Cf. Sept. c. 2. *curru per medios concito.* Met. IV. p. 238. *cursu concito.* Met. II. p. 99. *saltu concito.* Met. IV. p. 279. *concito gradu.*

qua maxime visi poterat) Curt. IX. 15. *totum amnem, qua prospici poterat, navigiis constratum.* Sic alii quoque locuti sunt, aemulantes Sall. Iug. 101. 11. *omnia, qua visus erat, constrata telis.* ubi v. Cort. cf. not. cr. ad IV. 4. Oros. I. 10. *quousque visus admittitur. Maxime* i. e. longissime. Liv. I. 18. *quo longissime conspectum oculi ferebant.*

genus poenae novum) Sall. Cat. 51. 18. *genus poenae novum decernere.*

XVI. *desuper ex muris*) Gell. IX. 1. *contra ab oppidanis desuper e muris propugnari.* XIV. 1. *moveri agitarique desuper e coelo.*

qui excisis man. — pertulerat) Explica: qui, quin vocem pronuntiaret, in ipso mutilato corpore nuntium acerbissimae alicuius peractae rei apportaverat. Cum nostri *perferre rei indicium* comparari potest Apul. Met. XI. p. 775. *ostendere aequitatis indicium.*

consternatae vocibus) *Vocibus* i. e. luctu editoque clamore. Valer. Max. IV. 8. *Iterata pronunciatione praeconis tanta coelum clamoris alacritate compleverunt, ut certo constet, aves, quae supervolabant, attonitas paventesque decidisse.* quem locum iam attulit Obrechtus. cf. Hegesipp. V. 23. *insultantium latronum consternata vocibus.*

cum insult. reclamantibus) i. e. mutuum clamorem tollentibus, clamoremque Troianorum edito simili clamore ludentibus. Malel. p. 156. *Καὶ οἱ Ἕλληνες δὲ χαίροντες ἀντεβόησαν ὁμοίως.* De simili reddito clamore lib. IV. 1. *hinc reclamantibus viris Troianis.*

foedatur regni habitus) i. e. deformatur facies civitatis, urbis. Accuratius explicant proxime sequentia. Cf. Tacit. Germ. 46. *in habitum ferae gentis foedari.* Lib. II. 23. *foedior corporis habitus.* Vell. Pat. II. 99. *civitatis habitus.* Tacit. Hist. I. 4. *status urbis — habitus provinciarum.*

obducta facies civitatis) i. e. obscurata, foedata. Ducta imago est a coelo nubibus obducto. v. Brem. ad Nep. Hannib. 5. 2. — Descriptam a Sallustio tristitiam et terrorem, qui Romam ex coniuratione Catilinae obsederat, Septimius Troianorum luctui ob Hectoris mortem accommodavit. Verba Sallustii in Cat. 31. haec sunt: *Quibus rebus permota civitas atque immutata urbis facies: ex summa laetitia atque lascivia — repente omnis tristitia invasit. festinare, trepidare; neque loco, neque homini cuiquam satis credere. — Ad hoc mulieris — adflictare sese, manus supplices ad coelum tollere; miserari parvos liberos; rogitare, omnia pavere; superbia atque deliciis omissis, sibi patriaeque diffidere.*

sicut — assolet) Liv. I. 28. et Apul. Apol. p. 569. *ut assolet.*

sine ulla certa ratione per diversum fuga) Virgil. Aen. II. 314. *Arma amens capio, nec sat rationis in armis*, i. e. parum consilii in armis, nec mihi satis ipsi constabat, quid et quantum his armis profuturus essem captae et incensae iam urbi. Quam optimam Heynii interpretationem adscripsi, quia noster locus eodem modo debet explicari. Sonant quippe Septimii verba, quasi scriptum sit: *fuga erat per diversum, nec sat rationis in fuga. Per diversum* i. e. per diversas quisque partes huc illuc fugiebant, cum antea in eundem omnes locum cursitassent.

silentium ex incerto) i. e. ob incertitudinem et meditationem, qui sibi rerum sit eventus. Tacito egregiam brevitatem debet Septimius: ille Ann. IV. 62. *neque dum comperto, quos illa vis perculisset, latior ex incerto metus.*

Inter quae et spes extremas) ut Apul. Met. XI. p. 785. *Inter haec et vestrorum votorum tumultum.*

securos interitu) i. e. sine cura, nihil curantes, timentes, ob interitum. Lib. I. 23. *interitu filiae permoestum*, i. e. ob interitum.

pro confirmato) i. e. tanquam confirmatum, certum. De talibus disputat Cort. ad Sall. Cat. 15. 2. Cf. Sept. IV. 11. *fuit — confirmatum ac verum per mortales.*

varia — victoria) Quae scil. apud Hectorem modo, modo apud Graecos fuit. Iustin. IV. 2. *diu variaque victoria cum tyrannis dimicatum.* Sall. Iug. 5. *bellum — quia magnum et atrox, variaque victoria fuit.*

fortior quam felicior) Sallust. loc. descripsi in not. cr. cf. cap. 18. *non felicius quam solertius.* Sall. Hist. I. 12. *peior an ignavior.* Hist. IV. 1. *stolidior an fortior.*

nunquam tamen vires consilio superfuerant) i. e. corporis vires non superabant consilium; ingenii virtus haud impar erat corporis viribus. Sed recte iam explicuit Wopkens. p. 59. Loco Sallustii in not. cr. allato adde Eutrop. I. 4. *militaris gloriae expetentissimus, verum ita, ut non superaret industriam.*

XVII. *circumscribitur*) i. e. lenitur, minuitur. Minus recte interpretatur Daceria: finitur; nunquam enim dolorem ex animo prorsus dimisit Achilles. Nexus: dolor minuitur nece metuendi hostis, et praecipua (ingenti) ex hac nece nata laetitia.

certamen ludis solitum) est, nisi fallor, solenne in ludis, seu quod haberi in Graecia soleret ludorum tempore publicorum. De hac vi Ablativi *ludis* vide Perizon. ad Sanct. Min. IV. 4. 28 Wopkens. p. 60. Cf. Oudend. ad Sueton. Tib. 6; Drakenb. ad Liv. II. 36.

postquam nihil reliquum erat) Cap. 21. *neque — quidquam — superioris fortunae reliquum est.* Lib. II. 43. *spem nullam reliquam rati.* Sall. Hist. III. 7. *nunc hortari modo reliquum est.* Auct. B. Afric. 26. *nihil — reliquum futurum.*

quadriiugis equis) i. e. in certamine equorum quadriiugorum. Dicitur *equi quadriiugi* (Ovid. Trist. IV. 2. 54.) et *equi quadriiuges* (Virgil. Aen. X. 571.); ut et *biiugi* et *biiuges*, docente Oudendorp. ad Apul. Met. IV. p. 309.

bigarum praemia) i. e. biiugi certaminis, ut canit Virgil. Aen. V. 144.

XVIII. *sagittarum arte*) Vid. Praefat. p. XLI.

contingendae certamen) i. e. ardens studium.

id quo religata) Supra: *quis religatum linum.* Apul. Met. IX. p. 592. *vinculo, quo fuerat deligatus, abrupto.* Cf. Wopkens. p. 60; Oudendorp. ad Apul. Met. VI. p. 425. ubi Sept. laudatur.

incassum tendentibus) i. e. contingere contendentibus. *Tendere* pro contendere usitatum Livio, ad cuius lib. XXXII. 32. v. Gronovius; aliisque scriptoribus. v. Ruhnken. ad Terent. Eun. IV. 1. 12. Dict. p. 122; Cort. ad Sall. Cat. 60. 5.

destinatum confixere) Arntzen. ad Aurel. Vict. Epist. 47. p. 592. ad *destinatum* intelligit *locum*, ut *loca* ad *destinata* loco Victoris (*divinae artis credere ferire destinata*), Sept. c. 1. (*destinata feriendi arte mirabilis*), aliisque multis. Dicitur sane *destinatum* pro destinatum locum Liv. XXI. 54. *postremo omnes copias ad destinatum* (MSS. nonnulli *destinatum locum*) *iam ante consilio, avidus certaminis, eduxit.* Sed nostro loco *destinatum*, ut iam vidit Wopkens. p. 60, est meta, nempe columba, quae, ut feriretur, destinata, exposita erat. Plane ut Liv. XXXVIII. 26. *et stantes, quo densiores erant, hoc plura, velut* (*a*) *destinatum petentibus, vulnera accipiebant.* Eandem admittit explicationem c. 1. *destinata.*

extra ordinem munere) Dresem. ad Ios. Iscan. I. 449. comparat Graec. *γέρας ἐξαίρετον*, et Latin. *exsortem honorem.*

XIX. *obligatoque*) i. e. obstricto, intercluso. — Praecipuarum huius cap. rerum interpretationem dedi in Obss.

Priamus — ad Achillem venit) Totum locum adumbravit ex Sall. Iug. 33. 1. *Igitur Iugurtha contra decus regium, cultu quam maxume miserabili, cum Cassio Romam venit.* ubi cf. Cort. *Vestem lugubrem* de more induit Priamus ob mortem filii. Terent. Heaut. II. 3. 45. *mediocriter vestitam veste lugubri, eius anuis causa, opinor, quae erat mortua.* Curt. X. 8. *Persae — in lugubri veste — regem vero desiderio lugebant.* Tacit. Ann. XIII. 22. *cultu lugubri. Lugubria* pro lugubria vestimenta dicit Ovid. Met. XI. 669. Cf. Graev. ad Flor. I. 1. 14. *Miserabile* pro miserabiliter, ut Virgil. Aen. XII. 338, quem iam adduxit Wopkens. p. 61. Sic Plaut. Stich. II. 2. 73. *futile* pro futiliter. Cist. I. 1. 47. *lugubre* pro lugubriter, miserabiliter. Sedul. Carm. III.

3. *mirabile* pro mirabiliter. *Decus regium* est conveniens Priami regis excellentiae status. v. Cort. ad Sall. Iug. 3. extr. cf. Iustin. XII. 12. *quem contra decus regium Alexander diu luxit.* Sequens *reliquam fecerat* explica: dolor nihil reliquit, quod decori regio consentaneum esset. Sall. Cat. 28. *quibus lubido — ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.* Cat. 12. *milites — nihil reliqui victis fecere.*

manibus vultuque supplici) Sall. Cat. 31. *demisso voltu, voce supplici.*

quocum Androm. — miseratio) Lutulentae orationis syntaxis est: Cum Priamo ad Achillem venit Andromacha, quae non minor erat miseratio, quam miseratio obtinuit circa Priamum. i. e. Andromacha non minus miserabilis erat, quam Priamus. Cum Septimii *Andromacha erat miseratio* Obrechtus comparat Ovid. Met. I. 654. *tu non inventa, reperta luctus eras levior. In Priamo* i. e. quod Priamum attinet; de qua praepos. *in* vi monuimus ad c. 5.

quem nonnulli Scamandrium appellabant) Lib. I. 4. *quae ex Chirone dicebatur.* IV. 15. *quem Neoptolemum memorabant.* I. 23. *quae — antistites memorabantur.* II. 13. *quae regni caput memorabatur.* Et alibi sic Imperfectum adhibet Septimius, exemplo scriptt. aliorum. Sall. Iug. 89. 4. *Capsa, cuius conditor Hercules Libys memorabatur.* ubi v. Cort. Permulta huiusmodi dat Oudend. ad Caes. B. C. III. 34.

pretiosaeque vestis) pro: pretiosarum vestium. Cap. 12. *decore omni pretiosae vestis.* V. 13. *loca destinantur — ob pretiosam vestem.* Cic. Phil. II. 27. *permagnum optimi pondus argenti, pretiosaque vestis, multa et lauta suppellex.* Cf. Gronov. ad Liv. XXI. 31.

silentium ex admiratione oritur) Silentium enim admirationis comes. Sall. Cat. 6. 3. *invidia ex opulentia orta.* ubi cf. Cort.

avidi noscere) ut Ovid. Met. X. 472. *avidus cognoscere.* Cf. ad II. 37.

in os ruit) De hac formula diximus in Praefat. p. XLVI.

sumtum bellum) Sall. Iug. 20 et 83. *sumere bellum, sumitur bellum.* Usitata veteribus formula. v. Duker. ad Flor. IV. 12. 24; Heins. ad Ovid. Her. XVII. 371.

retinens gremio urnam) i. e. tenens. v. Wopkens. p. 62.

XXI. *Non tu mihi causa h. fortunae, sed deorum quispiam, qui*) Herodot. I. 45. εἷς δὲ οὐ σύ μοι τοῦδε τοῦ κακοῦ αἴτιος, ἀλλὰ θεῶν κού τις, ὅς μοι κ. τ. λ. Hom. Il. III. 164. οὔτι μοι αἰτίη ἐσσί, θεοί νύ μοι αἴτιοί εἰσιν, οἵ μοι κ. τ. λ. — Quae sequitur oratio, cuius permulta ex Adherbalis et Cottae orationibus apud Sallustium (Iug. 14. et fragm. VI.) adumbrata sunt, ad latinitatem optima est, ad animi adfectus minime spernenda.

in hasce aerumnas deduxit) Sall. Iug. 14. *in tanta mala praecipitatus.*

luctibus filiorum) pro: ob filios. Apul. Met. X. p. 688. *non luctu mariti, vel aerumna funeris commota.* Alia pono ad lib. V. 4.

per iuventutem) h. e. iuvenilibus et inconsultis facinoribus, iuvenili levitate.

quin contemtui sit ad. senecta aetas — cui misero conf. m.) Sall. fragm. VI. 3. *praeterea senectus, per se gravis, curam duplicat; cui misero, senecta iam aetate, ne mortem quidem* cet. *Senecta aetas* dicunt etiam Gell. II. 15. III. 4; Plaut. Amph. 4. 2. 12. Aulul. 2. 2. 75.

me quoque — exhibeo poenae mortis) Infra: *me quoque — cum hoc exiguo spiritu simul auferes.* Sall. fragm. VI. 5. *voveo dedoque me pro rep.* Ibid. *agite, et — supplicium sumite.* Ibid. 3. *quis mihi vivo cruciatus satis, aut quae poena mortis?* Iug. 14. *utinam emori fortunis meis honestus exitus esset.*

inf. spectaculum mortalibus praebeo) Sall. Iug. 14. *rerum humanarum spectaculum praebeo.* Valer. Max. I. 8. *novumque spectaculum patriae praebuit.* Noster IV. 3. *spectaculum dignum moribus suis praebuit.*

Adsum en ultro, nihil deprecor) Sall. fragm. VI. 5. *atque ego — non deprecor. Adsum en Cn. Cotta consul.* ubi Sept. citant Intpp. Hegesipp. IV. 7. *Adsumus en, primis suppliciis nos spontanei offerimus.* Apul. Met. XI. p. 761. *En adsum.* Ovid. Met. V. 10. *En, ait, en adsum praereptae coniugis ultor.* Obrechtus affert etiam Tacit. Ann. XII. 18. *sponte adsum. Deprecari* hic est: adhibita prece abigere, avertere,

amoliri; de qua vi consulas Gell. VI. 16. et Non. p. 290. Merc.

in custodia captivitatis) Haud raro ita iungunt Latini duo substantiva idem significantia. Liv. XXXVI. 19. *certamen pugnae.* Auct. B. Alex. 116. *proelii certamen.* Sophocl. Trach. 20. *εἰς ἀγῶνα μάχης.* Ai. 356. *πῆμα τῆς ἄτης.* Sedul. Carm. I. 123. *mare pelagi.* Hegesipp. I. 14. *Romanae opis auxilium.* Noster II. 19. *laborum facinora.*

neque enim — reliquum est) Sall. fragm. VI. 3. *in his miseriis cuncta me cum fortuna deseruere.*

cuncta regni) Idem lib. VI. 9; ut VI. 11. *cuncta fructuum.* VI. 8. *cuncta domus fortunarumque.* quem loc. citat Oudend. ad Apul. Met. V. p. 339. Tacit. Hist. V. 10. *cuncta camporum.* Ann. III. 25. *cuncta curarum.* Apul. Met. IV. p. 264 et 279. *cuncta rerum.*

retorque animos ad pietatem) Senec. Benef. III. 3. *animum ad praeterita retorquere.* Cf. Apul. Met. II. p. 98. *in eum et oculum et animum detorquet.* *Animos* pro animum; quod obvium est in carminibus. Exempla ex Ovid. et Virgil. habet Burmann. ad Phaedr. II. 2. 5.

concede parvulis) *Concedere* pro cedere, morem gerere. Cum Sall. Iug. 11. 4. *uti aetati concederet*, Cortius perperam contulit Sept. V. 14. *paene omnes — concedunt Aiaci.* ubi intell. illud, scil. Palladium. Comparare debuit, quod legitur in eiusdem libri eodem cap. *Diomedes honori eius per verecundiam concedens.*

non animam — deprecantibus) *Animam* i. q. vitam. Cic. Cat. IV. 9. *de coniugum ac liberorum vestrorum anima.* De verbo *deprecari* pro: prece petere ut accipias, v. Wopkens. p. 63.

longeque aliter, neque mei similem senectam degat) Non mala ellipsis, sive ad *longe aliter* intelligas: degat; sive: senectam degat. Consimiliter lib. IV. 13. *cum viro egregio ne honestam quidem mortem, aut aliter, quam in obscuro oppetere licuerit.*

XXII. *Interea dum*) Sedul. Carm. I. 318. *Interea dum rite viam sermone levamus.* Apul. Apol. p. 42. Bip. *At tu, interea dum legit, aquam sustine.* Simili pleonasmo Sall. Iug.

29. *ceterum interea.* Sall. Hist. I. 10. *sed contra.* Noster IV. 5. *at contra.* Apuleius innumeris locis (v. Oudend. ad Met. I. p. 27.) *ergo igitur*; Livius (v. Gronov. ad eius III. 31.) *itaque ergo.* Ammianus saepe *tandem denique.*

animo deficere) Frequens veteribus formula. v. Duker. ad Flor. II. 2. 17. Septimii loco *animus* ponitur pro: spiritus, anima; ut infra quoque: *ut animum reciperet.* et lib. IV. 21. *deficiente animo.* Apul. Apol. p. 55. Bip. *moribundo corpore cessante animo cadunt.* Sequitur apud nostrum: *refovit spiritum.*

Priamum sustollere) i. e. humo erigere. Apul. Nat. Deor. p. 290. Bip. *erigit atque sustollit.* Amatum Plauto verbum.

animum reciperet) i. q. respiraret. Terent. Adelph. III. 2. 26. *animam recipe.* ubi cf. Ruhnken. Dict. p. 191. Apul. Met. VII. p. 142. Bip. *recipere spiritum.*

refovit spiritum) Adi Praefat. p. LIII.

Ubi nunc illa est — misericordia?) Phaedr. I. 10. 4. *Ubi pernicitas nota, inquit, illa est?* Sulpic. Vit. Mart. 21. 2. *Ubi est, inquit, Martini, virtus tua?* ubi Vorstius docet, hunc loquendi modum frequentem esse in sarcasmis et insultationibus.

an iuxta solum Priamum circumscribitur?) Sensus: Ubi nunc est antiqua illa Graecorum et celebrata misericordia? An ea soli Priamo intercluditur, vel non patet? *Circumscribi* non satis recte ab Anna et Vindingio explicatur: finiri. *Iuxta Priamum* i. e. apud Priamum, in Priamo. Tacit. Germ. 21. *periculosiores sunt inimicitiae iuxta libertatem*, i. e. in libertate, in libero populo.

XXIII. *obsedisse animos*) Iustin. XLII. 4. *ira obsedit animos.* Petron. 99. *feras mentes obsidet ira.* Lamprid. Diadum. 1. *moeror obsedit omnium pectora.* Spartian. Carac. 9. *quod omnium pectora obsederat.* Elegans loquendi formula est.

ad id tempus) i. e. usque ad hoc tempus. Liv. IV. 43. *ut pars praetorum (nam ad id tempus patricii erant creati) ex plebe fieret.* Sall. Iug. 85. *quae ad hoc tempus Iugurtham tuta sunt.*

memores ultionis eius) scil. essent. Lib. II. 50. *quae pol-*

licitus (esset), *quaeque iurasset.* V. 14. *quis etiam nunc bellum in manibus* (esset), *atque hostiles multae nationes circumstreperent.* Sall. Iug. 54. *Iugurtha ubi gentium* (esset), *aut quid agitaret.* Iug. 53. *et paene imprudentia admissum facinus miserabile* (esset), *ni* cet.

moremque humanae conditionis) i. e. moremque humanum, moremque humanitatis. De abundantia locutionis monuimus ad II. 42. Cf. Spartian. Carac. 4. *tracta sunt eorum cadavera sine aliqua humanitatis reverentia.*

cruentum suo hostilique sanguine) Vid. Wopkens. p. 64.

militiam tolerare) Sall. Hist. I. 22. *cum assiduis bellis tributum simul et militiam tolerarent.*

cupere dinoscere) Lib. IV. 18. *secreta dinoscere.* V. 1. *cupientes dinoscere.* VI. 3. *aventes dinoscere.* VI. 5. *futura dinoscerentur.* Antiquae formae *dinoscere*, pro dignoscere, exempla ex poetis passim enotarunt viri docti; legitur etiam uno et altero loco apud bonos scriptores, et videtur restituenda esse Tacit. Germ. 20, ubi antiquissimi libri *dinoscas.* Frequentissima est Apuleio: de Deo Socrat. p. 134. *per quae futura dinoscerentur.* Met. IX. p. 604. *possem dinoscere.* ubi v. Oudendorp., qui etiam Sept. protulit. Frequens est etiam iurisconsultis: Ulpian. Dig. 50. 6. 99; Modestin. 2. 4. 25. cet.

barbarine Graecine) Virgil. Aen. I. 308. *hominesne feraene.* XI. 126. *iustitiaene belline.* Tibull. IV. 5. *Annue: quid refert, clamne palamne roget?* Cf. Heins. ad Ovid. Fast. II. 782.

XXIV. *consiliatum*) i. e. consultatum, consultum. Caes. B. C. I. 19. *quum — multum — cum suis consiliandi causa — colloqueretur.* ubi v. Davis. Tacit. Hist. II. 53. *rediere omnes Bononiam, rursus consiliaturi.* ubi v. Intpp. Cf. Scheffer ad Phaedr. II. 7. 2; Artop. in Ind. et Mercer. ad h. l.

pro absolutione cadaveris) Vid. Praefat. p. LV.

praedicto prius) Lib. IV. 6. *praedicto prius Ulixi.* VI. 2. *praedicto ducere eos.* Supra c. 4. *edicto prius.* Hegesipp. I. 22. *praedicto Arabum regi.* IV. 21. *explorato prius, si forte* cet.

ut delutaretur) Docuimus de hoc verbo in Praefat. p. XLVI.

XXV. *cibo invitantur*) Sall. Hist. IV. 11. *cum se cibo vinoque laeti invitarent.* ubi v. Cort. p. 991. Cf. Obrecht. ad lib. II. 52. et Wopkens. p. 65. *Cibo* tertius casus est, pro ad cibum.

in hodiernum) Vid. Praefat. p. LI.

velut contagionem infausti ominis) Helena iis videri debuit mulier infausti ominis, indicium rerum infaustarum, et materies multorum malorum, quae Troianos veluti tabes invasura forent. Cf. Apul. Apol. p. 585. *scaevi ominis mulier et infausti coniugii.* Ut apud nostrum Helena audit *contagio infausti ominis*, sic Senec. Tro. 890. *pestis*, *exitium*, *lues utriusque populi.* Laudat locum Heinsius ad Ovid. Met. V. 448. ob verba *infaustum omen.* de quibus cf. V. 16. not. cr.

per se red. quaererent) *Per se* i. e. ipsi. Liv. I. 49. *cognitiones capitalium rerum sine consiliis per se solus exercitabat.* Sueton. Caes. 26. *quae per alios erant gesta, et quae per se ediderat.* Sall. Cat. 39. 6. *aut per se, aut per alios sollicitabat.*

malo omnium) Sall. Cat. 51. 2. *qui malo reip. creverant.* ubi v. Cortius.

eversa mens) h. e. turbata sic, ut nihil recti et salutaris consilii capere possit. Artop. in Ind. Eleganter verbum *evertere*, quod saepe dicitur de rebus, v. c. navibus, quarum, si fluctibus ventisque iactantur, in naufragio suprema saepe pars vertitur ad imum, ima ad supremum, hic ad turbatam perversamque mentem transtulit Septimius.

aetatis tuae contemplatione) Diximus de hac formula in Praefat. p. XLIX.

neque — committam, ut) Eadem elegans formula lib. V. 2. VI. 2.; de qua v. Ruhnken. ad Terent. Adelph. II. 1. 5. Dict. p. 185.

XXVI. *fletu quam miserabili*) Eadem verba lib. V. 3. VI. 15; ut lib. IV. 14. *quam metuendo hoste.* *Quam* i. e. valde; de qua vi Oudend. ad Caes. B. G. VIII. 11. et ad Apul. Met. III. p. 181, ubi Sept. affertur; Ruhnken. ad Te-

rent. Andr. I. 1. 109. Dict. p. 22. Eadem vocula superlativo gradui praeponitur lib. V. 9. *donum quam honoratissimum.*

divûm) Amat poeticum hunc Genitivum Apuleius: de Mund. p. 350. *exsuperantissimus divûm.* de Dogm. Plat. p. 183. *Divûm potestates.* Eidem frequens plena forma *Divorum*; frequens etiam, ut Gellio quoque, *Deûm*, *Superûm*, *Inferûm.*

procedere) Cave iungas: in eum non procedunt; nam *procedere* hic absolute ponitur pro: prospere cedere; ut sit ita iungendum: vis atque inimicitiae alicuius in eum (i. e. ab aliquo structae contra eum), cui beatum esse licitum est, non procedunt. Plane ut Sall. Cat. 32. 1. *neque insidiae consuli procedebant.* ubi cf. Cort.

ad postr. Al. nat. diem; quem evitari) Cum initium orationis a Septimio nimis contractum esse neminem fugiat, tum praesertim ubi de filiis agitur, a Graeco Dictye plura narrata fuisse videntur; quibus omissis, latinus interpres aspero sententiarum nexu ad Alexandri natalem diem, de quo pluribus erat relaturus, transit, pergens: *tandem Alexandri natalem diem*, scil. imminuisse, advenisse. Animi adfectum Priami si respicis, ellipsin hanc laudabis. Quippe filium, utpote tantorum auctorem malorum, cum nominasset pater, memor raptus Helenae et profectarum inde fortunarum, paulum reticet, maximo animi adfectu correptus. Mox pergit: *quem evitari* cet.

continuante flamma) pro: continuata, non intermissa, flamma saevire non desinente. Celsus III. 2. *febres continuant.* II. 4. *a prima hieme austri ad ultimum ver continuarunt.* Solin. 15. 20. *casus continuantium pruinarum.*

omnemque demum) i. e. denique, postremo. De qua significatione Goerenz ad Cic. Leg. III. 17. 38. p. 269.

in Idam tradidisse) scil. portandum. Apollod. III. 12. 5. 7. *δίδωσιν ἐκθεῖναι οἰκέτῃ κομίσοντι εἰς Ἴδην.* Cf. Wopkens. p. 68.

ne hostem — pati potuisse) Clarissimus sensus: Cum Paris iam adolevisset, nullum hominem, ne hostem quidem saevissimum, pati potuisse, i. e. propter nimiam pueri pul-

chritudinem odiosum illum laborem sustinere potuisse, ut eum interficeret. De verbo *pati* cf. ad V. 2.

cupidinem — visendi) Tacit. Hist. I. 48. *cupidine visendi situm.* Curt. IX. 16. *cupido incessit visendi Oceanum.*

regna procul posita) Laudat Cort. ad Sall. Iug. 17. 3.

non acceptam tamen) Ait: quemque hominem quasi divinitus se coactum sensisse ad Helenae amorem, si etiam hac animi in eam proclivitate suum ipsius filium perdidisset. Ob oculos habuit Hom. Il. III. 156.

abdicandum a penatibus) i. e. ut abdicaretur, domo et familia expelleretur. Sall. Cat. 47. *Senatus decernit, ut abdicatus magistratu Lentulus, item ceteri in liberis custodiis haberentur.* ubi v. Cort. Hegesipp. I. 43. *ut — ob pretium futurae improbitatis regno abdicaretur.* IV. 8. *nobis solis intercluditur* (civitas), *quasi hostibus, soli abdicamur, soli repellimur.*

domi belloque) Idem V. 15. VI. 15. Liv. IX. 26. *per tot res domi belloque gestas.* I. 34. *ut publicis pariter ac privatis consiliis bello domique interesset.*

resruerent) i. e. civitas ad occasum praecipitaretur. Horat. Od. I. 2. 29. *quem vocet divom populus ruentis imperi rebus.*

naturae finem) pro: finem vitae, quae reservata naturae est. Sall. Iug. 10. *quoniam mihi natura finem vitae facit.* Hist. I. 7. *quoniam quidem unum omnibus finem natura — statuit.* Lib. VI. 6. noster dicit: *finem vitae fecit.*

XXVII. *ante conspectum iuvenis*) Diximus in Praefat. p. LI.

an, si quid Troiae accideret, securus iam filiae) Priamo timendum fuit, ne Achilles, qui Polyxenae amore deperibat, eam vi ereptam retineret: idem Troianis metus fuerat (lib. IV. 1.). Sed quod Achilles Polyxenam vestium parte donaverat, sibi de filiae retentione timorem esse inanem intellexit. Securus igitur filiae, ad aliud ea negotium usurus, Achillem orat, uti Polyxenam secum teneat: incertum, feceritne hoc in gratiam recepti cadaveris, an, quod forte futurum esset, ut inde Achillem sibi Troianisque propitium amicumque redderet, et civitati suae commodi aliquid eveni-

ret. Plenam loci sententiam non cepit Wopkens. p. 68, atque Anna perversum sensum eruit.

tractatumque) pro consultatione, deliberatione: ut Papinian. Dig. 5. 4. 10. *ille tractatus incurrit*, *an*. Ulpian. Dig. 17. 2. 32. (et Hegesipp. IV. 29.) *habito tractatu.* et saepissime ICti. Iisdem familiare *tractare* notione deliberandi, agendi de re: ut Ulpian. Dig. 5. 1. 50. 1. Papin. 3. 5. 34. Scaevol. 12. 6. 67. 4. cet.; aeque ac Septimio. cf. ad IV. 9.

GLOSSARIUM SEPTIMIANUM

AD

LIBRUM QUARTUM.

I. *animo — haeserat, nulla spe*) *Animo haerere* pro, in animo, haud infrequens loquendi formula est. v. Wopkens. p. 69; Cort. ad Sall. Iug. 27. 1. Aeque noster III. 14. *animo gerere* pro in animo. *Nulla spe*, scil. sibi facta. Infra c. 12. *spe reliqua resistendi*. Liv. XXVI. 39. *spe commeatus quoque hostibus — interclusuros*. ubi v. Gronovius. Tacit. Hist. I. 78. *spe vulgum adliciendi*.

Hectoris funere) Infra: *postrema funeri peragunt*. Lib. III. 27. *in gratiamne impetrati funeris*. et saepe noster *funus* pro cadavere. Perraro sic loquuntur antiqui, ex poetis autem admodum frequenter posteriores. Valerius Antias apud Gell. VI. 9. extr. *funere locato ad forum*. Sueton. Domit. 15. *deiecto funere*. ubi cf. Oudendorp. Ut Septimio, sic etiam Apuleio ista significatio familiaris est. Met. VIII. p. 523. *funus — producitur ad sepulturam*. Met. IV. p. 314. *vivum producitur funus*. et alibi.

foedantesque ora laniatibus) Virgil. Aen. IV. 673. *ora unguibus foedare*.

in se virtutis aut spei bonae fiduciam credere) i. e. neque quisquam putare, sua se virtute fidere, bonamque spem in sese ponere posse, interfecto Hectore, in quo omnes sitae spes atque opes. Constructio Sallustiana est. Cat. 19. *quia boni quamplures praesidium in eo putabant*. Cat. 43.

maxumum bonum in celeritate putabat. ubi cf. Cort. Noster c. 12. *in muris salutem credere. Spei bonae*, ut Sall. Iug. 44. 2. *plus solicitudinis, quam spei bonae.* ubi. v. Cortius.

postrema funeri peragunt) Idem sonant c. 13. *iusta funeri peragere.* c. 8 et V. 6. *iusta facere.* VI. 13. *iusta persolvere.* Cf. Ovid. Met. II. 627. *iusta peragere.* Curt. X. 10. *corpori iusta solvere.* Apul. Met. IX. p. 652. *officia feralia peragere.* Met. I. p. 29. *officia feralia persolvere.* Passim de his et similibus monuerunt viri docti. v. Intpp. ad Ovid. Trist. IV. 10. 80; Cort. ad Sall. Iug. 11. 2.

II. *ex finitimo*) Vide disputata in Praefat. p. XLI. sq.

cornu — peditibus instructo) Vix ac ne vix qnidem latina haec formula est.

medios equites collocat) Sall. Iug. 100. *primos et extremos — tribunos collocaverat.*

contra quos steterant) h. e. stabant. Sic *stetisse, adstitisse, restitisse*, cet. invenias passim pro: stare, cet. Supra lib. III. 11. *qui solandi causa adstiterat.* Frontin. Strat. II. 3. *qui in recessu — steterant.* Tacit. Hist. III. 29. *deturbatis qui restiterant.* Alia ad II. 18 et VI. 2. Wopkens. p. 70. Adde Sept. III. 8. *qui iuxta steterant.* II. 43. *qui adversus eum promptus steterat.* Sulpic. H. S. I. 19. 2. *nubem, quae circa domum steterat, ingressus.* Vit. Mart. 13. 8. *qui tuto loco steterant.* 7. 4. *qui pro foribus adstiterant, statim irruunt.* 8. 2. *ad quam solicitus cum adstitisset, et, quis hic fletus esset, requireret.* Etiam ex antiquioribus optimisque scriptt. possint eiusmodi exempla colligi.

neque ab Teucris secus bellatum) Cap. 20. *neque secus a reliquis — res gestae. Secus* i. q. segnius. Cap. 6. *neque segnius a Memnone actum.* III. 4. *neque ea a Troianis segnius agebantur.*

III. *Quod ubi — tum vero*) Infra c. 5. *ubi — ventum est, tum vero barbari.* Frequens Sallustio constructio. Iug. 94. *ubi cognovit, tum vero cohortatus.* Iug. 106. *Quod postquam auditum, tum vero ingens metus nostros invadit.*

fugam faciunt) i. q. capessunt. Eadem formula c. 9; Sall. Iug. 93. 3. ubi v. Cortius.

quos fuga bello exemerat) Tacit. Ann. I. 64. *nox eos*

exemit pugnae adversae. Hegesipp. II. 13. *quem fuga periculo exemerat.*

placitumque uti) Plaut. Amph. 2. 2. 5. *Ita Dis placitum, voluptatem ut moeror comes consequatur.* Tacit. Ann. I. 36. *placitum, uti — scriberetur.* III. 6. *placitum, uti mitteretur.* Dares c. 40. *omnibus placitum est, ut fides proditoribus servetur.* alibi.

naturae sexusque conditionem) Abundanter dictum, pro: naturam foemineo sexui propriam. Habes figuram, quam grammatici vocant ἓν διὰ δυοῖν: de qua omnia vulgata. De nomine *conditio* v. ad II. 42. Cf. Hegesipp. I. 12. *ut — supra foeminei sexus conditionem proelia disponeret.*

postremae desperationis atque amentiae) *Postremae* i. e summae. Apul. de Dogm. Plat. p. 236. *illud postremae dementiae est.* pro quo Sall. Iug. 3. *extremae dementiae est. Desperatio* est desperatum facinus, perdita et profligata audacia. Apul. Met. X. p. 728. *qua mira desperatione truculentae feminae repente perturbatus medicus.* ubi v. Oudendorpius. Vell. Pat. II. 6. 3. *spesque desperatione quaesita.*

spectaculum dignum moribus suis praebuit) *Moribus* i. e. factis, ad quae pro ingenii sui ferocitate adducta erat. Vopisc. Numer. 13. *dignum moribus suis exitum dedit.* pro quo Terent. Andr. III. 5. 43. *At tibi Di dignum factis exitum duint.* Apul. Met. IV. p. 77. Bip. *dignum virtutibus suis vitae terminum posuit. Mores* et *facta* coniungit Sallustius Cat. 55. *dignum moribus factisque suis exitum vitae invenit.* Cf. Flor. II. 4. 7. *moribus suis domiti ferocissimi hostium.* et Freinshem. in Ind. ad Flor.

IV. *in unum multis milibus armatis*) Vid. Praefat. p. XLVI. Perperam locum capit Wopkens. p. 71.

viris atque equis) Formula in proverbium abiit. v. Gronov. ad Liv. XXI. 27; Duker. ad Flor. I. 18. 6.

iugis Caucasi) i. e. de montibus. Tacit. Hist. I. 61. *Peninis iugis degredi iussus.* 70. *num Rhaeticis iugis in Noricum flecteret.* Liv. XXII. 18. *Fabius medius* (Gronov. *mediis*) *inter hostium agmen urbemque Romam iugis ducebat*, i. e. per montes, explicante Gronovio. Alia Heins. ad Ovid. Her. V. 20.

neque num inferiores) i. e. et quidem numero non inf. *Neque* explicativum est. v. Goerenz ad Cic. de Leg. I. 10. p. 42.

imposito Phala) i. e. praeposito, praefecto. Cap. 22. *regno impositus.* VI. 23. *ducem populo imponere.* Cf. infra c. 14. *imponi faciendo operi.* In primis amatum hoc dicendi genus Tacito est. v. Cort. ad Sall. Cat. 51. 28. Iug. 100. 3.

duce atque rectore) Spartian. Ael. Ver. 3. *dux atque rector.* Cf. ad II. 31. 35.

reliqua praedae) Apul Met. IV. p. 274. *reliqua fallaciae.* Liv. IX. 16. *reliqua belli.* Cf. ad II. 45.

V. *diversi suo quisque genere*) Sive *diversi* explices: diversa ratione; sive: diverso loco, separatim: utrumque Sallustianum. Cat. 2. *Reges — divorsi, pars ingenium, alii corpus exercebant*, i. e. diversa ratione. Iug. 87. *divorsi in locos difficiles abeunt.* Iug. 101. *divorsi redeuntes, alius ab alia parte*, i. e. diversa via.

praebuerant) i. q. praebebant. Infra: *qui — socii fuerant.* VI. 12. *qui reliquus iam filiorum Hectoris superfuerat.* II. 14. *tamen nonnullis ducum dolori fuerat.* II. 43. *qui in ea parte fuerat.* cf. ad II. 18 et supra ad c. 2. Plusquamperfectum Indicativi loco Imperfecti familiare est auctoribus, qui labente latinitate scripserunt, ut docet Salmas. ad Spart. Hadr. 3. p. 38. a.

At contra) Sall. Iug. 15. *At contra pauci — subveniundum Adherbali censebant.* Iug. 36. *At contra Iugurtha trahere omnia.* cf. ad III. 22.

instructi pro tempore) Liv. XXX. 16. *his raptim pro tempore instructis.*

satis impigre) Laudat Cort. ad Sall. Iug. 101. 7. *satis impigre occiso pedite nostro.* Cf. infra c. 17. *impigre gladio interficit.*

acies — reformatae) De insolentia formulae monui Praef. XLIV. Aeque autem insolentia et recentiori latinitati adiudicanda sunt haec Hegesippi: I. 10. *reformare usum belli.* 17. *urbem eversam.* 18. *terram finibus suis.* 26. *pacem et quietem.* II. 11. *concordiam publicam.* cet.

adhibito secum fortissimo) Vid. Praefat. p. XLV.

victoriam concessere) Sulpic. H. S. I. 5. 4. *primoque impetu fusi, victoriam concessere.* I. 34. 5. *in fugam versi, victoriam concessere.* Et sic etiam Hegesipp. II. 9. alibi. Cf. ad priorem Sulpicii loc. Vorstius.

eo die incensae — forent, ni — cohibuisset) Cap. 20. *Atque eo die excisa eversaque moenia hostium forent, ni nox — cohibuisset.* Sall. Cat. 18. *quod ni Catilina maturasset — eo die pessumum facinus patratum foret.* Iug. 21. *ni multitudo togatorum fuisset — uno die — coeptum atque patratum bellum foret.*

et nostris adv. res) Intell. tantae adv. res. Lib. II. 33. *Tantus amor exercitum erga, curaque in animo — insederat.* intell. tantaque cura V. 13. *tantus dolor iniuriae, et ob id studium — incesserat.* III. 9. *tantum in eo vivo praesidium, et interfecto spes ablata.*

VI. *neque segnius — actum*) i. e. res acta est. Oros. II. 12. *actumque infeliciter foret,* i. e. res acta esset. Cf. nost. II. 8. *male actum adversus Graeciam.* Ex Plauto praesertim et Terentio talia repeti possunt. Eodem modo absolute ponitur *gestum* lib. V. 12.

ut in tali certamine) Liv. XXX. 6. *Scipio neglectas, ut in tali tumultu, portas invadit.* XX. 5. *consul, perculsis omnibus, ipse satis, ut in re trepida, impavidus.* Sall. Iug. 107. *ea res, ut in tali negotio, probata.* Flor. III. 17. 9. *Drusum — matura, ut in tali discrimine, mors abstulit.* Cf. Wopkens. p. 72; Oudendorp. ad Caes. B. G. VI. 34.

ab ceteris uti se defenderent) i. e. contra ceteros se tutarentur. Sall. Hist. I. 5. *Nam quid a Pyrrho, Hannibale Philippoque et Antiocho defensum est aliud, quam libertas et suae cuique sedes,* i. e. quid aliud contra Pyrrhi vim tutati sunt, quam libertatem.

vertitque in latus) Cf. Apul. Met. I. p. 14. *ore in latus detorto.* p. 54. *in alterum latus volutus.* p. 48. *capite in alterum dimoto latus.*

VII. *Tum vero cerneres* cet.) Sall. Cat. 61. *Tum vero cerneres, quanta audacia* cet. Sulpic. Dial. III. 6. 4. *Tum vero cerneres* cet. Vit. Mart. 14. 2. *Tum vero mirum in modum*

cerneres cet. Pugnae descriptio ex variis Sallustii locis adumbrata est. Iug. 101. extr. *Tum spectaculum horribile campis patentibus: sequi, fugere: occidi, capi: equi, viri adflicti: ac multi, vulneribus acceptis, neque fugere posse, neque quietem pati; niti modo, ac statim concidere: postremo omnia, qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus; inter ea humus infecta sanguine.* Quem locum imitatur etiam Tacit. Agr. 37. cf. Sall. Cat. 51. *armis, cadaveribus — omnia compleri.*

commutantur animi) Sulpic. H. S. I. 30. 5. *mutatis animis, totis viribus concurrunt.* Noster II. 42. *animorum commutatio.* cf. Wopkens. p 57.

VIII. *iustisque factis*) Perizonii Diss. §. XL et Wopkensii p. 81. de particula *que* datis exemplis adde: cap. 22. *Ita negotio composito Antenor*, traditoque *sibi Talthybio — ad Troiam venit.* VI. 10. *Ab eo cognitum mihi — ut — Himera — delata — ad regionem eius Palliochin nomine*, sepultisque *fratris reliquiis, nusquam repente comparuerit.* II. 45. *ingressus Troianos campos*, explicitisque *tentoriis, ibidem opperiebatur.* Gell. V. 9. *Quum vero in patrem eius bello magno victum*, et urbe — capta, *hostis — invaderet.* Auct. B. Afric. 38. *paullisper commoratus*, perspectaque *natura loci — legionibus opus attribuit.*

curam — exsurgendi omiserant) *Exsurgere* eleganter pro: se erigere, ad meliorem fortunam redire. Cic. Epist. XII. 10. *auctoritate vestra resp. exsurget, et in aliquo statu tolerabili consistet. Curam omittere* est: abiicere, mittere ex animo. Liv. XXX. 3. *curam ex animo miserat Syphacis reconciliandi.* Apul. Met. XI. p. 764. *mitte iam fletus, et lamentationes omitte, depelle moerorem.* Formula *curam omittere* utitur noster etiam lib. III. 26. Sensus loci est: desperaverant de meliore fortuna.

IX. *ferire inter se acies*) Ni sequeretur *aut iaci tela*, explicarem *ferire* per tela mittere: quae explicatio cum frustra sit, tribuenda Septimio insolens formula *feriunt inter se acies*, i. e. acies committuntur, ut ita dicam, vel inter se concurrunt, ut loquitur Sulpic. H. S. I. 52. 5. Cf. Hegesipp. V. 22. *duobus inter se conserentibus.* Sall. Hist. I. 8. *conse-*

rere inter se manus. Ob oculos habuisse atque immutasse Septimius videtur illa Sall. Iug. 50. *neque contra feriundi* (i. e. tela mittendi), *aut manum conserendi copia erat.*

desolatis ordinibus) *Desolati ordines* sunt vastati et relicti, qui vasti relinquuntur, in quibus nemo remanet. Virgil. Aen. XI. 870. *Turbati fugiunt Rutuli; fugit acer Atinas; Disiectique duces desolatique manipli Tuta petunt, et equis aversi ad moenia tendunt.* Tacit. Ann. I. 30. *Nonanus opperiendas Tiberii epistolas clamitaverat; mox desolatus aliorum discessione, imminentem necessitatem sponte praevenit.* Sueton. Calig. 12. *deserta desolataque aula.* ubi frequens verbum *desosolatus* Apuleio esse adnotat Oudendorpius.

praeceps dati) Auson. Mosell. 272. *Vidi egomet quosdam — in sublime citatos, Cernua subiectum praeceps dare corpora in amnem.* Ios. Iscan. VI. 442. *et praeceps dat desperatio vires.* Alia habet Wopkens. p. 75.

undique ademta fuga) Citat inter alia Burmann. ad Ovid. Met. VI. 572.

quae secum tractaverat) i. e. egerat, deliberaverat. Cap. 22. *ubi satis tractatum visum est.* V. 8. *finis in tractando.* Gell. I. 23. *Cum in senatu res maior quaepiam consultata, eaque in diem posterum prolata est, placuitque ut hanc rem, super qua* tractavissent, *ne quis enuntiaret prius quam decreta esset.* Nep. Eum. 5. *dum de conditionibus tractat.* Curt. X. 10. *Tractandum est, commilitones, cogitandumque, ut* cet. Familiare esse hanc notionem ICtis, monui ad III. 27.

Troili casum) Cap. 8. *in casu Memnonis.* 13. *deflentibus casum tanti viri* I. 5. *casum domini deflentes.* II. 2. *ex casu suorum perculsis.* II. 3. *eius casu — perculsus.* In his *casus* κατ' ἐξοχὴν et per εὐφημίαν ponitur pro novissimo casu, pro morte. v. Perizon. Diss. §. XXXIX. Sall. Iug. 72. 1. *ubi de casu Bomilcaris — cognovit.* ubi v. Cortius; qui tamen, Perizonium secutus, male huc retulit Sept. III. 14, ut illo loco ostendi. Apul. Met. VIII. p. 522. *casum mariti quiritans.*

in primis pueritiae annis) Citat Oudendorp. ad Apul. Met. III. p. 187.

acceptus popularibus) Sall. Iug. 7. *hominem tam ac-*

ceptum popularibus. Iug. 70. *carum acceptumque popularibus suis.*

X. *ad Ach. — cum mandatis mittit*) Sall. Iug. 32. extr. *Manlius — ad Marcium regem mittit cum mandatis huiusmodi.* ubi v. Cort., ut ad Iug. 12. 4. Septimius infra c. 22. *iubet ad Graecos cum mandatis belli deponendi ire Antenorem.*

rumorem — ortum clementer) Sall. Iug. 22. (25) *sed is rumor clemens erat.* ubi v. Cort. et Wass. qui Sept. laudant. Praeterea Wasse recte coniungit *ortum cl. per exercitum.*

in verum traxerant) Sall. Iug. 92. *omnia — in virtutem trahebantur:* ubi cf. Cort.

concitatus — animus leniretur) Sall. Iug. 11. extr. *neque lenitur animus ferox.*

de cetero) i. q. ceterum. Cic. Fin. I. 7. *De cetero vellem equidem aut ipse doctrinis fuisset instructior, aut ne deterruisset alios a studiis.*

deterrerent — agere) Cic. Verr. I. 5. *commemorare pudore deterreor.*

XI. *confirmator veluti eorum*) i. e. confirmaturus et confecturus ea, quae. Cf. Cic. Cluent. 26. *sequestra et confirmator pecuniae.* Verr. II. 44. *sequester, interpres. confector negotiorum.*

exosculari) Infra *exosculati.* V. 10. *exosculantur.* Utuntur hoc verbo Tacitus, Suetonius, Gellius, et est in proprietatibus Apuleii, apud quem active et passive legitur.

quae consensisset) Accusativum huic verbo adiungunt etiam Liv. VIII. 6. *consensit et senatus bellum.* et Cic. Fin. II. 35. *Idne consensisse de Calatino gentes arbitramur.*

ab eo divelli aut omittere) Ad *omittere* per syllepsin intell. eum. Sall. Cat. 51. 38. *imitari, quam invidere bonis malebant*, intell. imitari bona: ubi v. Cort. Sept. VI. 14. *quod complecti cupienti sibi porrigentique manus.* Ad *porrigenti manus* intell. illi. *Omittere* i. e. missum facere. Plaut. Mil. Glor. 2. 5. 43. SC. *Lege agito: te nusquam* mittam, *nisi das firmatam fidem, Te huc, si* omisero, *intro ituram.* PH. *vi me cogis, quisquis es. Do fidem, si* omittis, *istoc me intro ituram, quo iubes.* SC. *Ecce* omitto. PH. *at ego abeo* missa.

aversum hostem) i. e. a tergo. Liv. IV. 27. *unde ex necopinato aversum hostem invadat.* Al. MSS. *adversum.* Multa ibi Drakenb.

geminato ictu transfigit) Wopkens. p. 76. affert Vell. Pat. II. 70. *uno ictu transfixus.* Tacit. Ann. XI. 38. *ictu tribuni transfigitur.*

alia, quam venerant) Intell. quam ea erat, qua ven. Lib. VI. 13. *alio, quam ierat die.* Liv. XXXI. 14. *altera die, quam a Brundisio solvit.* Ammian. XXIV. 3. *postera die, quam haec acta erant.* cf. Cort. ad Sall. Iug. 76. 5.

Quos visos — non temere est — quod — prosiluere) Septimio hanc sententiam scripturo obversabatur oratio indirecta: *Quos visos Ulixes non temere exclamavit prosiluisse.* Ita vero exorsus, statim pergit oratione directa: *non temere est, quod prosiluerunt.* Plaut. Poen. III. 3. 46. *tu, si te Dii ament, agere tuam rem occasio est: tu* pro tibi. Terent. Hec. III. 1. 6. *nam nos omnes, quibus est alicunde aliquis obiectus labos, omne, quod est interea tempus, priusquam id rescitum'st, lucro'st: nos omnes* pro nobis omnibus lucro est. Talia, *ἀνακόλουθον* grammatici figuram vocant, passim viri docti congessere: vide eos, quos laudant Ruhnken. ad Terent. loc. Dictat. p. 219. et Oudendorp. ad Apul. Met. IV. p. 242.

non temere est) i. e. non vanum, non sine gravi causa. Virgil. Aen. IX. 375. *Haud temere est visum, conclamat ab agmine Volcens.* Elegantem esse et frequentem apud comicos formulam adnotat Ruhnken. ad Terent. Eun. II. 2. 60. Dict. p. 104. Eadem significatione Plaut. Asin. 2. 1. 14. *non temerarium'st.*

inconsulta temeritas) Eadem verba Hegesipp. I. 32.

XII. *certamen brevi adolevit*) i. e. res brevi accrevit ad certamen, brevi ad certamen ventum est. Hegesipp. II. 10. V. 19. *bellum adolevit.* II. 15. *bellum adolescere cupiebant.* V. 3. *bellum adolebat.* Praeivisse videtur Sallustius, qui Iug. 18. *res Persarum brevi adolevit.* Iug. 63. *inter bonas artes integrum ingenium brevi adolevit.* cf. Sept. V. 15. *seditio brevi adulta.*

ferit) i. e. occidit. Sall. Cat. 7. Iug. 85. *hostem ferire.* Iug. 6. *leonem — ferire.* Apul. Met. III. p. 182. *qui repu-*

gnavit, *feriatur*. Hegesipp. V. 2. *sine proelio hostem ferire*. V. 38. *qui flammas fugientem feriret*.

XIII. *uti res exposcebat*) Sall. Iug. 70. *uti res posceret*. ubi autem al. *exposceret*.

summam militiae orbatam et ademtum complurimum) Daceria adnotat, dici latine non posse *summam rei orbari*. Atqui dicit Septimius: *summa militiae orbata est*, i. e. orbitate affecta, quia scil. quasi columen rerum Graecarum cum morte Achillis concidit. Proba porro enuntiatio est *ademtum complurimum*, neque nova, ut Daceria putat; significans: Achille interemto Graecos vel maximo damno affectos, maximoque fortitudinis praesidio privatos esse. Infinitivi pendent ab intelligendo verbo: sentiebant, dolebant. *Summa militiae* dicit Hegesipp. II. 14. III. 1. V. 52.

cui viro egr. — licuerit) *Cui* i. e. cum ei, licet ei. Sueton. Calig. 29. *adiecit, necessariam esse sanguinis missionem, cui tamdiu non prodesset elleborum*. al. *cum tamdiu*; sed *cui* est: cum ei. Sept. V. 14. *quis etiam nunc bellum in manibus, atque hostiles multae nationes circumstreperent*. ubi al. *quum etiam*; sed *quis* est: cum iis, licet iis. — Sententiarum totius loci paulo durior nexus. Plurimi milites haud ita dolebant, uti res poscebat: ceterum tamen cum dolore sentiebant, Achillis mortem maximum damnum Graecis intulisse. Quare id quoque dolorem movit, quod vir fortissimus, in quo sita omnis spes et fiducia erat, tamen ne honestam quidem mortem, i. e. palam et aperto campo pugnando, sed insidiis in luco paratam, oppetiisset.

non destitit, quam) Intell. non prius, quam. De qua ellipsi Sanct. Min. IV. 7. p. 699.

coadunarentur) Vide de hoc verbo Praefat. p. LVI.

ultra virilem modum) Trebell. Poll. in trig. tyr. 30. *ultra foemineum modum*. Sulpic. Vit. Mart. 2. 7. *ultra humanum modum*. Totum locum citat Cort. ad Sall. Iug. 82. 2.

percoluerat) Cap. 17. *quem — parentis loco percolebat*. I. 23. *Eum — non secus quam parentem miles omnis percolebat*. Eadem vi dictum *percolere*, qua simplex *colere*. Vicies ita Apuleius.

XIV. *Alex. commentum*) h. e. facinus. Ita Iustin. XXI. 3.

Cum rapinae occasio deesset, universam civitatem callido commento circumvenit. Vinding.

confirmaverat) i. e. ut socium auxiliatoremque sibi devinxerat.

vitem — auro effectam) Citat locum ob verbum *efficere* Burmann. ad Ovid. Met. VII. 129.

multis clarus) i. e. apud, inter multos homines. Horat. Od. III. 24. 30. *clarus postgenitis*. Cic. Amic. 27. *virtus — etiam posteris erit clara et insignis.* quo loco allato Wopkens. p. 78. *multis* tertio casu accipit.

in melius converterat) Plin. Ep. X. 75. *reparare in melius*. Noster III. 14. *mutare in melius*. Cf. Sall. Iug. 70. *praemia Metelli in pestem ne converteret.*

XV. *sepulchrum — exstruendum — locat*) Cic. Phil. IX. 7. *quaestoribus — imperent, ut eam basim statuamque faciendam et in rostris statuendam locent: quantique lacaverint, tantam pecuniam redemtori attribuendam solvendamque curent. Sepulchrum* ponitur pro busto, tumulo. Infra: *offendit tumulum exstructum.* v. Ruhnken. ad Terent. Andr. I. 1. 101. Dict. p. 21.

nihil — dignum doloris) Laudat Heinsius ad Ovid. Pont. IV. 8. 15. *nihil hic dignum poteris reperire pudore.* ubi ex MSS. vult *pudoris*, similiaque affert. Plaut. Trin. 5. 2. 29. *Non ego sum salutis dignus?* ubi. vid. Taubmannus. Cf. ad I. 1.

iuxta amissionem) Videtur dici, ut c. 8. *dolor in casu. Iuxta* autem pro *in* habuimus lib. III. 22. Possit etiam vim comparativam habere, ut dicatur pro: si respicis iacturam. *Amissio* i. q. mors, ut lib. V. 2. *post mortem carissimorum quam in ipsa amissione.* Lactant. de falsa Sapient. III. 28. 8. *amissio — carorum.*

memorabant) i. q. appellabant. Artopoeus in Ind. confert Virgil. Aen. I. 531. cf. Plaut. Trin. IV. 2. 41.

exitum — mortis) *Exitus vitae* dicit lib. VI. 15. extr. Utrumque coniungit Vell. Pat. II. 7. 1. *Hunc vitae mortisque habuere exitum.* ad quem loc. Ruhnkenius *exitum vitae* accipit pro ipsa morte, *exitum mortis* autem de genere mortis; hocque perpetuum esse in his formulis discrimen docet. In exemplorum numero etiam noster locus eum non

praeteriit; et consentientem habet in explicandis Septimianis verbis Wopkensium p. 78. qui *exitum mortis* hic idem esse statuit, quod lib. V. 15. *mortis genus*. Cf. Davis. ad Cic. Tuscul. I. 2. Iustin. VII. 2. *postrema mortis*. Hom. Il. XX. 429. *ὀλέθρου πείρατα*. Eurip. Med. 152. *θανάτου τελευτά*. Laudat Septimium Wass. ad Sall. Cat. 58.

ad tentoria par. vadit) Cap. 17. *ad pugnam vadunt*. V. 5. *ad Priamum vadunt*. Idem valet formula *ad locum pergere*, de qua ad I. 22.

animum aequum haberet) Liv. XXIV. 31. Sall. Iug. 85. *bonum animum habere*. cf. ad I. 9.

sibi — ignoratum esse) pro: ignotum esse; vel: nec a se unquam ignoratum esse, neque etiam nunc ignorari; ut Perfectum generalem contineat sententiam. Dativum eodem modo adhibet Apul. Apol. p. 65. Bip. *idque Oeae nemini ignoratur*. Explicatur Dativus Cic. Tuscul. V. 23. *ignoratum a Syracusanis sepulchrum*.

forti pectore patienda) Virgil. Aen. IV. 11. *quam forti pectore, et armis!* cf. Liv. XXXIX. 10. *omnia infanda patienda primum, dein facienda*.

concessam legem) i. q. conditionem. Cic. Fam. V. 16. *homines nos — ea lege natos, ut omnibus telis fortunae proposita sit vita nostra; neque esse recusandum, quo minus ea, qua nati sumus, conditione vivamus*. Cf. Ernest. Clav. Cic.

turpem namque ac det. cet.) Affert Wass. ad Sall. Iug. 114.

in luce belli) De nova hac formula adi Praefat. p. XXXIX.

in praeteritum) i. e. quod attinet ad tempus praeteritum. Dictum *κατ' ἀναλογίαν τῶν in futurum, in reliquum, in perpetuum, in praesens*, scil. tempus. Sueton. Domit. 9. *Scribas praetorios — venia in praeteritum donavit*. Apul. Apol. p. 596. *Solvo vos in praeteritum isto metu*. Ulpian. Dig. I. 3. 22. *cum lex in praeteritum quid indulget, in futurum vetat*.

solum virum dignum) scil. fuisse eum, Achillem. De sequenti *μακρολογίᾳ exscindi deceret* pro exscinderetur consulas Wopkens. p. 79.

abnuere) i. e. negare. Liv. IX. 17. *haud equidem abnuo, egregium ducem fuisse Alexandrum.* Hegesipp. III. 17. *Nec ego abnuo, bonum esse pro patria mori.*

XVI. *in proximum diem certamen pronunciatum*) i. e. publice indicatum est, proximo die certamen fore. Liv. XXIV. 14. *proelio in posterum diem pronunciato.* Liv. XXX. 10. *omisso opere, pronunciatum iter.*

facinora numerare) pro enumerare. Cic. N. Deor. III. 31. *dies deficiat, si velim numerare, quibus bonis male evenerit.*

itinere maris) Apul. Met. II. p. 121. *et maris et viae confeceris iter.* Met. I. p. 53. *noctis iter incipere.* ubi cf. Oudendorp.

torpentibus — membris) Liv. XXI. 58. *torpentibus rigore nervis.*

solitis viribus) Virgil. Aen. XI. 415. *si solitae quidquam virtutis adesset.* Vopisc. Aurel. 17. *solitam ex nobis ede virtutem.*

XVII. *memorando duce*) i. e. memorabili, inclyto. Senec. Herc. fur. 441. *per tot ingentis viri memoranda facta.* Idem Octav. 921. *tot natorum memoranda parens.*

aspernato certamine) *Aspernari* sensu passivo. Cic. apud Priscian. 8. *qui est pauper, aspernatur.* Alia Drakenb. ad Liv. VIII. 28. 3.

magna vi — decertantes) Citat Cort. ad Sall. Cat. 60. 3.

et ipse desiliens) i. e. cum et ipse desiliisset.

XVIII. *neque — nequisse pati*) Catull. IV. 3. *neque — nequisse praeteriri.* Virgil. Aen. VII. 195. *neque enim nescimus urbem et genus*, i. e. ignoramus. Cf. Non. p. 530 et 532. Merc.; Oudendorp. ad Apul. Met. V. p. 335. et Caes. B. G. V. 23. VII. 77.

XIX. *lacessit — sagittario certamine*) Perperam Wopkens. p. 80. et editores iunxere *auderet certamine:* quos scil. fugerit frequentia formulae *lacessere certamine, proelio,* pro ad certamen, ad proelium. Ipse Sept. II. 39. *ut — Menelaum — solitario certamine lacesseret.* Cic. leg. Manil. 9. et Vell. Pat. II. 109. *lacessere bello.* Liv. XXXIX. 21. et Caes. B. G. IV. 11. *lacessere proelio.* Anacreon Od. 14. 7. *μάχῃ με*

προύκαλεῖτο. Pro eo Liv. II. 45. *lacessere ad pugnam.* Noster supra c. 9. *lacessere ad bellandum.* — *Si auderet* pro: an auderet; ut V. 1. *exspectantibus audire, si quis modus tantis malis fieret* — De formula *sagittarium certamen* vid. Praefat. p. XLII.

spatium certaminis) *Certamen* pro loco certaminis. Paullus Dig. I. 1. 11. *alia significatione ius dicitur locus, in quo ius redditur: appellatione collata ab eo quod fit, in eo ubi fit.*

sagittam contendit) ut Virgil. Aen. V. 520. *telum contendere.* X. 521. *hastam contendere.*

per dolorem) Idem lib. V. 9. *Per* pro propter; ut et in hisce: II. 42. *per conditionem hiemis.* II. 13. *per miserationem servata civitas.* V. 14. *turbatis per tempestatem officiis nautarum.* Cf. Drakenb. ad Liv. XXXIII. 18. 22; Cort. ad Sall. Cat. 48. 7.

tertio consecutus vulnere) Apul. Met. IX. p. 662. *eosque variis aggressi vulneribus distrahunt.* p. 671. *saevioribus eum plagis aggreditur.* Poetam decet hic loquendi mos. Virgil. Aen. II. 529. *Priamum ardens vulnere Pyrrhus persequitur.*

fugientem — per utrunque pedem traiicit) Cap. 11. *hostem per utrumque latus — transfigit.* Apul. Met. IX. p. 663. *iniecta lancea, duorum alterum per pectus medium transadegit.* Antiqui ponere solent Accusativum loci, cui vulnus infligitur: ut noster supra: *sinistram manum hosti transfigit.* Caes. B. G. V. 35. *utrumque femur trajulâ traiecit.* Quo antiquo more abhorrent etiam haec: Apul. Met. IV. p. 262. *gladium per medium pectus ictu fortissimo transadigit.* VIII. p. 520. *per femur dextrum immisit lanceam.* p. 545. *ferro sub papillam dextram transadacto.*

XX. *terram desuper volvere*) Sall. Iug. 57. *oppidani in proxumos saxa volvere.*

se moenibus defensarent) In eundem sensum c. 22. *resistere moenibus.* Liv. I. 2. *propulsare bellum moenibus.* Hegesipp. II. 9. *moenibus hostem repellere.* III. 23. *murisque sese ambientibus defensarent.* Sulpic. II, S. I. 50. 4. *non ausus manum conserere, muris se tuebatur.* Formam *defensare* ha-

buimus etiam lib. II. 1; quae frequens Sallustio est: Iug. 60. *moenia defensabant.* Iug. 26. *moenia defensabantur.*

XXI. *initium — sumit*) Tacit. Ann. VI. 25. *sumtus finis.*

itineris medio) Lib. V. 10. et Hegesipp. IV. 4. *campi medio.* Virgil. Aen. IX. 230. *castrorum et campi medio.* VIII. 563. *medio Italiae.* VIII. 59. *tecti medio.* Tacit. Ann. XIV. 2. *medio diei.* XIII. 28. *medio temporis.* Hegesipp. I. 35. *templi medio.*

fertur Oenonem — commotam) Eadem constructione Spartian. Ael. Ver. 3. *fertur — Hadrianum Veri scisse genituram.* Pompon. Dig. I. 2. 2. *ipsum Romulum traditur populum in triginta partes divisisse.* Nep. Paus. 5. *dicitur eo tempore matrem Pausaniae vixisse.* Pluribus disputant Duker. ad Flor. II. 6. 45; Perizon. ad Sanct. Min. III. 1. 2; Drakenb. ad Liv. I. 31. Frequens constructio Graecis est. Thucyd. II. 20. λέγεται τὸν Ἀρχίδαμον — ταξάμενον μεῖναι. cf. Xenoph. Anab. I. 2. 12; Gronov. ad Arrian. Exped. Alex. I. 1. p. 2. Adi etiam lib. II. 14. not. cr.

per moerorem deficiente animo) *Interclusa anima* dicit Gellius lib. III. 15, ubi similia enumerat mortis genera hominum, qui turba et quasi ruina incidentis necopinatae rei oppressi exanimatique sunt.

XXII. *Ceterum Troiani*) Attende nexum: *Troiani — cuncti proceres seditionem — extollunt.* Explicationi serviunt verba *cuncti proceres.* Similia ex nostro notantur ad II. 2.

aut vires valent) scil. resistere moenibus. *Neque — aut* particulae sibi respondent etiam Sall. Iug. 72. 74. et apud alios.

seditionem — extollunt) De qua phrasi v. Praef. p. XLVII.

testimonium capit) i. e. accipit. Hegesipp. I. 24. *egregium virtutis suae testimonium apud Caesarem invenit.* Wopkens. p. 82. affert Cic. Fam. V. 17. *testimonium cepisse.*

petitu Hesionae) Vid. Praefat. p. XLIX.

male desipientem) pro valde des.: de qua vi Ruhnken. ad Terent. Ad. IV. 1. 7. Dict. p. 196.

parcum in suo atque appetentem alieni) Sallustii loco (in not. cr.) adde Tacit. Hist. I. 49. *Pecuniae alienae non appetens, suae parcus, publicae avarus.* Cf. Wopkens. p. 82.

neque sacro neque profano abstinuisse) Sall. Cat. 11. *sacra profanaque omnia polluere.*

magis in suos) *Magis* pro maxime, potissimum. Vict. Epit. c. 1. *corpore toto pulcer, sed oculis magis.* Infra lib. V. 10. *inter ceteros dilectum magis propter prudentiam.* Confer quae ad lib. II. 15 Wopkens. p. 83. Sulpic. Epist. I. 6. *omnes fere sanctos magis insignes periculorum suorum fuisse virtutibus.*

legatus pacis) scil. agendae causa. Compara nostrum: Friedensgesandte. Cf. Sulpic. Vit. Mart. 4. 7. *legatos de pace miserunt.* Hegesipp. V. 10. *dum putat aliquem profectum fore pacis futurae.* Oros. IV. 7. *ad colloquium pacis evocatus.*

secreto ab aliis) Idem dicendi genus Caes. B. G. I. 18. cf. noster c. 10. *separatim ab aliis.* 18. *vita semota ab aliis.* et Oudend. ad Caes. B. G. I. 31.

composita inter se longe alia) i. e. longe alia, atque inter se composita erant. Dura oratio.

bellum omittere) i. q. supra *bellum deponere.* Eadem formula utitur Sulpic. H. S. I. 51. 1; ut Oros. II. 15. *certamen omittere.* Eodemque more lib. I. 21. *coeptum omittere.* V. 16. *omittere iras.* supra c. 8. *curam omittere.* et alia alii. v. Cort. ad Sall. Iug. 93. 1.

GLOSSARIUM SEPTIMIANUM

AD

LIBRUM QUINTUM.

I. *cupientes dinoscere*) pro cognoscere; ut lib. IV. 18. VI. 4. 5. alibi. v. Wopkens. p. 83.

actitata) pro acta. Apul. Apol. p. 574. *ut in tali re actitari solet.* pro fieri.

relata differt) pro relationem; ut lib. III. 10. *turbata* pro turbatio. Sic *consulta* pro consultio, *instituta* pro institutio, *ulta* pro ultio, *missa* pro missio, et alia dici apud Romanos, docuit Salmas. ad Trebell. Poll. in Gall. duob. 12. p. 215. et ad Vopisc. Firm. 3. p. 695.

custodiendum) i. e. curae esse debere, prospiciendum esse. Significatio rara. Colum. XI. 3. *custodiendum est, ut quam minime ad eum locum mulier admittatur.*

antiquissimam) i. e. maximi prae omnibus rebus. Sic Cic. Quint. Fr. II. 2. *causa antiquissima.* Attic. X. 8. *cura antiquissima.* Plin. Ep. X. 9. *victoria maxima, pulcherrima, antiquissima.*

admiratur) Intell. Graecos. Lib. IV. 16. *virtutem eius commemorando, efferre laudibus,* scil. patrem. cf. Sall. Iug. 4. *ne per insolentiam quis existumet, memet, studium laudando, efferre laudibus.* ubi, addito quidem Accusativo Obiecti *memet*, qualis Septimii locis subintelligi debet, subaudiendus est Accusativus Infinitivi *me.*

quietum disceditur) Lib. IV. 16. *quietum abeunt.* pro cu-

bitum. Obsoletum Supinum. Sed ipse Liv. II. 23. *uno aut altero arrepto, quieturos alios*, i. e. quietos fore. Hegesipp. I. 41. *non diu quietura iudicia Dei.* I. 30. *ni sibi acquietum foret.*

modus tantis malis) Citat Wass. ad Sall. Cat. 41. *requirere coepit, quem exitum tantis malis sperarent.*

II. *Grave est*) v. Cort. ad Sall. Iug. 14. Exc. III. 4; Wopkens. p. 84.

en unquam) Liv. XXX. 21. *En unquam ille dies futurus est, qua* cet. ubi elegantem formulam expedit Gronovius; quem ante oculos habuit Ruhnken. ad Terent. Phorm. II. 2. 15. Dict. p. 249.

ad requiem emersit) Optime. Terent. Andr. III. 3. 30. *facile ex illis sese emersurum malis.* ubi v. Ruhnken. Dict. p. 59. *Malis emergere* dicit etiam Sulpic. H. S. II. 15. 7.

ut ex me) pro ex meo, scil. luctu, dixit per enallagen saepius a nobis illustratam. Wopkens. p. 85. Cf. Phaedr. I. 2. 8. *a te decurrit ad meos haustus liquor.*

futuris — parcendum ac consulendum) Significationem verbi *parcere* ipse indicavit Septimius, adiecto verbo *consulere*; et seq. cap. sententia: *praesentium habendam rationem curamque futuris adhibendam.* Est nempe: curam habere, prospicere. Cic. Fam. XI. 27. *quem cum obiurgarem, quod parum valetudini parceret.* Plaut. Trin. II. 2. 35. *neu tibi aegritudinem, pater, pararem, parsi sedulo.*

Graeci homines) ut Gell. VIII. 11. *homines Afri.* V. 10. *homines Megarenses.* Sall. Cat. 38 et 52. *homines adolescentes, adolescentuli.* Terent. Phorm. II. 1. 62. *homo servus.*

principes benev. atque off.) Qui primi benevolentiam et officia Troianis praestiterint, explicat Daceria. Cic. Phil. VII. 9. *Laudandi sunt Firmani, qui principes pecuniae pollicendae fuerunt*, i. e. qui primi polliciti sunt. Cf. cap. 17. *princeps amicitiae.*

testis his rebus) pro harum rerum. De Dativo v. ad c. 8.

fructum — tulit) De qua formula Vorst. ad Sulpic. H. S. I. 5. 2.

In qua re — auctores) Lib. II. 26. *ut in inferendis iniuriis, ita et in inchoando proelio fite auctores. In* cape pro: quod attinet; de qua vi monuimus ad lib. III. 5. Non enim latinum est *auctor in re*, sed *auctor rei.*

in futurum) Tacit. Ann. IV. 37. *quid in futurum statuerim, simul aperiam.* v. Cort. ad Sall. Iug. 42. 4. et nos ad IV. 15.

neque committendum, ut) De hac eleganti formula, qua noster utitur etiam lib. III. 25. et VI. 2, disserit Ruhnken. ad Terent. Ad. II. 1. 5. Dict. p. 185.

attinuere in hunc diem) i. e. me retinuere. Laudant locum Cort. ad Sall. Iug. 108. *Numidam spe pacis attinuisse.* et Oudend. ad Apul Met. III. p. 62. *sopor — in altum diem nos attinuit.* Apul. Met. IV. p. 236. *nec me cum asino vel equo meo compascuus coetus attinere potuit — sed — hortulum — invado.*

in totum) i. e. prorsus. Senec. Nat. Quaest. II. 27. *in totum sibi excidunt.* Amata phrasis Plinio et praesertim Ulpiano.

non feram) i. e. sustinere non possum; quo sensu lib. III. 26. *pati* dicitur, et Graecis usitatum καρτερεῖν. *Pati* et *ferre* hoc sensu iuxta ponit Terent. Eun. I. 1. 7 et 9. ubi v. Ruhnk. Dict. p. 90. sq.

me — morari) Illud *me*, ad sensum superfluum, eleganter tamen additur. Sall. Cat. 1. *qui sese student praestare ceteris animalibus.* ubi v. Cortius.

cum his morari) i. e. inter eos amplius versari, cum his vivere. Sic cap. 9. *se cum eo — in Graecia moraturum.* VI. 5. *utramque reginam insularum, in quis morabantur.* III. 3. *cum Agamemnone commorantur.* cf. Senec. Ep. 2 et 32.

utcunque iam sepelivimus) Vid. Praefat. p. L.

per scelus) i. e. sceleste. Sall. Iug. 14. *per scelus vitam eripuit.* ibid. *per scelus et sanguinem familiae nostrae tabescere.* cf. ad II. 34.

arae — sanguine — infecta) Sall. Hist. I. 23. *arae supplicium sanguine foedantur.*

maiora supplicia) Cogitat Daceria de Hectore, quem amissum videre insepultum, gravius fuisset, quam eum amit-

tere. Atqui Hector ante occisus est, quam arae deorum Achillis sanguine foedatae. Antenor dicens, post cladem filiorum Troianorum multo maiora infortunia imminere, alludit ad Troiae ruinam, quae auro et praemiis esset avertenda.

divitias, pot. civ. suis, teneat) Explica: divitias, videlicet potiores civibus, secum retineat.

his etiam — incubet) Sulpic. H. S. I. 23. 5. *auro incubant.* Hegesipp. I. 25. *incubare alienis, quae sibi et fratribus suis per scelus erepta forent.* De cuius verbi significatu çonsulatur Oudend. ad Apul. Met. IV. p. 257.

quem ad finem) Apud Cic. Cat. I. init. haec verba significant: quousque. Hic sunt, quod nos dicimus: **zu welchem Zwecke**; ut male quondam etiam Ciceronis locus explicatus est. Attamen apud ipsum Ciceronem *finis* legitur pro eo, quod in aliqua re spectatur. v. Ernest. Clav. Cic. Noster c. 6. *quoquo modo ulcisci hostes suos finis est.*

Nos victi iam sumus malis nostris) Optime dictum. Cf. lib. IV. 11. *tua te inconsulta temeritas prodidit.*

III. *tendentes ad coelum manus*) Tacit. Ann. II. 29. *manus ac supplices voces ad Tiberium tendens.* Apul. Met. XI. p. 780. *coelo manus attendentes.* Pro eo Liv. III. 46. *manus tollere.*

IV. *separato rege*) i. e. remoto. Sulpic. H. S. II. 1. 8. *Separari accusatores iubet.* Hegesipp. III. 2. *Separaretur Simon a lectulo.* Eadem notione *separato* (nescio *quo*) dicit Gellius loco, qui memoria excidit.

Ita composita re disceditur) Cap. 5. *Ita composito negotio — ad Priamum — vadunt.* 10. *Ita perfecto negotio ad suos quisque abeunt.* IV. 22. *Ita composito negotio — ad Troiam veniunt* Sall. Iug. 111. extr. *Ita composito dolo digrediuntur.* et similia alibi.

iram der. domus) pro: ob derelictam domum; ut Liv. I. 5. *ira praedae amissae.* Sall. Hist. IV. 2. *ira in Tigranem recentis belli.* Eiusdem generis sunt: lib. III. 21. *luctibus filiorum.* VI. 12. *iniuria praelatae sibi mulieris.* II. 31. *rei indignatio.* Infra c. 13. *dolor iniuriae.* Liv. II. 10. *alacritas perfecti operis.* Ammian. XXX. 2. *metus totius Gothiae.* i. e. ob Gothos.

non secus, quam Ach.) i. q. non minus. Tacit Ann. IV. 5. *neque multo secus in iis virium.*

tollunt spe animos) Proprie dicendum fuit: spes tollit civium animos; ut simillimo loco cap. 10. *quos ubi in foro animadvertere populares, laeti animos tollunt, finem iam aerumnarum credentes.* Ad *existimantes* et *credentes* intelligendum esse *adesse*, ad III. 8. not. cr. monuimus.

senatus habitus) Cic. Fam. I. 4. *senatus haberi — non potest.*

exsulandum) pro: in exilium mittendum esse. Significatio rara. Hygin. fab. 26. *tunc iterum exsulatur Medea.* Cf. Daceria.

V. *solito*) Intell. more. Lib. IV. 16. *solito ad Ag. coenatum veniunt.* Ab Obrechto etiam affertur Auctor de Orig. gentis Rom. ex C. Fabii Pictoris Annalibus itemque ex antiquissimo scriptore Vennonio: *Solito institutoque egressam virginem in usum sacrorum aquam petitum.*

ibique acc. ep.) i. e. et apud eum. Sall. Cat. 20. 8. *ubi illi volunt*, i. e. apud quos. v. Cort. ad Iug. 5. 2.

coelo sullapsum) Diximus in Praefat. p. XLVII.

necdum) pro nondum; ut Virgil. Eclog. IX. 26, et saepe apud Apuleium.

ad ea omnia eniteretur) *Eniti ad aliquid* dicunt etiam Cic. Orat. 4; Vell. Pat. II. 127. 1.

super qualitate) Stilus est scriptt. recentiorum.

exertius disserturum) Disputavi de hac phrasi in Praefat. p. LI.

ne qua susp.) *Qua* i. e. aliqua ratione. Cap. 4. *ne qua insidiis opprimeretur.* 9. *ne qua — patefierent.* 10. *ne qua pacti fides — dissolveretur.* 15. *ne qua vis — pararetur.* Sall. Iug. 6 et 72. *ne qua seditio oriretur.*

VI. *temere et inconsulta*) Iuxta sic ponuntur Adverbium et Adiectivum etiam lib. II. 21. *nihil temere — nihil inconsultum incipere.* III. 6. *manum Achillis procul atque improvisus sagitta transfigit.* Infra c. 12. *foede atque inultos obtruncavere.* Cic. Epist. XIII. 69. *ut intelligeres, me non vulgare nec ambitiose — scribere.* Sall. Iug. 5. *cuius in Africa magnum atque late imperium valuit.*

non per se) Intell. gesta esse. Vix toleranda ellipsis. Cf. ad I. 22.

arbitrio alieno agerent) pro viverent, essent. Mox: *qui sub imperio alieno agerent.* VI. 9. *sub imperio eius agebant.* Sulpic. H. S. I. 30. 1. *Hebraei sine iudice aut duce ullo, proprio arbitrio agebant.* — Ad sequens *teneat* intell. imperium.

dignum esse) i. e. par esse, oportere. v. Wopkens. p. 88.

optat) i. e. eligit praemium, vel postulat. Nam mox: *quod impossibilia postularent.* Apul. Florid. p. 90. *optare iussit, quantam vellet mercedem.* Cf. Terent. Eun. V. 8. 27. Andr. IV. 5. 2. ibique Ruhnken. Dict. p. 138 et 76; Non. p. 358. Merc.; Wopkens. p. 89.

silentio habito) Sall. Iug. 99. 1. *silentium haberi iussit.* — Sequens *impossibilia* ex Comicis, ut Plauto, scriptoribus recentioribus amatum.

bellum — instruere) Vid. Praefat. p. XLVIII.

in auxilia — dilaceraretur) Artopoeus in Ind. intelligit: civitas dilaceratur. Melius Anna et Wopkens. p. 89. ad *aurum argentumque* referunt. Sumta imago ab iis, qui pecuniam disperdunt, temere consumunt. Ovid. Her. I. 90. *viscera nostra, tuae dilacerantur opes.* ubi Heinsius ex MSS. melioribus praefert *dilaniantur.* Frequens in hunc sensum est simplex *lacerare.* v. Intpp. ad Sall. Cat. 14. *patria bona laceraverat.* Duker. ad Flor. IV. 4. 2. Terentius dicit *dilapidare.*

exitium peterent) i. e. oppeterent, incurrerent, quaererent. Seneca Phoen. 196. *quare ille mortem cupiat, aut quare petat?* Nepos Hannib. c. 11. *fuga salutem petiit.* Wopkens. p. 89.

igni dabitis Ilium) Virgil. Georg. III. 378. *advolvere focis ulmos ignique dedere.* Poetica phrasis; ut *morti, letho dare*, quae, ut alia quoque id genus, adamata sunt poetarum exemplo Sulpicio et Hegesippo. v. Vorst. ad Sulpic. H. S. I. 18. 3. I. 24. 2. — Attende praeterea optimam illusionem.

VII. *aris composita*) i. e. rite et ordine posita: quae vis inest praepos. *cum.* Cf. Sulpic. Dial. II. 6. 5. *componi-*

tur castis reginae manibus apparatus, i. e. ordinatur. — *Sacrorum consueta* pro sacra consueta. Infra: *praeclara operum* pro praeclara opera. Cf. ad I. 17.

superpositis) i. e. superimpositis. Cap. 5. *tegumen superpositum*. Liv. I. 34. *superpositum capiti decus*.

avis aquila) Laudat hunc locum aliosque Davis. ad Caes. B. C. I. 23; Wass. ad Sall. Iug. 12; Burmann. ad Phaedr. I. 13. 10. Eiusdemque generis sunt: lib. I. 4. *medicina ars*. III. 21. *senecta aetas*. super c. 2. *Graeci homines*. infra c. 10. *viri legati*.

raptum omittit) Apul. Met. VI. p. 418. *ut unam de manibus omittas offulam*. ubi v. Oudend., qui et Septimii meminit. Comparat nostrum cum aliis etiam Burmann. ad Phaedr. I. 13. 10. Eodem sensu *amittere* Apul. Met. VIII. p. 517. *opimam praedam mediis manibus amittimus*. Plaut. Mil. Glor. 2. 5. 47. *manibus amisisti praedam*.

aut in obscuro) pro: aut obscurum, incertum. Sic saepe Latini *in aperto, in incerto est*, pro: apertum, incertum est. cf. Cort. ad Sall. Cat. 41. 1.

VIII. *in adol. quae sacra*) Graecum hoc attractionis genus expedi: in adolendo sacra, adolendis sacris, quae aris redd. *Redduntur aris sacra*, quae cum antea in terram decidissent, iam aris reponuntur.

ubi iam vesperarat) v. Praefat. p. XLIX.

ei templo sacerdos) Usus tertii casus loco secundi familiarissimus nostro est. Lib. III. 15. *comites regulo*. II. 46. *custodes castris*. II. 10. *adiutor incoepto*. VI. 15. *hastile, cui summitas*. supra c. 2. *testis his rebus*. 5. *regia Priamo*. 11. *cui edito — ima*. Alia aliis locis enotavimus. Et sic loquuntur etiam alii. v. Gronov. ad Liv. XXIII. 10; Duker. ad Flor. II. 6. 48; Ruhnken. ad Terent. Andr. II. 6. 27 et III. 3. 17.

ad tentoria Ulixi) pro Ulixis. Cap. 15. *in gratiam Ulixi*. 16. *abscessum Ulixi*. Saepe sic Apuleius, ut Met. I. p. 46. *Ulixi astu deserta*. ubi v. Oudendorpius.

finis in tractando) pro tractandi. Barbare.

rem decidunt) Saepe *decidere* dicitur de re transigenda et absolvenda, quae in controversia est. Gell. X. 1. *qui-*

bus verbis utrunque, de quo ad me scripserat, decideretur. Et sic loquitur ipse Cicero, docente Ernestio in Clav. Cic.

dicta gestaque) Eadem formula lib. I. 12. II. 27. Sicque *dicta factaque* iungunt Tacit. Ann. II. 53. Agr. 36; Gell. I. 3; Sueton. Ner. 24. Vespas. 19; *acta dictaque* Gell. VII. 3.

IX. *summa civitatis*) i. q. lib. III. 3. *summa rerum Troianarum.* VI. 9. *summa regni.* II. 23. *summa rei.* Cf. Oros. II. 2. *regni nomen et summam ad Medos transtulit.* II. 16 et VI. 17. *summa imperii.* Septim. I. 16. *summa belli atque exercitus.* IV. 13. *summa militiae.*

fabrefactum) pro quo cap. 11. *compactum adfabre confixumque.* Eodem verbo *fabrefactum*, i. e. adfabre, artificiose factum, utitur cap. 5, ut et Liv. XXXIV. 52.

adnitente atque administro) Iungit Sall. Iug. 29. *socius et administer consiliorum.* Cic. Flacc. 2. *socii consiliorum, ministri comitesque.* Vell. Pat. II. 129. *consiliorum minister et adiutor.* alii aliter. Cf. Sall. Iug. Cat. 19. 1. *adnitente Crasso.* Apul. Apol. p. 595. *me adnitente.*

collectum eum) *Colligi* pro suscipi de iacente dicitur. Lactant. Epit. c. 8. *expositum atque a venatoribus collectum.* Iustin. XXIII. 4. *expositus erat. Sed parvulum — iacentem — pater — recolligit.* cum nota Vorstii. WOPKENS. p. 89.

refectumque animi) plane uti Apul. Met. XI. p. 800. *recreatus animi.* V. p. 361. *recreatur animi.* II. p. 116. *recreabar animi.* Per Graecismum, pro *animo.* Vid. Interpp. ad Liv. VI. 11. 3.

X. *firmatores — pacis*) Tacit. Ann. II. 46. *pacis confirmator.*

in honore ducum) Plin. Epist. X. 24. *illi in honore ipsius electionem loci mihi obtulerant* Flor. III. 20. 8. *dein in honore virium gladiator.* ubi v. Duker., quem nec Septimii locus praeteriit. Habuimus id genus constructionem lib. I. 10. *in conspectu venerant.* III. 14. *in flumine praecipitant.* Alia ex nostro dedi ad lib. III. 5. Recentiorum latinitatem vocat Casaubonus ad Lamprid. Commod. 8. p. 496. Contra archaismum hanc loquendi rationem vocat Meursius ad Plaut.

Amph. 4. 1. 14. atque Goerenz ad Cic. de Leg. II. 14. p. 157. ex solo Cicerone locos eiusdem exempli vult enotavisse paene triginta.

Antenore deserviente) De hoc verbo adi Praefat. p. XLVI.

in aedem — conveniunt) Laudat Heinsius ad Ovid. Fast. II. 667. ubi plura affert de formula *convenire in locum*. Pertinet huc etiam *convenire in unum* (lib. I. 12.), scil. locum.

statuunt — uti — statuant) Huiusmodi repetitionis exempla multa apud recentiores reperiuntur. Trebell. Poll. in trig. tyr. 12. *quaerentibus etiam militibus principem, unum in locum concesserunt, quaerentes, quid faciendum esset.* Ibid. *do manus, de meo stipendio militi duplex daturus.* Idem in Valer. patr. et fil. 3. *ductu cuiusdam ducis — in ea loca deductus.*

in eadem verba placitum confirmat) Vide disputata in Praefat. p. LV. Praeterea legens *in eadem verba* cogitabit de formula *iurare in eadem verba.*

bello residui) De formula diximus in Praefat. p. XLII. Amare Septimium vocem *residuus* pro reliquus, iam docuit Artop. in Ind. Amat etiam Orosius, qui lib. II. 16. *residua manus.* IV. Praefat. *residui socii.* et alia multa.

XI. *edito in immensum*) Sall. Iug. 97. *mons — in immensum editus.* ubi Sept. laudat Wasseus.

rotis interpositis) *Subiicere rotas* dicit in eadem re Virgil. Aen. II. 235; Tryphiod. 100. *ὑποτιθέναι.* Et sic alii loquuntur. Auct. B. Alex. 2. *subiectisque eas rotis — in quamcunque erat visum partem movebant.* Dixisse *interpositis* Septimius videtur, ut significaret intervallum, quo suppositae pedibus rotae distabant.

suspenderat) i. e. elevaverat. Caes. B. C. II. 9. *tigna — quibus suspenderent eam contignationem.*

motus facilius — foret) Sall. Iug. 94. *uti prospectus nisusque per saxa facilius foret.* ubi Sept. afferunt Interpp. Iug. 87. *Romanos remoto metu laxius licentiusque futuros.* Iug. 14. *tutius, quam in regno meo essem.* Epist. ad Caes. de Rep. ord. I. 6. *qui se in victoria licentius liberiusque, quam artius futuros credebant.* Apul. Apol. p. 383. *pudor*

enim, veluti vestis, quanto obsoletior est, tanto incuriosius habetur.

pacem atque amicitiam agitavere) Sall. Iug. 109. *pacem an bellum agitaturus.* Iug. 14. *laeti pacem agitabamus.* Cat. 61. *gaudium, laetitiam, moerorem, luctum agitare.*

confixumque) Auct. B. Alex. 2. *alias ambulatorias totidem tabulatorum confixerant.* Verbum *configere* explicat Oudendorp. ad Apul. Met. IV. p. 268.

praenunciato) Thucyd. I. 116. ἐσαγγελθέντων, ὅτι.

destruendorum desuper murorum) *Desuper* pro super: namque illa pars muri destruebatur, quae super portam erat. Cedren. p. 108. τὸ τῆς πύλης ὑπέρθυρον ἄραντες. Plaut. Bacch. 4. 9. 31. *Tertium* (Ilio fuit fatum) *cum portae Scaeae limen superum scinderetur.* Cf. Obss. Flor. III. 2. 6. *saxeas erexere turres, et desuper exornata armis hostilibus tropaea fixere.* De qua significatione monuit Salmas. ad Capitolin. Macrin. c. 11.

prae tali studio) *Prae* hic videtur esse i. q. propter; ut sensus sit: tantum erat studium, tanta cupiditate ardebant omnium animi. Terent. Andr. V. 1. 6. *Vide, quam iniquus sis prae studio.* ubi cf. Ruhnken. Dict. p. 78.

murorum opus — dissolvuntur) Sic Hegesipp. V. 52. *murum dissolvere.* Oros. IV. 4. *moenia dissolvere.*

peragere incoepta) Lib. VI. 13. *peragere coepta.* Virgil. Aen. IV. 452. *incoeptum peragere.* Nepos Attic. 22. *propositum peragere.* Septim. IV. 20. *negotium peragere.*

XII. *fessis — multo vino atque somno*) De eadem re Virgil. Aen. II. 265. *urbem vino somnoque sepultam.* Hygin. fab. 108. *lusu atque vino lassi.* Cf. Hygin. fab. 254. *fessi somno acquieverunt.* Virgil. Aen. IX. 189. *somno vinoque sepulti.* Iustin. XLIII. 4. *urbem somno ac vino sepultam.* Affert Sept. Wasseus ad Sall. Iug. 74. Cf. ad VI. 6. 9.

servantes signum) pro observantes, attendentes animum ad signum. Quo significatu notum hoc verbum ex Cicerone de auguribus.

ubi signum datum) Certe ridiculus, inquit Daceria, Dictys, qui in ea trepidatione et strage signum exspectatum crediderit. Docta matrona non intellexit rerum seriem. Na-

vigant ad civitatem Graeci: attendunt animos ad signum: intrant moenia: occupant singula civitatis loca: datur signum: clades coepit. In his omnia sunt sana.

fors obiecerat) Saepissime dici *fors obtulit* docet Oudendorp. ad Caes. B. G. II. 21. cf. nos ad II. 46.

inspectantium) scil. liberorum.

incendiis gestum) i. e. res gesta est. Paul. Dig. IV. 2. 8. *gestum est malo more.* Ulpian. Dig. IV. 4. 7. *quasi gestum sit cum eo.* Paul. Dig. IV. 4. 23. *si mandatu eius gestum erit.*

anteaedificialis) Agitur de hoc verbo in Praefat. p. XL.

qui in manus venerant — obtruncavere) Sall. Iug. 101. *et si qui in manus venerant, obtruncare.*

foede atque inultos obtrunc.) Sall. Iug. 31. *quam foede quamque inulti perierint.* Hist. III. 1. *dedecores inultique ab hostibus caedebantur.* Hegesipp. V. 43. *dedecores atque inulti sicuti pecora trucidabantur.*

brachiisque ablatis) i. e. abscisis. Ovid. Met. VI. 556. *linguam abstulit ense.* Stat. Theb. III. 87. *media ossa loquentis abstulerat plenum capulo latus.* Sulpic. H. S. I. 28. 3. *crinem eius abstulit.* pro quo paulo infra *accisus crinis.* Eodem sensu Ovid. Met. IV. 874. *eripuisse caput collo.* Valer. Flacc. VI. 619. *caput eripit Auchi.* De eodem Deiphobo Virgil. Aen. VI. 494. *raptis naribus.*

summo cruciatu necat) Citat Cort. ad Sall. Iug. 26. 3. *Iugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat.*

XIII. *Troiani nominis*) pro Troianorum. Sic Liv. I. 10. *nomen Caeninum.* VII. 17. *nomen Etruscum.* VII. 28. et Sall. Iug. 39. *nomen Latinum.* Sall. Cat. 52 et Vell. Pat. II. 27. *nomen Romanum.* pro: Caeninenses, Etrusci, Latini, Romani.

vice pecorum interficiuntur) Sall. Hist. II. 8. *vice pecorum obtruncabantur.* ubi Sept. citat Wasseus. Lactant. V. 10. *cum viros — vice pecorum iubet occidi.* Pro quo Liv. XXV. 17. *pecorum modo.* Vell. Pat. II. 119. *more pecorum.* Sall. Cat. 58. *sicuti pecora trucidari.* Recentiorum illa latinitas est. Cum enim nonnulla exempla apud antiquos exstent, illis

tamen hic loquendi mos familiarissimus est: quem sequitur Septimius etiam lib. III. 14. *vice imbellium proculcati dispereunt.* III. 1. *iaculis hastarum vice fabricatis.*

more belli) Sall. Iug. 97. *more proelii.* Flor. IV. 12. 9. *arma victorum non ex more belli cremata.*

ad coacervandum — materiam) ut lib. II. 18. *ad conciliandum — animos.* II. 39. *invadendi inimicissimum.* supra c. 2. *inferendo bellum.* Multa alia habet Oudend. ad Caes. B. G. III. 14.

ob pretiosam vestem) *Ob* ponitur pro: ad. Lib. III. 11. *veste contegitur, maxime ob tegenda vulnera.* VI. 10. *ob eripienda, quae secum habuerat.* Sall. Iug. 89. *Iugurtham ob suos tutandos in manus venturum.* Tacit. Ann. I. 79. *Actum deinde in senatu — an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina et lacus.* ubi *ad* coniicit Ernest. Dat nonnulla etiam Wopkens. p. 93.

cessere servitia) Cap. 16. *quo servitium morte solveret.* In his *servitium* pro servitute. *Cessere* i. e. evenere.

ut quemque sors contigerat) Vell. Pat. I. 1. 4. *Sors Tyrrhenum contigit.* ubi Septimii meminit Ruhnken.

XIV. *expostulante*) *Expostulare* proprie est vehementer postulare. v. Ruhnken. ad Terent. Andr. IV. 1. 15. Dict. p. 66. Artopoeus in Ind. hic accipit pro simplici: postulare. Recte. Hegesipp. I. 32. *affuit Herodes serius quidem, quam necessitas expostulabat.* pro postulabat.

sua — opera insinuantium) Curt. IX. 9. *Non alias tam alacer clamor ab exercitu est redditus, iubentium duceret diis secundis.* Larga manu exempla huius constructionis posuit Heins. ad Ovid. Her. V. 45.

Ulixes cum Aiace — contendere inter se) *Cum Aiace* pro: et Aiax; alioquin verba *inter se* sordent. Amat Septimius voculas istas, eaeque abundare videntur lib. I. 1. *singuli — inter se quisque magnifice transiere.* II. 46. *conferti inter se* (pro quo paulo infra *conferti* sine *inter se*). III. 4. *conglobati inter se.* IV. 6. *perculsi inter se.* VI. 1. *inter se implicatis remigiis.* Simili sorte Sallust. Hist. I. 8. *conserere inter se manus.* Noster supra: *ingens certamen inter se ducibus exortum.* quae scribenti obversabantur Septimio ista

Sall. Cat. 7. *gloriae maxumum inter ipsos certamen erat.* Cf. notata ad IV. 9. init.

inv. industriae meritis expostulare) Explicandum videtur: se provocant, ut amborum merita spectentur et perpendantur. Insolens formula. *Invicem* i. e. alius alium; ut docuimus ad lib. II. 52.

adnitentibus Ulixi) Vid. Praefat. p. XLVII.

tantis tempestatibus) pro tot temp., idque pro tamdiu, tanto tempore; ut supra c. 9. *multis tempestatibus.* Sic passim *tempora* in plur. numero dicuntur pro tempore. Wopkens. p. 94.

multis bonis) Intelligendi sunt Graecorum primi, principes, optimates. Multa de *bonis* disputant Gronov. Obss. IV. 9; Cort. ad Sall. Cat. 19. 2 et 33. 2.

amorem coniugii) pro coniugis. Lib. VI. 3. *spreto priore coniugio.* Tacit. Ann. XII. 65. *coniugium principis.* ubi vid. Lipsius.

ambiendo orandoque) Terent. Andr. II. 2. 36. *amicos oras, ambis.* ubi v. Ruhnken. Dict. p. 46. Sall. Iug. 14. *maxuma ope niti, ambire, fatigare singulos.*

perfecerat, ut) Sall. Iug. 16. *dando et pollicitando perfecerat, uti.* Apul. Met. II. p.141. *instantia Byrrhaenae — perfecit, ut vellet.*

bellum in manibus) Sall. Cat. 20. 10. *victoria nobis in manu.* et infra: *dominatio in manibus fuisset.* Wasseus ad Sall. Iug. 61. explicat: bellum prope adest, imminet. Quae explicatio convenit loco Hegesipp. I. 10. *pugna in manibus, nec comperendinata.* pro quo lib. IV. 8. *bellum in cervicibus.* Verum Septimii verba recte accipit Wopkens. p. 94. de bello, quod nondum absolverant Graeci. Recte idem vir doctus animadvertit, apud Sallust. *victoriam* dici *esse in manu*, quae facilis esset paratu. At contra immerito vitii coarguit Cortium, adnotantem, *imitari* Septimium Sallustium. Noluit enim Cortius indicare, eandem utrique loco inesse verborum significationem, sed ante oculos Septimium habuisse Sallustii verba, eaque transtulisse. Atque in hunc sensum recte etiam aliis in locis Cortius utitur verbo *imitari*, et ego quoque aliquoties usus sum, vel etiam indicavi nullo adhibito verbo, adscripta solummodo Sallustii sententia.

circumstreperent) Comparavi in Praefat. p. XLVIII. verba Iustini lib. VI. 5. Adde Hegesipp. IV. 9. *quandoquidem domi forisque hostilia streperent agmina.* Oros. IV. 1. *qui quantique hostes circumstreperent.*

XV. *libido — potiora forent*) Iniuste Septimium barbariei accusat Anna. *Magis* enim per pleonasmum adiungitur Comparativo *potiora.* Liv. IX. 7. *tristior ignominiosae pacis magis, quam periculi nuncius fuit.* ubi v. Drakenb. Virgil. Cul. 78. *quis magis optato queat esse beatior aevo.* ubi v. Scalig. Adde Sanct. Min. IV. 4. ibique Perizon.; Duker. ad Flor. IV. 2. 47. In ceteris noster imitatur Sall. Cat. 7. *magisque in decoris armis et militaribus equis, quam in scortis et conviviis lubidinem habebant.*

seditio brevi adulta) Tacit. Hist. I. 31. *incipiens adhuc, et necdum adulta seditio.* Ann. XV. 73. *coeptam adultamque et revictam coniurationem.*

atque utrosque ins.) Explica: Quum ante iam Palamedem ingemuissent, nunc Aiacem ingemiscerent, illum domi belloque prudentissimum, hunc tot egregiis pugnis inclytum, atque utrosque insidiis eorum circumventos. Ad *quum ante iam Palamedem* ex seq. *ingemiscerent* per syllepsin intell. ingemuissent.

XVI. *servitium morte solveret*) i. e. se liberaret a servitio. Sall. Hist. I. 7. *Estne viris reliqui aliud, quam solvere iniuriam, aut mori per virtutem?* ubi Sept. affert Cort. p. 940. *Solvere iniuriam* exemplo Sallustii dicit etiam Hegesipp. IV. 2.

ingerere maledicta) Eadem formula Tibull. II. 5. 101; ut *ingerere mala* Plaut. Men. V. 1. 17; Terent. Andr. IV. 1. 16. ubi cf. Ruhnken. Dict. p. 66. Septim. VI. 4. *saeva ingerere.*

omitterent — consulant) Eadem temporum enallage Sall. Cat. 48. *ne — terrerent, eoque magis properet.* Iug. 33. *si vera aperiret — sin reticeat.* Tacit. Ann. XIII. 27. *privatim expenderent causam libertorum, in commune nihil derogent.*

urgente navigii tempore) Sulpic. H. S. I. 29. 2. *urgente nocte.*

contumeliis — agere) Horat. Epod. V. 89. *diris agam vos.*

XVII. *praeda — quaesiverant*) *Praeda* pro praedatione. Sall. Iug. 55. 5. *igni magis quam praeda ager vastabatur.* ubi Sept. citat Wasseus (c. 59.). Iustin. XXXI. 6. *praeda Romanis occupatis.* — *Quaesiverant* i. e. acquisiverant, sibi comparaverant. Lib. VI. 1. *quae singuli bello quaesiverant.* IV. 5. *multa inde per bellum quaesita praeda.* VI. 8. *Sepiadum littus, quod — nomen eiusmodi quaesiverat.* Et sic loquuntur alii.

praevectus) pro praetervectus. De qua forma Oudend. ad Caes. B. C. II. 3. III. 26. et ad Sueton. Caes. 37.

ingens coalitur multitudo) Affert hunc locum cum aliis Cort. ad Sall. Cat. 6. 2. *postquam in unum convenere — incredibile memoratu est, quam facile coaluerint.* Particip. *coalitus* amatur Tacito.

quamvis Graeci omnes, diverso tamen inter se sermone agunt) Imitatur Tacitum Germ. 46. *Quamquam Peucini — sermone, cultu, sede ac domiciliis, ut Germani agunt.* Wopkens. p. 97.

GLOSSARIUM SEPTIMIANUM

AD

LIBRUM SEXTUM.

I. *solutis anchoralibus*) Liv. XXII. 19. *Vixdum omnes conscenderant, quum alii resolutis oris in anchoras evehuntur, alii, ne quid teneat, anchoralia incidunt: raptimque omnia praepropere agendo, militum apparatu nautica ministeria impediuntur, trepidatione nautarum capere et aptare arma miles prohibetur.* Nimirum *anchoralia solvere* hic idem significat, quod apud Ovidium Met. XV. 696. *retinacula puppis solvere;* et apud Euripidem in Hecuba (539. Dind.) *λῦσαι χαλινοτήρια νεῶν.* Obrechtus.

a puppi secundante vento) Potuit omittere *a puppi:* nam *ventus secundans* est ventus secundus, prosper, qui a puppi flat, felicemque et celerem navi cursum efficit. Cf. Praefat. p. XLVIII.

saeviente mari) Laudat Cort. ad Sall. Iug. 97. extr. *Saevire* de mari habuimus etiam lib. II. 7.

uti fors tulerat) Sall. Iug. 78. *uti fors tulit.* Liv. V. 11. *Fors ita tulit.* Caes. B. G. VIII. 19. *quo fors tulerat.*

passim — dispalantur) Sisennae locum ex Hist. lib. III. *tanto plures passim dispalantur,* afferens Nonius p. 101. Merc. sensu passivo verbum accipit: qua vi saepe Particip. *dispalatus* poni, docent Lexicographi. *Spargimur,* canit simili loco Ovid. Met. XIV. 469. *et ventis inimica per aequora rapti, fulmina, noctem, imbres, iram coelique marisque perpetimur Danai, cumulumque Caphareae cladis.* Atque passivo verbo in eadem narratione utuntur vel plurimi et Latini et Graeci.

postquam nat. — postquam ad Eub. devenere) Quemadmodum hic *postquam — postquam* ordine se excipiunt, ita *cum — cum* loco Velleii II. 82. quem Wopkens. p. 97. attulit: *postquam — ubi* infra cap. 6. *postquam devenere ad eum locum — ubi Telemachum rem edocuere: ubi — quum* Sall. Iug. 62. *Iugurtha, ubi armis — spoliatus, quum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur, rursus coepit flectere animum: ubi — ubi* Apul. Met. I. p. 22. Bip. *quas ubi probe protuli, iam et de patria nostra — explorans, ubi me — sentit fatigatum: quum — cum* Liv. XXVIII. 40. *Quum Africam — Scipioni destinari, homines fama ferrent — id consilium haudquaquam primoribus patrum cum placeret.* ubi v. Gronov., qui hanc loquendi rationem haud inelegantem dicit.

ultum ire cupiens) Sall. Iug. 68. *ultum ire iniurias festinat.* Curt. X. 8. *Temeritatem armis ultum ire decreverant.* Sulpic. II. S. I. 44. 5. *acceptam cladem ultum ire cupiens.* II. 4. 2. *ultum ire facinus cupientes.* Hegesipp. IV. 30. *volentes ultum ire iniuriam.* I. 27. *cum ultum iri* (leg. *ire*) *filius — patris exitium destinavisset.* I. 29. *ultum iri* (leg. *ire*) *cupientes barbarorum periuria.* V. 53. *cum pertinacius se de civibus ultum iri* (leg. *ire*) *vellet.*

II. *adv. maritos armat*) i. e. excitat, in arma concitat. Nepos Hannib. 10. *neque aliud quidquam egit, quam regem armavit et exercuit* (al. *excitavit*) *contra Romanos.* Virgil. Aen. X. 398. *Arcadas — mixtus dolor et pudor armat in hostes.*

non defendisset) i. e. quod a fratre insidias, cum circumveniretur, non propulsasset. De notione verbi *defendere* dixi in Praefat. p. LVI.

apud Corinthum fuere) *Fuere* pro *sunt* per enallagen hic dicitur usitatissimam. Sic infra cap. 8. *vix ipse cum his, qui in eodem navigio fuerant, liberatus.* ubi *fuerant* pro *erant* dixit auctor. Lib. IV. 1. *quippe queis ita animo haeserat — ipsumque et qui cum eo* fuissent, *retineri a Graecis.* Sic ibid. c. 17. et passim. Confer notata ad lib. IV. 2, quaeque H. Cannegiterus in Dissert. Eruditiss. de Aviano c. 21. Wopkens. p. 98.

cavent, uti) i. e. constituunt, decernunt. Sueton. Domit. 9.

Ruscii Cepionis, qui caverat, ut quotannis cet. Vopisc. Tacit. 9. *In eadem oratione cavit, ut — capital esset cum bonorum proscriptione. In eadem oratine cavit, ut servi — non interrogarentur.* Saepe sic iurisconsulti.

per absentiam eius) i. e. inter absentiam, dum absens erat. Plane ut Iustin. XVII. 3. XXVII. 3; Apul. Met. X. p. 722; Ulpian. Dig. IV. 6. 26. 6. Vario significatu haec verba adhibet noster: Infra cap. 16. sonant: absentia, absentiae ope; lib. II. 30. propter absentiam.

omnibus circum locis) Sall. fragm. VI. 6. *vastatis circum omnibus locis.* Cf. ad II. 13.

reges accipiunt) i. e. in regnum recipiunt, excipiunt. Sall. Iug. 10. *Parvum ego, Iugurtha, te, amisso patre — in meum regnum accepi.* Iustin. XI. 6. *hostem — in intimum regnum accipere.* Cf. Gronov. ad Liv. VII. 30.

III. *in matr. Aegisthi denupserat*) Ovid. Met. XII. 196. *Nec Caenis in ullos denupsit thalamos.* Ἐμφατικώτερον Taciti illud Ann. VI. 27. *Pars moeroris fuit, quod Iulia, Drusi filia, denupsit in domum Rubellii Blandi.* Obrecht. Plaut. Trin. 5. 2. 9. *sororem despondisse in tam fortem familiam.* Cf. Heins. et. Burmann. ad loc. Ovid.; et Burmann. ad Ovid. Met. VII. 856.

Clyt. superduxerit) Sumta locutio ex nota formula *novercam alicui superducere.* de qua Casaub. ad Capitolin. Marc. Ant. Phil. 29. p. 404. Sulpic. Sever. H. S. I. 9. 4. *ne uxores filiabus suis superinduceret.* ubi cf. Vorst.

conspirato inter se) i. q. conspirati. Lib. II. 15. *simulato — quod thesaurum partiri vellent*, i. q. simulantes. Apul. Apol. p. 472. *multum ac diu haesitato — nominavit.* ubi al. MSS. *haestitans.* De quo ablativo casu, apud recentiores potissimum scriptores magna saepe cum licentia adhibito, consulatur Oudendorp. ad loc. Apul. (item ad Caes. B. G. VII. 52.), qui hanc constructionem imprimis familiarem Septimio dicit, multaque ex eo enotat exempla. Cf. Wass. ad Sall. Hist. V. 1; Heins. ad Vell. Pat. I. 7. 1.

dissensio animorum) Cf. Tacit. Hist. I. 55. *diversitas animorum.* Noster lib. II. 42. *animorum mutatio.* Caes. B. C. I. 21. *commutatio voluntatis.*

IV. *miranda*) Ovid. Met. VII. 758. *accipe mirandum: novitate movebere facti.*

conciliatus sibi) pro in gratiam reducti, reconciliati. cf. ad II. 30.

in matrimonium Or. despondit) Antiqui dicunt *filiam*, *filium alicui despondere*, non *in matrimonium despondere.*

V. *mercedis pacto*) ut Liv. I. 27. *pacto transitionis.* Hegesipp. V. 16. *pacto deditionis.*

ab eorum fil. — amiserit) Hegesipp. V. 2. *quos ab hoste amiseras.* Ob praepos. *ab* citat Septimii locum Scioppius ad Sanct. Min. III. 4. p. 402. Cf. Graev. et Oudend. ad Sueton. Oth. 5.

per misericordiam) Cf. II. 13. *per miserationem.* Iustin. VIII. 3. *receperant per misericordiam duos fratres eius.* Sulpic. Vit. Mart. 22. 4. *per misericordiam domini absolvendos esse peccatis.*

amore deperibat) Eadem formula Liv. XXVII. 15. XXXIX. 43; Sueton. Vesp. 22: pro qua alii *efflictim amare*, atque Plautus et Apuleius *efflictim deperire.*

Charybdim, mare saeviss., et illata sorbere sol.) Laudat Wass. ad Sall. Hist. VI. 18. *Charybdis, quae forte illata naufragia sorbens* cet. Charybdim *mare saevissimum* noster vocat, ut Sallustius *mare vorticosum*; exemplo Thucydidis, qui totum fretum seu mare Charybdin appellat. Vide Wasseum, qui dicta ratione Septimii verba expedit melius, quam Wopkens. p. 71., qui explicat: ubi mare est saevissimum. Attulit cum aliis locis nostrum etiam Heinsius ad Ovid. Am. II. 16. 26.

VI. *benigne acceptus*) i. e. larga mensa, prolixe. Lib. V. 10. *Antenore — benigne exhibente cuncta.* Cf. Ruhnken. ad Terent. Hec. V. 2. 2. Dict. p. 232. *Accipere* vox convivalis est pro excipere. Liv. XXIII. 4. *apparatis accipere epulis.* Curt. VIII. 22. *cum Alexandrum hospitaliter accepisset.* Praeter alios v. Ruhnken. ad Terent. Eun. V. 8. 52. p. 140.

ad vindicandam matr. iniuriam) i. e. ad ulciscendam iniuriam, quam proci Penelopae coniugi intulerant. *Matrimonium* pro coniuge. v. ad II. 26. *Iniuria* vi passiva. v. ad II. 30.

multo vino atque epulis repletos) Sall. Iug. 79. *vino et epulis onerati.* ubi Sept. comparat Wasseus. Cf. ad V. 12.

donis aut suppliciis afficit) Utrumque latine dicitur, *donis afficere* et *suppliciis afficere.* Sic Cicero *praemio*, *beneficio*, *muneribus afficere*, ut et *suppliciis*, *poena afficere.*

de Penelopa praeclara fama) Sall. Iug. 55. 2. *fama de Metello praelara esse.* ubi Septimii meminit Cortius.

triennio postquam — rediit) Sulpic. H. S. II. 45. *Sexto anno, postquam redierat, in patria obiit.* Alia id genus habet Vorst. ad Sulpic. H. S. I. 9. 4.

VII. *iniq. tyr. evitans*) pro evitaturus, ut lib. II. 39. *quem evitans — fugam capit.* Infra cap. 8. *insidias Acasti evitans.* 13. *Molossos mittit, dolum — evitans.* IV. 22. *referens ad suos composita inter se longe alia.* pro relaturus. II. 47. *legatos inducias postulantes ad Graecos mittunt.* pro postulaturos. Cf. Brem. ad Nep. Hannib. 2. 3.

notusque — eius domus) *Notus* pro gnarus, qui novit, active. Auct. B. Hisp. 3. *hominem eius provinciae notum et non parum scientem.* ubi Sept. comparat Davisius. Et sic ipse Cicero loquitur. cf. Manut. ad Cic. Epist. ad Div. V. 12; Ruhnken. ad Terent. Eun. II. 2. 7. Dict. p. 101.

ut quisque — ita) Frequens scriptoribus constructio. v. Cort. ad Sall. Iug. 31. 14.

choro modulisque carminum) Cf. Apul. Met. V. p. 348. *Iubet — choros canere, cantatur. Quae — dulcissimis modulis animos audientium mulcebant.* Met. VIII. p. 589. *Cantus Phrygii mulcentibus modulis excitus.*

convivium illud deorum appellatum) Apte referri huc iubet Obrechtus coenam Augusti ex Sueton. Aug. 70, quae vulgo δωδεκάθεος vocabatur, in qua Deorum Dearumque habitu discubuere convivae, et ipse Augustus pro Apolline ornatus erat.

VIII. *multis*) scil. hominibus, accolis. Sic Graeci *πολλοί*, absolute.

saevitia hiemis) Laudat Cort. ad Sall. Iug. 37. *saevitia temporis.*

multum — fatigatus) i. e. valde. Sall. Iug. 94. 3. *diu multumque fatigati.* ubi v. Cort.

in quorum inquisitionem — profectus) Cap. 13. *ad inquisitionem viri profectus.* et infra: *ad investigationem eius profecti.* cap. 15. *ad inquisitionem patris profectus.* Sed Iust. II. 15. *in legationem proficiscitur.* Gell. II. 29. *in pastum profecti.* V. 14. *in venatum profectus.*

IX. *mutata Phrygia veste*) Modo audivimus, Neoptolemum Iolciacam vestem sumsisse; iam autem mutatur Phrygia vestis. Nonne igitur legendum *Iolciaca veste?* Minime. Duplicem quippe constructionem recipit verbum *mutare*, ut eodem plane sensu dicere possis: *mutat Phrygiam vestem Iolciaca*, et: *mutat Iolciacam vestem Phrygia.* Liquido hoc ostendit Bentl. ad Horat. Od. II. 16. 18. cf. Wopkens. p. 101. Pyrrhus primum induerat vestem Iolciacam, iam ea deposita sumit Phrygiam, Troianum Mestorem simulans.

fatigatum somno navigioque) Interpp. conferunt Horat. Od. III. 4. 11. *ludo fatigatumque somno.* ubi cf. Mitscherl.

increpatisque) Lib. III. 8. *increpatis ducibus.* Iustin. XI. 3. *quibus auditis et graviter increpatis.* Serv. ad Aen. II. 81. *a Palamede est vehementer increpatus.*

intercessu suo) Val. Max. V. 4. 2. *Consulem graviter saucium intercessu suo liberavit.* Dicit *intercessus* pro intercessione noster etiam cap. 4. 10. V. 14.

X. *in matrim. susceperat*) Tacit. Hist. IV. 64; Gell. X. 16; Sulpic. H. S. I. 13. 5 et saepius: *in matrimonium accipere.* Sulpic. H. S. I. 11. *in matr. assumere.* Oros. V. 10. *in matr. recipere.* Posterioris haec sunt latinitatis, ut et cap. 3. *in matr. denubere.* 4. *in matr. despondere.* III. 5. *in matr. deducere.*

ut tradita ossa) Intell. fuerint.

de int. praeda — palam ei factum) Nepos Dion. 10. *huius de morte ut palam factum est.* ubi de hoc loquendi more disserit Bremi. Cf. cap. 13. *ubi de Pyrrho palam est.* II. 8. *ubi de coniuratione — compertum.*

nusquam — comparuerit) Saepe sic loqui Apuleium, docet Oudend. ad Met. XI. p. 780. cf. Obrecht.

ultro praeceps ierit) scil. in mortem, i. e. manum sibi ipsa intulerit. Aemulater Sallustii: *praecipitem ire in libidinem, in malos mores* cet. Cat. 37. 4. *Sed urbana plebes*,

ea vero praeceps ierat multis de causis. Iug. 31. 6. *necesse est, suomet ipsi more praecipites eant.* quibus locis vide disputata a Cortio.

seu — sive — vel) ut Flor. IV. 2. 79. se excipiunt: *sive — sive — vel.* ubi v. Duker.

XI. *nomine publico*) i. e. sub nomine civitatis, a tota civitate evocatus. Lib. II. 48. *nomine omnium.*

tanta vis loc. — invaserat) Sall. fragm. VI. 20. *Simul immanis vis hominum ex his locis invasere patentes.*

precibus suppliciisque) *Supplicia* pro supplicationibus. Liv. XXII. 57. *quibus precibus suppliciisque deos possint placare.* Sall. Cat. 53. *non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur.* ubi Sept. affert Wasseus (c. 56.). Plura Cort. ad Sall. Cat. 9. 2.

responso editur) Sulpic. H. S. I. 8. 1. *dictumque responso domini est, duos in his populos praenunciari.* Wopkens. p. 102. affert Cic. Divin. I. 21. *Ibi ex oraculo voce divina edidit Apollo, puerum* cet. et ad hunc Ciceronis loc. similia.

proventu frugum) Apul. Florid. p. 50. *Ruratio omnis in sarculo et surculo: quorum proventu magis fructuosa insula est, quam frugifera. Proventus* significat successum non minus, quam uberem et locupletiorem reditum fructuum, ait Oudend. ad Sueton. Vesp. 5. p. 837.

ab his, qui ap. Delphos erant) i. e. a Delphorum incolis; ut Dares c. 9. *Hi, qui in insula erant, mirabantur.* Wopkens. p. 102. Cf. ad II. 26.

contemtui habentes) Intell. verba Delphorum. Dura ellipsis. Optima contra imagine infra dicitur, una cum interitu Lycophronis et Jxaci, medio mari perditorum, etiam vim mali velut mari immersam.

XII. *reliquus iam filiorum — superfuerat*) Cf. Plaut. Trin. 2. 4. 109. *nam is* (sc. ager) *de stultitia mea solus superfit praeter vitam reliquus.* Hegesipp. I. 9. *Fratrem — interemit. Reliquum, qui supererat ex fratribus — reservavit.* Oros. V. 23. *reliquum agmen — quod caedibus superfuerat. Filiorum* Genitivus Graecus est, quales enotavimus ad lib. I. 6; vel Genitivus pendens a *reliquus,* ut lib. I. 5. *reliquus praedae.*

in domo) Latinum est *in domo Caesaris*. Sed *in domo* simpliciter pro *domi* barbarum.

a pernicie viri retenti sunt) *A pernicie* dicit pro ipsa caede viri; plane ut Apul. Apol. p. 382. *ut aegre Lollius Urbicus ab eius pernicie temperarit.* Sulpic. H. S. I. 20. 8. *gens indomita — in perniciem eorum ferebatur.* Eadem ratione *exitium* Sulpic. H. S. I. 17. 1. *aegre ab exitio eius temperabat.* et *inquietudo* apud Sept. lib. I. 22. *ab inquietudine Iphigeniae cohiberent sese.* Utroque Sulpicii loco alia ex Sulpic. et Cornelio Nepote attulit Vorstius.

XIII. *Hermionae matrimonium*) pro cum Hermiona. Lib. I. 10. *matrimonium Menelai.* Iustin. II. 12. *bellum Persarum*, pro cum Persis. V. 4. *Siciliae pugna*, pro cum Sicilia.

visus Orestes negabatur) Pari Nominativo cum Infinitivo lib. II. 8. *Aiax impetraturus credebatur.* Plaut. Mostel. 1. 3. 76. *Utinam meus nunc mortuus pater ad me nuncietur.* Apul. Met. IX. p. 223. Bip. *asinus intra limen comparere nunciatur.* Iustin. XIV. 5. *qui cum venire — nunciatus esset.* Sedul. Carm. I. 198. *Daniel decernitur insons ieiunis cibus esse feris.* Multa huiusmodi ex recentioribus enotare possis.

praesumta — opinio) Idem dicendi genus Quintil. II. 17; ut Tacit. Ann. II. 73. *praesumta suspicio.*

de interimendo foetu) i. e. ad interimendum foetum spectantes. Lib. II. 4. *legati invicem de sepeliendis, qui in bello ceciderant, mittuntur.*

XIV. *perlaudabilis*) De hac voce Praefat. p. XXXIX.

quod complecti cet.) Syntaxis est: et sibi, illud complecti cupienti, porrigentique ad illud manus, ab eo responsum est. De syllepsi, qua casus quartus *quod*, qui proprie non nisi verbo *complecti* convenit, etiam ad *porrigere* trahitur, dixi ad lib. IV. 11.

coniunctionem) Intell. coitum. Cic. Off. I. 4. *coniunctionis appetitus.*

namque ex eo) Anna interpretabatur: ex eo tempore, in posterum. Malim equidem: ideo, ex ea causa, i. e. ob sceleratam eiusmodi coniunctionem. Sic lib. I. 6. *ex quo au-*

ctores iniuriae — impietatis supplicia subituros. II. 25. *Ex quo etiam verendum, ne — perniciosa consilia — moliren-tur.* et c. 30. *ex quo accideret, ut potentissimi regis con-traheret offensam.* Vid. lib. VI. 3. Atque ita capienda for-sitan ista lib. V. 15. *Itaque ex eo Ulysses — custodiam sui augere.* Wopkens. p. 103. Sulpic. H. S. I. 54. 4. *in la-cum immensi profundi, coenoque ac sordibus, atque ex eo exitiabili foetore horridum, demissus est.* Horat. Sat. I. 4. 129. *Ex hoc ego sanus ab illis.* quae Doeringius de tempore accipit; cum tamen ad rerum praecedentium multitudinem verba spectent, hoc sensu: ex his rebus, propter haec pa-tris praecepta.

versanti sibi vehementius) i. e. inquiete molesteque sibi agenti. Cf. ad II. 5.

perdiscere) proprie est: accurate discere, cognoscere. Cic. Orat. III. 36. *qui non cito quid didicit, nunquam omnino potest perdiscere.* Nostro loco ponitur pro simplici *discere*, i. e. cognoscere, more recentiorum passim a nobis notato.

XV. *e diverso repellitur*) i. e. a contraria parte, ab adversariis. Tacit. Hist. II. 75. *paratum ex diversa prae-mium*, i. e. ab hoste. Hist. III. 73. *ex diverso trepidi mili-tes*, i. e. ab hostium parte.

dolore elatus) i. e. correptus, vehementer commotus; ut Liv. XXXIX. 27. *elatus ira.* Caes. B. G. VIII. 19. *ela-tus iracundia.* ubi v. Oudendorp. Cf. Ernest. Clav. Cic.

iuvenem a Tel. immissum) Sall. Cat. 48. *Tarquinium a Cicerone immissum.*

ictum — intercipit) *Ictum intercipere* dicitur, quod lib. II. 40. *ictum declinare.* *Intercipere* esse, non pati ad se pervenire, sed avertere, docent Duker. ad Flor. II. 4. 4. et Ruhnken. ad Terent. Eun. I. 1. 35. Dict. p. 92. — *Casu* pro occasione capit Wasseus ad Sall. Iug. 60. ubi alia exem-pla promit.

gratulari cum fortuna) v. Praefat. p. XLVII.

nomen — insulam) Ex sequenti verbo *ostendit* ad haec intell. enuntiat, nominat. Cf. ad II. 51.

invalidus virium) Tacit. Ann. XV. 53. *animi validus et corpore ingens.*

OBSERVATIONES HISTORICAE.

OBSERVATIONES HISTORICAE

IN

LIBRUM PRIMUM.

I. *Minois — pronepotes*) Minois filius Catreus (Atreum vocat Dictys): Catrei filiae Aeropa et Clymene; quas pater Nauplio dedit vendendas: sed Aeropa Plistheni nupsit, suscepitque ex eo Agamemnonem et Menelaum; Clymenen ipse Nauplius uxorem duxit, unde nati Palamedes et Oeax. Apollod. III. 2; Schol. Eurip. Or. 432. Porro Minois filius Deucalion: Deucalionis Idomeneus et nothus Molus: Moli Meriones. Cf. Meurs. Cret. III. 3. p. 138.

ad dividendas Atrei opes) De hac hereditate atque etiam de causa, ex qua Menelaus Cretam profectus esse dicitur, disputavimus Praefat. p. XXX.

seorsum habuere) et Idomeneo mortuo Merioni per successionem regnum traditum est, ut retulit noster lib. VI. 6. Unicus harum rerum Dictys testis est.

Anaxibia — Nestori denupta) Nestoris uxor fuit Eurydice, Clymeni filia. Hom. Od. III. 452. Quae cum naturae concessisset, Anaxibiam, Agamemnonis sororem in matrimonium duxit. Eustath. ad Hom. Il. II. 591. *θανούσης αὐτῆς (Εὐρυδίκης), Ἀναξιβίαν ἔγημεν* (Nestor), *ἀδελφὴν Ἀγαμέμνονος*. Adscripsi Eustathii verba, quia in iis erravit Fuchsius Fab. Troic. Quaest. p. 22., Eustathium tradere dicens, Eurydicen post Anaxibiae mortem a Nestore ductam esse.

Cum Eustathii loco compara Apollod. I. 9. 9. qui Nestorem duxisse narrat *Ἀναξιβίαν τὴν Κρατιέως.* Hanc Anaxibiam eandem esse atque Dictyis, negare non debuit Anna Daceria, cum apud utrumque scriptorem iidem Nestoris ex Anaxibia filii, Antilochus et Thrasymedes, commemorentur. Cf. Dict. c. 13. Quare Apollodori loco legendum censeo *τὴν Ἀτρέως* (non *Κατρέως*, ut corrigit Fuchs. p. 23.), et statuendum, Apollodorum Anaxibiam nominasse Atrei filiam, licet fuerit Plisthenis ex Eriphyle; pariter atque Agamemnon et Menelaus filii perhibentur Atrei, cum sint Plisthenis. — De Anaxibiae nuptiis ab aliis alia traduntur.

hi non Plisthenis cet.) Simillimus est locus Eustathii ad Hom. Il. II. 249. *οὗτοι μὲν ἦσαν κατὰ τὸ συνῆθες Ἀερόπης καὶ Ἀτρέως παῖδες τοῦ Πέλοπος, τῇ δὲ ἀληθείᾳ Πλεισθένους, ὥς φασιν ἄλλοι τε πολλοὶ καὶ Πορφύριος ἐν τοῖς Ζητήμασιν. Ἀλλ' ἐπειδὴ Πλεισθένης νέος τελευτᾷ, μηδὲν καταλήψας μνήμης ἄξιον, νέοι πάνυ ἀνατραφέντες ὑπὸ Ἀτρέως, αὐτοῦ παῖδες ἐκλέθησαν* Promiscue Malelas p. 135. Menelaum et Agamemnonem modo Atrei modo Plisthenis filios vocat. Utrique fratri exprobratur ignobilitas lib. V. 16.

II. *Ad eos re cognita — confluunt*) Vide disputata Praefat. p. XXX.

transmissa) At notissimum est ex fabula, raptam tauro vectore Europam neque patrem neque filios investigatum missos invenire potuisse, eosque ne domum quidem reversos esse, sed ex erroribus alium in alia terra sedem sibi paravisse. Apollod. III. 1; Hellanic. fragm. p. 68. sq. Sturz. Cf. Mercer. Varias de rapta Europa narrationes posui ad lib. II. 26.

III. *aliisque — comitibus*) In his Glaucus, Antenoris filius (III. 26. V. 2.); itemque Deiphobus et Polydamas, duces magni exercitus (Dares c. 9; Ios. Iscan. III. 185; Henric. Brunsvig. c. 28. fol. 45.), et viginti duarum navium (Henric. l. l.). Apud Malel. p. 116. Paridem comitantur centum *νεάνισκοι*, apud Herodot. II. 113. multi servi. Paridem multos homines armatos secum habuisse, liquet vel ex proelio cap. 5.

ipsamque et multas opes) Herodot. II. 114. *αὐτήν δὲ*

ταύτην ἄγων ἥκει καὶ πολλὰ κάρτα χρήματα. — *Aethram — et Clymenam*) Aethram a Paride abductam esse ait Plutarch. Thes. 34: Aethram aliasque puellas Tzetzes Antehom. 130. ad Lycophr. 132; Malelas p. 119; Cedren. p. 101: Aethram et Thisadien seu Phisadien Hygin. fab. 29 et 92: tres cum Helena virgines Henric. c. 29. fol. 50. Aethra et Clymena, quae Ovid. Her. XVII. 267. XVI. 257. comites conciliatricesque Helenae, cum Spartae degeret, nominantur, eaedem Helenae, cum Troiae esset, ἀμφίπολοι vocantur Hom. Il. III. 143. Affinitatem Aethrae, Clymenae et Menelai ostendit Fuchs Quaest. p. 62. sq. Aethra perhibetur Thesei filia lib. VI. 2; ibidem Clymena Aethrae filia. — *ob necessitudinem*) Immo bello captae a Dioscuris et in servitutem abductae, testibus Hygino l. l. et Tzetza ad Lycophr. 132.

nuncius venit) Ἶρις ἀναγγέλλει τῷ Μενελάῳ τὰ γεγονότα κατὰ τὸν οἶκον. Ex Cypriis Proclus. Apud Malelam milites, apud Tzetzen Antehom. 135. servi nuntium afferunt. — *expugnatam domum*) Virgil. Aen. X. 92. *Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter.* ubi cf. Heynius. — *et alia — disserebant*) Scil. fortasse etiam boves et equos esse abactos agrosque vastatos: qualia desumere Dictys potuerit ex Hom. Il. I. 154. sqq.

IV. *ob iniuriam affinium*) Ipsam iniuriam ex Graeco Dictye servavit Malelas p. 119. Aethra nempe auctor fuerat, ut Helena a Paride corrumperetur. Cecinit hanc corruptionem etiam Cypriorum scriptor, testo Proclo, qui ita: ἐν τούτῳ δὲ Ἀφροδίτη συνάγει τὴν Ἑλένην τῷ Ἀλεξάνδρῳ. καὶ μετὰ τὴν μῖξιν κ. τ. λ. Cf. Auctor τῶν Τρωϊκῶν in Bibl. Uffenb. V. p. 661. Pluribus de hoc loco disputat Perizonius Diss. §. XI.

consilio excidisse) Malel. p. 120. Καὶ ἀπέμεινεν ἀκούσας ὁ Μενέλαος ὡς ἔξηχος. Vestem lacerarunt accepto nuntio Menelaus et Tyndareus, Helenae pater, ut scribit Constant. Manasses p. 20. Scriptt. Byz. T. XII.

Eo iam Agam. — in unum coeunt) Ex Cypriis Proclus: Ὁ δὲ παραγενόμενος (πρὸς οἶκον) περὶ τῆς ἐπ' Ἴλιον στρατείας βουλεύεται μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ. καὶ πρὸς Νέστορα

παραγίνεται Μενέλαος. et mox: *ἔπειτα τοὺς ἡγεμόνας ἀθροίζουσιν ἐπελθόντες τὴν Ἑλλάδα.*

legantur prius ad Troiam) Apud Cypriorum scriptorem, ut ex Procli excerptis discimus, Graeci post Protesilai demum et Cycni mortem *διαπρεσβεύονται πρὸς τοὺς Τρῶας, τὴν Ἑλένην καὶ τὰ κτήματα ἀπαιτοῦντες.* — Praeterea apud Homerum (Il. III. 205. XI. 139.), quem antiqui plurimi secuti sunt, legantur non nisi Menelaus et Ulixes; apud Henric. Brunsvig. c. 37. fol. 64. Ulixes et Diomedes; apud Auctorem *τῶν Τρ.* in Bibl. Uffenb. VI. p. 661. Menelaus, Ulixes et Palamedes, quibus Acamantem et Diomedem addit Tzetzes Antehom. 155. — Clytemnestram maxime ad hanc legationem incitasse, quin etiam literas Menelao dedisse Helenae tradendas, quibus reditus eius efficeretur, adiiciunt, forte ex Graeco Dictye, Malelas p. 121. et Cedrenus p. 102. — Altera legatio a Dictye describitur lib. II. 20. ubi vide.

venti ad Cyprum appulere) Qui sic tradiderit, ignoro alium. Ipsi Dictyis sectatores, Malel. p. 119. et Cedren. p. 102., aliter referunt, Priamum primum Sidonem, tum Aegyptum et inde Troiam venisse scribentes. Ac nescio an pro *ad Cyprum* legendum sit *Aegyptum*. Sic consentientem Dictys haberet Ausonium, cuius verba in Gloss. descripsimus; Herodotum, qui lib. II. 113. ita: *Ἀλέξανδρον — ἄνεμοι ἐκβάλλουσιν ἐς τὸ Αἰγύπτιον πέλαγος· ἐνθεῦτεν δὲ (οὐ γὰρ ἀνίει τα πνεύματα) ἀπικνέεται ἐς Αἴγυπτον.* itemque Eustathium, qui ad Il. VI. 289.: *δι' Αἰγύπτου καὶ Φοινίκης καὶ τοῦ Φαρίου καὶ Ἰσσικοῦ πελάγου περιοδεύσας ἦλθεν εἰς Τροίαν.* atque Const. Manassem, qui p. 20. pariter primum Aegyptum tempestatibus Alexandrum iactatum fuisse perhibet. — Ab his omnibus discrepat Cypriorum scriptor, qui teste Herodoto II. 117. cecinit, *ὡς τριταῖος ἐκ Σπάρτης Ἀλέξανδρος ἀπίκετο ἐς τὸ Ἴλιον ἄγων τὴν Ἑλένην, εὐαέϊ τε πνεύματι χρησάμενος καὶ θαλάσσῃ λείῃ.* Eadem iisdem verbis ex Cypriis refert Eustathius l. l.; et certe ultima verba *εὐαέϊ τε κ. τ. λ.* ex ipsis Cypriis desumta sunt. Hic gravissimus Herodoti et Eustathii (cf. Horat. Od. I. 15. init., qui et ipse Cypriorum scriptoris verba respexisse videtur, canens: *in-*

grato celeres obruit otio ventos.), consensus clamat, Photio fidem omnino denegandam esse, tradenti: *χειμῶνα δὲ αὐτοῖς ἐφίστησεν Ἥρα· καὶ προσενεχθεὶς Σιδῶνι ὁ Ἀλέξανδρος αἱρεῖ τὴν πόλιν· καὶ ἀποπλεύσας εἰς Ἴλιον γάμους τῆς Ἑλένης ἐπετέλεσεν.* Vid. Wuellner de Cyclo Epico p. 73. Miror, quod tamen Wuelleri verissimam opinionem tanto opere impugnat Fuchs Quaest. p. 66. sq.

Sidoniorum regem) Cf. lib. IV. 4. Quae fuse hic narrantur, ea ex Hom. Il. VI. 289. ubi raptus foeminarum ex Sidoniorum urbe fit mentio, vel ipse Dictys adumbravit, vel antiquus poeta, quem ob oculos habuit: quod quidem probabile est vel ex loco Photii, quem modo adscripsi: licet enim verba sint interpolata, res tamen certa est.

VI. *Palamedes — ad Priamum adit*) At Malel. p. 122. *Καὶ ἦλθεν ὁ Μενέλαος πρὸς Πρίαμον.* — De Palamedis sapientia Heyn. ad Virgil. Aen. II. 81. Exc. IV; Iacobs ad Tzetz. Antehom. 265.

discordiarum Ili et Pelopis) Coeptae hae discordiae inter Troem et Tantalum, illum Ili, hunc Pelopis patrem, ob raptum Ganymedis; quem Tros armis vindicare aggressus, cum decederet, bellum Ilo peragendum reliquit: a quo Tantalus Paphlagonia eiectus. Sed detrimenta patri illata magnis invicem damnis Pelops ultus est. Praeter Diodorum Sic. et Lycophronis scholiasten vid. Oros. I. 12. OBRECHT.

domum ad se — deducit) Hom. Il. III. 207.

VII. *Alex. cum suprad. com. venit*) Insignem errorem admittit Vindingius, huc referens ex Malela, Alexandrum post triginta trium annorum in agro Amandra (qui postea *Πάριος* a Paride est appellatus. Const. Manass. p. 20.) moram Troiam ingressum esse *μηνὶ ξανθικῷ τῷ καὶ Ἀπριλλίῳ.* Haec quippe non ad Paridem a Sparta Troiam reducem spectant, sed ad longe alium priorem reditum, de quo Malel. p. 114 sqq. Huc autem faciunt, quae legimus Malel. p. 120. *Μετὰ δὲ χρόνον ἦλθεν ἐκ τῆς Αἰγύπτου ὁ Πάρις, ἔχων τὴν Ἑλένην καὶ τὰ χρήματα καὶ τὸν πλοῦτον ὅλον τῆς αὐτῆς.*

una voce, minime reddendam) Malel. p. 122. *καὶ οὐκ ἐπείσθησαν οἱ Πριαμίδαι δοῦναι αὐτήν.* Varia dat Fuchs

Quaest. p. 67. — Summam legationis ex Dictye reddiderunt Malelas et Cedrenus. Septimius prae ceteris rebus amavit Dictyis legationes, quas fuse descripsit. Magna in legationibus Dictyi fuit variandi et novandi data occasio, quam libentissime arripuit.

IX. *Danaum enim atque Agen. — auctores esse*) Helena cum Priamo se genere esse coniunctam contendit in hunc modum: A Danao originem ducit Priamus, ab Agenore Helena: Danaus autem et Agenor proxima consanguinitate iuncti sunt; igitur Helena quoque et Priamus consanguinei. In his Agenoris et Danai necessitudo recte se habet: Neptuni enim filii Belus et Agenor, Beli Danaus. Apollod. II. 1. 4. Sed quae sequuntur origines, quibus Priami genus a Danao, Helenae ab Agenore repetitur, adulterinae sunt; et in utriusque stirpis primo quoque membro Dictys falsa mentitur nomina: neque enim Danai filiam Hesionam, neque etiam Agenoris filiam Taygetam ex certo veterum scriptorum consensu novimus. — De Graecis et Troianis genere coniunctis Virgil. Aen. VIII. 129—143.

ex quo Tros) Manifesto hic errat Dictys, Troem Dardani filium nominans, cum fuerit Erichthonii, ut recte retulit lib. IV. 22. Culpam illius erroris in quo haereat dicit Perizonius Diss. §. XVII. De regum Troianorum genere nobilis est locus Hom. Il. XX. 215 sqq. Cf. Apollod. III. 12.

Agenoris porro Taygetam) Hoc est contra Apollod. III. 10; Hygin. fab. 155 et 192. ceterosque scriptores, qui Taygetam Atlantis ex Pleiona filiam faciunt. Recte autem refert Dictys, „Taygetam ex Iove habuisse Lacedaemonem, ex quo Amyclam natum." v. Apollod. II. 10. 3; Hellan. fragm. p. 64. Sturz. Pergit Dictys: *ex eo Argalum, patrem Oebali, quem Tyndari — patrem constaret.* In his a Pausania III. 1. in eo abit, quod Oebalum facit Argali filium, cum fuerit Cynortae, Argali fratris. Pausanias enim ita: Lacedaemonis Amyclas, Amyclae Argalus (natu maior, qui patre mortuo regnavit) et Cynortas (qui Argalo defuncto in regno successit). Aliter Apollod. III. 10. 3. ubi Amyclae Cynortas, huius Perieres, huius Tyndareus. Aliter idem Apollod. III. 10. 4. ubi Cynortae Perieres, huius Oebalus, huius Tyn-

darcus. Cf. Schol. Eurip. Or. 458; Eustath. ad Hom. Il. II. 581; Heyn. ad Apollod. Obss. p. 283. Pluribus hac de re disputat Fuchs Quaest. p. 52. sq.

Agenoris quippe — divisisse) Sensus: a Phoenice, filio Agenoris, exit Dymae simul, ex quo Hecuba oriunda, et Ledae consanguinitas. Quam sententiam ut Troianis persuaderet Helena, tres Agenores, aetate et patria diversos, Sidonium, Aetolum et Thracem, eorumque proles in unum Agenorem Sidonium contulit. Cf. Perizon. Diss. §. XVIII. Recte dicit, Agenoris Sidonii filium fuisse Phoenicem. Apollod. III. 1; Hygin. fab. 178. Pergit, ex Phoenicis posteris oriundum Dymam. Atqui Dymae pater erat Dardanus, teste Dionys. Hal. Antiq. I. p. 49. Sylb.: Dardanus erat Iovis ex Electra filius, Electra Atlantis ex Pleiona filia: Atlantis autem genus nihil pertinet ad Agenorem Sidonium. Ut tamen Dymae et Agenoris consanguinitatem extorqueat, alium introducit Agenorem, Thracem; et lib. III. 5. IV. 22. Dymae patri Dardano uxorem dat Olizonam, quam filiam Phinei vocat. At Phineus non Sidonii, sed Agenoris Thracis filius erat; et Dardani uxor non erat Olizona, sed Batea, Teucri filia, testibus Mnasea apud Steph. Byz. v. *Δάρδανος*; Dionys. Hal. I. p. 49 et 50; Apollod. III. 12. 1.; quam Lycophron Cass. 1308. Arisbam vocat, Cretensem puellam. Cf. Sturz ad Hellan. fragm. p. 103. sq. Porro Helena Ledae originem per Dymam deducit ab Agenore. Pertinet Ledae genus ad Agenorem, sed ad Aetolum, Pleuronis filium. Agenor scil. Aetolus ex Epicaste genuit Demonicen filiam: haec ex Marte concepit Thestium; ex quo Leda nata, Tyndari uxor. Vid. Areus poeta apud Pausan. III. 13; Eurip. Iph. Aul. 49; Apollod. I: 7. 7 et 10. III. 10. 5. Omnis igitur ficta Dictyis genealogia corruit. Recte denique Hecubam fuisse Dymae filiam ait cum Hom. Il. XVI. 718; Pherecyd. apud Sturz. p. 209.: eam Cissei filiam vocant Euripides et Hyginus fab. 256. Cf. Heyn. ad Apollod. Obss. p. 302.

Postquam memoriter) Malel. p. 121. *Ταῦτα δὲ εἰποῦσα ἡ Ἑλένη τῷ Πριάμῳ καὶ τῇ Ἑκάβῃ, ᾔτησεν αὐτοὺς ὁρκώσασα μὴ προδοθῆναι, καὶ λέγουσα μηδὲν τῶν Μενελάου εἰληφέναι, ἀλλὰ τὰ ἴδια μόνα ἔλεγεν ἔχειν.*

quas ob desert. dom. — metuebat) Comparat Obrechtus Virgil. Aen. II. 571.

X. *non invitam*) Multi sic tradidere. v. Fuchs Quaest. p.61.sq.

XI. *uti per dolum legatos circumveniant*) Praecipuus insidiator erat Antimachus (V. 2. 4.), qui omnium maxime, cum Troiani Helenam reddendam clamarent, obstitit (II. 23.). Acceperat scil. ab Alexandro pecuniam, ut insidias legatis strueret. Hom. Il. XI. 123. 138; Auctor *τῶν Τρ.* in Bibl. Uffenb. VI. p. 661; Tzetz. Antehom. 160. ubi cf. Iacobs.

XII. *interposita iurisiurandi religione*) Hoc unum est iusiurandum: sequitur alterum c. 15, quo omnes belli socii Argis confirmant, non ante se in patiam reversuros, quam Ilium eruissent. Prius, quod Spartae habitum videtur, Dictys finxit loco *τῶν ὅρκων*, quos ante res Troianas Helenae proci Spartae in domo Tyndari dederant, scil. neminem ex suo numero iniuriam illaturum ei, quem maritum sibi Helena destinasset. Eurip. Iph. Aul. 71. Auctor *τῶν Τρ.* in Bibl. Uffenb. VIII. p. 362. sq. *Δευτέρους ὅρκους*, quibus post Helenae raptum Graeciae principes mutuo se obstrinxerunt, non nisi Troia eversa receptaque Helena se redituros, non Argis, sed Aulide datos esse ceteri tradunt omnes. Cf. Virgil. Aen. IV. 425; Pausan. II. 22; Stat. Achill. III. 58; Tzetz. ad Lycophr. 202. 329; Auctor *τῶν Τρ.* in B. Uff. XXIV. p. 674.

Argi, Diomedis regnum) Hom. Il. II. 559. Agamemnonis regnum Mycenae. ibid. 569. Argos et Mycenas ob vicinitatem tragici poetae confuderunt. Strab. VIII. p. 260.

XIII. *Antilocho et Thrasymede*) Haud nominantur c. 17. Thrasymedi Hyginus fab. 97. tribuit quindecim naves. Thrasymedem Troiam venisse negat Philostratus Heroic. III. p. 697: qui ibidem narrat, Antilochum circa media demum belli tempora Troiam venisse, quia, cum Graeci Aulide cogerentur, non ea fuerit aetate, quae bellicis rebus par habetur.

XIV. *propter coniunctionem amicitiae*) Lib. II. 34. *Patroclum — obsequiis amicitiae carum.* Achillem et Patroclum etiam consobrinos fuisse, ostendit Daceria. — Ad totum locum cf. Auctor *τῶν Τρ.* in Bibl. Uffenb. X. p. 665. *Οὗτος* (Achilles) *στρατεύων ἐπὶ τὴν Τροίαν ἐπήγετο τὸν παιδαγωγὸν Φοίνικα, γηραιὸν ὄντα καὶ εὐσύνετον, υἱὸν τοῦ Ἀμύντορος, καὶ στρα-*

τηλάτην εἶχε Πάτροκλον, υἱὸν Μενοιτίου, τὸ εἶδος χαρίεντα, καὶ ἐκθύμως αὐτῷ φιλούμενον. — *custos atque rector*) Lib. II. 34. *Phoenicem — morum magistrum.* Quae dixi in Gloss. ad lib. II. 44, iis adde Cic. Orat. III. 15. 57. *Nam vetus quidem illa doctrina, eadem videtur et recte faciendi et bene dicendi magistra; neque disiuncti doctores, sed iidem erant vivendi praeceptores atque dicendi: ut ille apud Homerum Phoenix, qui se a Peleo patre Achilli iuveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret oratorem verborum actoremque rerum.* Locus Homeri est Il. IX. 443.

vicaria morte coniugis) scil. Alcestis. Nota fabula ex Euripidis Alceste. Eiusdem nominis tragoediam scripsere Ennius, Antiphanes (Athen. XII. p. 553. C.), Phrynichus (Suid. v. *Ἄλκηστις*). Narrant fabulam Hygin. 243; Stob. Serm. 65. p. 413. Gesn.; Palaephat. c. 41.

ob solertiam medicinae artis) Hom. Il. II. 732. — *Nireus pulcher*) Hom. 673; Eurip. Iph. Aul. 205. — *Amphilochus*) Neque c. 17. neque alibi ulla istius apud Dictyn mentio. Contra Thebas profectus est (Pausan. II. 20.): erat inter Helenae procos (Apollod. III. 10. 8.): vixit etiam post Troianum bellum (Pausan. II. 18.). Inter duces, qui contra Troianos pugnaverunt, eum recenset Hyginus, qui fab. 97. viginti naves ei attribuit. Adde Fuchs. Quaest. p. 71. — *ex Aetolia Thessandrus*) Usus ibi hospitio Oenei: cuius auspiciis coeptum inter Tydeum et Polynicem societatis ius, utroque ad Thebas profecto, cum Diomede Oenei nepote coli perseveravit. infra II. 2. Nam cum conventus Graecorum Argis institueretur, Oenei utique regnum Aetolia fuit. VI. 2. Thessandri Thebae. I. 17. Obrecht. — *Demophoon atque Acamas*) Haud nominantur in catalogo Dictyis, neque etiam Homeri. Graecorum exercitui Thesei filios interfuisse, tradunt Lesches apud Pausan. X. 25; Sophocles Phil. 558. et post hos alii. Cf. Dict. V. 13.

cuncti ex origine Pelopis) Nescio quos auctores secutus hic noster ait, eos omnes duces ex origine Pelopis fuisse; nam id omnino falsum est: lege modo Apollodorum, Hyginum, cet. Daceria. De hac adfinitate bene disputat Fuchs Quaest. p. 73.

XV. *ubi Argis convenere*) *Aulide* convenisse Graecos ibique sacrificasse cum antiqui poetae cecinerint, tum etiam instituti sacrificii ratio diversa est; atque portenta, quae in hoc conventu ab Homero cyclicisque poetis memorantur, hic omissa sunt. Fundus rei est Hom. Il. II. 303. ex quo fabulam exornarunt cyclici, inque his Cypriorum scriptor. — Apud Daret. c. 14; Ios. Iscan. III. 423. et Henric. c. 31. fol. 52. Graeci *Athenis* conveniunt.

Agam. grande auri pondus — dispartiens) Consulatur de hoc loco Fuchs Quaest. p. 69.

porcum marem — per medium transire) Idem mos II. 49 et V. 10. Pertinet ad antiquissimorum Graecorum caerimonias, Thessalorum, Boeotorum, Macedonum, Molossorum, itemque ad Persarum et Hebraeorum in iureiurando, foederibus sanciendis, purgationibus aliisque solennitatibus ritus, ut videre est ex Apollod. III. 13. 7; Herodot. VII. 39; Liv. XL. 6; Ieremia Prophet. 34. 8; Plutarcho, Zenobio, aliis, quorum locos et verba attulit Hugo Grotius ad Matth. 26. 28. Op. Theolog. T. II. p. 252.

neque prius bellum se deserturos) Pausan II. 22. *Αὐκέας δὲ οὖν ἐποίησε — Ἀργείων τοὺς ἐπὶ Ἴλιον στρατεύσαντας ἐνταῦθα ὀμόσαι, παραμένειν πολεμοῦντας, ἔς τ' ἂν τὸ Ἴλιον ἕλωσιν, ἢ μαχομένους τελευτὴ σφᾶς ἐπιλάβῃ.* Cf. ad cap. 12.

XVI. *et propter germanum — et propter magnam opum vim*) Posterius nititur testimonio Homeri Il. I. 281. quem respiciens pluribus disputat Thucydides I. 9. Prius desumtum ex Eurip. Iph. Aul. 84. ubi: *Κἀμὲ στρατοῦ γ' ἄνακτα Μενέλεω χάριν Εἵλοντο, σύγγονόν γε.* Agamemnonem praefuisse Graecis ob dignitatem vel ob ipsam corporis formam, dicit Philostrat. Heroic. VI. p. 704; quia fuisset *ἀρχικὸς καὶ εὐπαίδευτος καὶ εὐόμιλος, καὶ ἀνδρεῖος ὑπὲρ πολλοὺς καὶ αὐτὸν τὸν ἀδελφὸν Μενέλαον*, Auctor *τῶν Τρ.* in Bibl. Uffenb. IX. p. 663.

XVII. *Agam. — naves centum*) Hom. Il. II. 576; Eurip. Iph. Aul. 265; Hygin. 97; Malel. p. 135; Dares 14. Apud Henric. c. 31. fol. 52. ducit naves ducentas. — *aliisque sexaginta*) Hom. 609; Hygin., Dares, Philostr. Heroic.

II. 15. Loco Agapenoris Euripides Iph. Aul. 268. Agamemnoni adiungit amicum Adrastum, Malelas triginta naves *εἰς λόγον ἀποτροφῆς τῶν στρατοπέδων.* Qui infra a Malela nominantur *Ἀγήνωρ καὶ Τευθίδης σὺν νηυσὶν ξ'* (LX), in his Bentleius in Epist. ad Millium p. 74. (adiecta Malelae Chimealdi) latere putat *τὸν Ἀγαπήνορα ἐκ Τεγέης. Agenor* certe corrumpitur ex *Agapenor; Teuthis* autem recte se habere videtur, quem etiam Pausanias exhibeat (vid. ad fin. huius cap.). Agapenorem et Teuthidem, utrumque Arcadum ducem, Malelas, nescio quem secutus auctorem, composuit, eundemque iis tribuit navium numerum, quem Homerus et post eum vel plurimi soli Agapenori. — Apud Henricum Acapader (i. e. Agapenor), rex Capadionis, naves ducit LXXXIX.

Nestor nonaginta) Hom. 602; Hygin., Malel. Apud Daretem ducit octoginta. „Nescio de cuius fatali incude ex Nestoris urbibus *Ἀμφιγένεια* et *Πτελεός* in Malelam transiluerit heros nomine *Ἀμφιγενείας ἐξ Ἰλίου σὺν νηυσὶν μν',*" ait Bentl. ad Mill. p. 75. Fuchsius Quaest. p. 72. *Ἀμφιγενείας ἐκ Ἰλίου* corruptum esse dicit ex *Αἴας Οἰλέως*; illud autem *Ἀμφιγέν*, superfluum adhaerens, aliud nescit quod nomen obtegat. Non cogitaverat vir doctus, iam nominatum fuisse a Malela Aiacem Oileum. Eadem sorte, qua Malelae loco ex urbis nomine factus est heros, in Septimii MSS. ex insula *Dulichium* evasit vir *Dulichius*, atque in Henrici MS. Nestor et Pilio (pro: Nestor ex Pylo) ducunt naves LXX.

Menelaus — sexaginta) Hom. 587; Malel., Dares. Nonaginta septem tribuit Hyginus, ducentas Henricus. — *Mnestheus — quinquaginta*) Hom. 556; Malel., Dares. Sexaginta tribuit Euripides Iph. Aul. 247. Hyginus eius in catalogo non meminit: sed cf. Munck. ad verba *Menaae filius.* — *Elephenor — quadraginta*) Vid. not cr. Apud Hygin. ducit triginta, apud Malel. sexaginta. Dares eum ignorat. — *Aiax Tel. — duodecim*) Hom. 557; Eurip. Iph. Aul. 288; Hygin. Apud Malel. ducit quadraginta Aiax cum Teucro fratre, Amphimacho, Diore, Thalpio, Polyxeno. Apud Henric. Aiaci Tel. adiunguntur Cedius et Epistros (i. e. Schedius et

Epistrophus), nec non duo nobiles Phryges ex Defoto, et Polyxenar; navium autem numerus deest.

Diomedes — octoginta) Malel. Eundem navium numerum Diomedi una cum Sthenelo et Euryalo dant Homerus 559. et Dares. Sthenelo et Euryalo, Diomedis sociis, noster cap. 14. addit Amphilochum. Apud Hygin. Diomedes ducit triginta, Sthenelus viginti quinque naves; apud Henric. c. 32. fol. 53. Diomedes et Warion, rex Graeciae, octoginta. — *Ascal. et Ialm. — triginta*) Hom. 511; Malel., Dares. Apud Hygin. Ialmenus ducit triginta, totidemque Ascalaphus. — *Oileus Aiax quadraginta*) Hom. 534. Malelas tribuit novem, Hyginus viginti, Dares triginta septem, Henricus quadraginta, apud quem *Gleus et Aiax* scribitur pro *Oileus Aiax.*

ex omni Boeotia — quinquaginta) Hom. 494; Eurip. Iph. Aul. 253; Malelas. Apud Malel. pro *Μενέλαος καὶ Λήϊστος* scribendum *Πηνέλεως καὶ Λήϊτος*, ut iam vidit Bentl. ad Mill. p. 74. Hyginus numerat unam et quinquaginta, ut Peneleus habeat duodecim, Leitus duodecim, Clonius (sic recte Munck. pro *Chronius*) novem, Arcesilaus decem, Prothoenor octo. Dares solis Arcesilao et Prothoenori dat quinquagingta; Henricus octoginta sex Archelao et Prothenori (i. e. Arcesilao et Prothoenori). — *quadraginta — Schedius et Epistr.*) Hom. 524; Hygin., Malel., Dares. — *Thalpius — quadraginta*) Hom. 615; Dares. Hyginus Amphimacho dat decem, Polyxeno quadraginta: Thalpium ignorat: pro Diore exhibet Amarunceum, Dioris patrem, cum navibus undeviginti. Hos omnes ignorat Malelas.

Thoas — quadraginta) Hom. 644; Malel. Dares. Hyginus tribuit quindecim. Apud Henricum Dous ex Tholia (i. e. Thoas ex Aetolia) ducit naves centum. — *Meges — quadraginta*) Hom. 630; Malelas. Hyginus tribuit sexaginta. Dares eum ignorat. Malelas: *Μέγης ἐκ Δολίχης τῆς Ἑλλάδος σὺν νηυσὶν μ'.* Corrigit Bentl. ad Mill. p. 74. *ἐκ Δουλιχίου ἐξεναντίας τῆς Ἤλιδος*, ex Hom. l. l. — *Idomeneus — octoginta*) Hom. 645; Diodor. Sic. V. 15; Malel., Dares. Hyginus Idomeneo dat quadraginta, totidem Merioni. Idomeneum missa legatione Graecis Aulide coactis initio Cretensium auxilia

obtulisse ea conditione, ut particeps una cum Agamemnone summi imperii fieret, fingit Philostr. Heroic. VII. p. 705.

Ulixes duodecim) Hom. 637; Hygin., Malel., Dares. Apud Henricum Ulixes ex Thracia ducit naves quinquaginta. Malelas: Ὀδυσσεὺς ἐκ Κεφαληνίας Ἰθάκης σὺν νηυσὶν ιβ΄. Scrib. καὶ Ἰθάκης. — *quadraginta Prothous Magnes*) Hom. 759; Hygin., Malelas. Dares numerat naves undecim. Apud Malel. pro Πρόθωος καὶ Μαγνίτωρ scribendum Πρόθοος ἐκ Μαγνήτων. — *Tlepol. — novem*) Hom. 654; Hygin., Malel., Dares. Ex sola insula Rhodo novem naves numerat Homerus. Cf. Merc. et Obrecht. — *undecim Eumelus*) Hom. 713; Hygin., Malelas. Apud Daretem ducit decem. Malelae loco pro Εὔμενος scripsit Εὔμηλος iam Bentl. l. l.

Achilles — quinquaginta ex Pelasgico) scil. ex Argis Pelasgicis in Thessalia. Hom. 681; Eurip. Iph. Aul. 235. Apud Malel. et Daret. eundem navium numerum ducit cum Patroclo; apud Henric. c. 32. fol. 54. solus Patroclus quinquaginta; apud Hygin. Achilles sexaginta, Patroclus decem. Malelas: Ἀχιλλεὺς ἐκ τοῦ Ἄργους τῆς Ἑλλάδος. scrib. καὶ Ἑλλάδος, scil. Thessaliae urbis. Cf. Bentl. ad Mill. p. 75. Malelas forte ob oculos habuit Hom. Il. II. 682. Dares ait: *ex Phthia. — tres Nireus*) Hom. 671; Malelas. Apud Hygin. ducit sedecim. Dares eum ignorat. Apud Malel. pro ἐκ Μυκήνης scripsit ἐκ Σύμης iam Bentl. ad Mill. p. 74. — *Podarces et Prot. — quadraginta*) Hom. 695.; Malel., Dares. Hyginus Podarci tribuit decem; Protesilaum ignorat. Apud Henric. Portheselaus, rex Noturiae, ducit decem millia navium.

triginta Podal. et Mach.) Hom. 732. Apud Daret. ducunt duas et triginta; apud Hygin. Podalirius novem, Machaon viginti. Apud Malel. loco Podalirii et Machaonis, Triccensium, prodit Χαλίας ἐκ Τρίκκης σὺν νηυσὶν μ΄ (XL), pro quo ex Hom. l. l. refingere Bentleio ad Mill. p. 74. visum est Ποδαλείριος καὶ Μαχάων ἐξ Οἰχαλίας καὶ Τρίκκης. — *Philoct. — septem*) Hom. 716; Hygin., Dares. Malelas tribuit duodecim; apud quem pro ἐκ Μοθόνης scripsit ἐκ Μηθώνης iam Bentl. ad Mill. p. 75. — *Euryp. — quadraginta*) Hom. 734; Hygin., Dares. Malelas eum ignorat.

duas et viginti Guneus) Hom. 748; Malelas, apud quem pro *Νηρεύς* hic scrib. *Γουνεύς*. Apud Eurip. Iph. Aul. 277. ducit duodecim; apud Daret. unam et viginti. Hyginus eum ignorat. — *Leont. et Polyp.* — *quadraginta*) Hom. 738; Dares, Malelas, apud quem pro *Πολυπήτης* scripsit *Πολυποίτης* iam Bentl. ad Mill. p. 75. Leonteum ignorat Hyginus; Polypoetae tribuit naves viginti. — *triginta* — *cum Ant. Phid.*) Hom. 680; Dares. Idem navium numerus apud Henric. tribuitur Antipo et Silicoo, regi Calcedoniae. Hyginus, qui ignorat Phidippum, Antipho dat viginti. Tribus viris, Antipho, Phidippo et Sorthae, apud Malelam tribuuntur septuaginta octo.

Thessandrus — *quinquaginta*) Ignoratur Malelae, Hygino et Dareti. Etiam Homerus eius non meminit, utpote ante Achillis iram defuncti (cf. ad Il. 2.). In equo ligneo eum sedisse tradunt Virgil. Aen. II.. 261. et Hygin. fab. 108. Ex Thebis Argos venit: nam ante bellum Troianum, captis Thebis, Argivos hoc regnum tradidisse Thessandro, scimus ex Pausan. IX. 5. cf. Obrecht. — *Calchas* — *viginti*) Apud Homerum Calchas semper est sacerdos, vates, suasor. Forsan Dictyn decepit locus Hom. Il. I. 71. Sed praeter Dictyn etiam Auctor *τῶν Τρ.* in Bibl. Uffenb. XVI. p. 667. Calchantem inter duces referre videtur, qui se praestantissimos modo Graecorum principes exhibere dicit cap. XVII. p. 670. — *Mopsus* — *viginti*) Mopsum Troianis ducibus adnumerat Dares c. 18. Verum nec Graecis nec Troianis eum affuisse ex veteribus constat. Vixisse Mopsum Troiani belli temporibus diserte dicit Clemens Alexandr. Strom I. p. 333. D. Sylb. Post captam Troiam Calchas domum reversurus cum Colophonem appulisset, victus a Mopso interiit. Vid. Kanne ad Conon. Narrat. 6. p. 80. sq. et Fuchs Quaest. p. 186. — *Epios* — *triginta*) Huic nuspiam naves tribuuntur. Apud Virgil. Aen. II. 264. equo ligneo inest, cuius ipse fuerat fabricator. Ducibus eum adscribere videtur etiam Auctor *τῶν Τρ.* in B. Uffenb. XVII. p. 670. Sed Simmius Rhodius in Securi apud Brunck. Anal. T. I. p. 210. de Epeo: *οὐκ ἐνάριθμος γεγαὼς ἐν προμάχοις Ἀχαιῶν.* Eius loco Phocum architectum nominat Hyginus.

Presse igitur et in navium ducumque numero Dictys sequitur Homerum, nisi quod huius ducibus, quorum praetermisit neminem, addat Thessandrum, Epeum, Mopsum, Calchantem. Malelas in catalogo se Dictyn sequi pronuntiat; silet tamen Amphimachum, Polyxenum, Eurypylum, Thessandrum, Mopsum, Epeum. Eorum autem loco est Teuthis, qui, Arcadum imperator, etiam a Pausan. VIII. 28. inter duces refertur: sed Troiam haud profectus est ob praematuram, quam Aulide oppetiit, mortem. Palamedem, cui duodecim naves tribuit Malelas, miror quod Dictys praeterierit. Nominatur Eurip. Iph. Aul. 198. Eum neque navem adduxisse Troiam neque virum, verum una cymba cum Oeace fratre navigasse, prodit Philostr. Heroic. X. 10. p. 715. Rarus Hygini cum Homero et Dictye consensus, praeter numerorum magnam diversitatem introducentis insuper Eurychum, Amarunceum, Cycnum, Leophiten, Phocum architectum, Diaphorum iudicem. Nomini Eurychi cum Euripidis (Iph. Aul. 282.) Euryto magna similitudo; sed Eurychus Hygini est Argivus, Euripidis Eurytus Elius. Dares Homericorum ducum omisit nonnullos; novum addit nullum; et in navium numero aliquoties discrepat. Henrici cap. 32. mira ducum nomina, exceptis quae iam commemoravimus, sunt haec: „Astolaus und Alym, zwey grosse Herzoge von Tumenigen, führten hundert Schiffe. Anfriachus von Derion und Herzog Theseus hundert. Euelus, Graf von Tigerland, zwanzig. Portutus, ein edler Herr, drey uud dreissig. Der Fürst Wachnon zehn. Leopolis, ein König in den Inseln, vierzig. Euripilus und Leuerzina, zwey Herzoge von Larinse, achtzig. Doriolus, König von Larigia, vierzig. Deapeneus der König siebenzig. Castor und Pollux dreytausend. Carsimon, König von Bengide, dreyhundert. Wanbry, König von Rissen, achtzig. Athen, König von Tenneman, tausend. Lerant, König von Schotteland, fünfzig. Anachel, König von Engelland, hundert. Warcalius, König von Norwegen, achtzig. Girsabre, König von Orchadi, hundert. Collobrant, König von Orland, fünfzig. Urgamus, König von Spangenland, dreissig. Cleraus, König von Portugal, sechszig. Wantris, König von Ketlingen,

hundert. Urian, König von Mancre, sechszig." Pergit Henricus: „Und was Könige mehr waren. Was auch in Pulle und Lampartey von Reisigen war, fuhren auch hin, und von guter Ritterschaft. Nun ist die Welt in drey Theil getheilt: ein Theil heisst Asia; was Volk in diesem und den zwey andern war, die stritten alle wider die von Troia. Als alles versammelt war, stiessen sie vom Land, und kamen in den Wald, der lag im Meer, und hiess Aulia. Da wollten sie Bäume nehmen und andere nothwendige Sachen, und nahmen auch noch Streiter zu sich." Igitur secutus Henricus est, ne dicam veterem quempiam scriptorem, sed ne Guidonem quidem, cuius est interpres: immo ipse finxit nomina ex nota sibi historia. Ex Henrico autem efficitur, qua libertate ceteri in navium catalogo usi sint Germani de bello Troiano scriptores, de quibus in Praefat. egimus. — Omnium Graecorum navium numerus apud Homerum est MCLXXXVI. Thucydides (I. 10.) universim locutus ex eo repetit numerum MCC. Cf. Dio Chrysost. p. 329. Vol. I. Reisk.; Eustath. ad Hom. Il. II. p. 260, Auctor *τῶν Τρ.* in Bibl. Uffenb. XXII. p. 671. Apud Dictyn numerantur naves MCCVI; quibus si demis Thessandri, Calchantis, Epei et Mopsi naves CXX, restant Homeri MCLXXXVI. Malelas naves scripsit MCCLXXI; sed singulorum ducum contractis navibus efficitur numerus MCCL. Cedrenus numerat MCXLVIII; Hyginus ex Salmasii lectione MCCXXXVI. Dares Phrygius secundum Cod. S. Gall. sec. IX. scripsit naves MCXX, Ed. Crat. MCXL, Ed. Merc. et Obr. MCCII.

XVIII. *equi atque currus bellici*) Eurip. Iph. Aul. 82. *ναυσὶν ἀσπίσιν θ' ὁμοῦ ἵπποις τε πολλοῖς ἅρμασίν τ' ἠσκημένοι.*

pabuli egestate) Argos quidem Homerus vocat *ἱππόβοτον, εὔπωλον*; eius exemplo Horatius *equis aptum.*

Aulidam confluunt) Duarum ibi habitarum concionum ex Cypriis mentio iniicitur in Procli Excerpt. In una sermo est de sacrificio Calchantis auspiciis facto, et de dracone; in altera Iphigenia mactatur. Inverso ordine apud Dictyn in priore Iphigeniae immolatio celebratur; in posteriore (II. 10.) nihil memoratu digni agitur. Unius concionis meminit

Henricus c. 33. fol. 56. sqq., in quam contulit, quae veteres in duabus seiunctim narrarunt.

XIX. *irane coelesti*) Post caesam cervam praeterea superbe gloriatus erat Agamemnon, ne ipsam quidem Dianam tam certa ulli ferae infligere vulnera posse. Proclus ex Cypr.; Sophocl. Elect. 556; Callimach. H. in Dian. 263. — *an ob mutationem aeris*) Spreta igitur antiquissimorum hominum de vi iratae Deae credulitate, ex naturali rerum ordine, ex aeris *λοιμικῇ καταστάσει*, pestem Dictys repetit. Cf. lib. II. 30. — *lues invadit*) Luis obiter meminit etiam Servius ad Aen. II. 116.: *cum nec navigare possent, et pestilentiam sustinerent.* item Cedrenus p. 102. sq. Irata Diana Graecos excitata tempestate a navigatione Aulide retinet ap. Procl. ex Cypr.; Sophocl. Elect. 554; Ovid. Met. XII. 24; *σιγὰς ἀνέμων, ἀπλοία γενομένη* ap. Aeschyl. Agam. 188; Eurip. Iph. Aul. 9. 352; Callimach. H. in Dian. 229.

mulier quaedam deo plena) Plurimi hoc vaticinium Calchanti tribuunt, ut praeter Aeschylum (Agam. 201.), Euripidem (Iph. Aul. 89. 358.) aliosque antiquos, etiam Ptolem. Heph. lib. V; Malel. p. 123; Cedren. p. 102; Auctor *τῶν Τϱ.* in Bibl. Uffenb. XXIII. p. 674; Henric. c. 33. fol. 56. sq. Etiam mulieris vaticinium tangit Cedrenus. Agamemnonem Delphos misisse ad consulendum Apollinem, eumque Iphigeniam immolari iussisse, narrat Schol. Eurip. Or. 659.

filiam natu maximam) Fuerunt etiam, qui Iphigeniam Thesei et Helenae filiam esse dicerent. v. Fuchs Quaest. p. 58.

obstinate renuere) Sed milites et necessitas ad atrocissimum facinus eum coegere. Sophocl. Elect. 565; Eurip. Iph. Aul. 1257. 1270. — *regio honore spoliavere*) Dixi de hoc loco in Praefat. p. XXVIII. Erepta Agamemnoni summa militiae traditur Palamedi, Dictye opinor praeeunte, etiam ap. Daret. c. 25. et Henric. c. 58. fol. 104. sq., sed longe alia ex causa et longe alio tempore.

XX. *nullo consilii participe, falsas litteras*) Consentiunt in hac narratione cum nostro Malelas p. 123. Cedrenus p. 103. et Tzetzes Anteh. 194. Apud Eurip. Iph. Aul. 106. ipse Agamemnon, consciis Calchante, Ulixe et Menelao, per Talthybium praeconem litteras Clytemnestrae mittit. Apud

Hyginum mittuntur Ulixes cum Diomede, ut Iphigeniam Mycenis abducerent. — *quarum sententia*) Ante oculos habuit Eurip. Iph. Aul. 98. 362. — *quae nuptiis usui*) Cf. Eurip. Iph. Aul. 611.

Ulixi committit) Ulixem eam Mycenis Aulidem duxisse narrant etiam Hyginus, et Servius ad Aen. II. 116. Secundum Eurip. Iph. Aul. 417. 621. eam adducunt ipsa Clytemnestra et filius Orestes.

fugam parat) Ubi puellam in nemus ad caedem euntem vidit, dolore correptus ingemuit, et retro vertens caput lacrimas fudit, veste oculis opposita. Eurip. Iph. Aul. 1547. Acerbe eum flevisse, cum filiam videret, dicit Malelas. De fuga nihil invenio.

XXI. *dies foedari et coelum nubilo tegi*) Nemo Dictye antiquior tot verbis miraculum auget. Breviter Ovid. Met. XII. 32. *nubemque oculis obiecit.* Hygin. 98. *Diana calliginem eis obiecit.* Mirum in modum recentiores in fabula novis figmentis exornanda elaborarunt. Cum in eo esset, ut Iphigenia feriretur, ait Henric. c. 33. fol. 57, subito nubes descendit et nebula, ut his intercedentibus is, cui virginis mactandae munus erat, videre eam nequiret. Factum id ipsius Dianae misericordia motae auspiciis.

XXII. *Achilles litteras* cet.) Haec aliter disposuit Euripides; quem certe noster ob oculos habuit, sed noluit sequi, ut nova diceret, et sic iis faceret fidem. DACERIA. Euripides ita: Cum Clytemnestra Iphigeniam adduxisset, vera esse existimans, quae Agamemnon de nuptiis scripserat, Achilles nihil se hac de re scire fassus est: ubi autem de immolatione audivit, servare Iphigeniam studuit, omnibusque reluctatus est. Attamen necessitati eum cedere oportuit.

virginem abstrahit) Malelae p. 123. diversa hic a Dictye narratio est; et aliter rem narrat tota antiquitas. Post Cypriorum scriptorem Euripides ita canit: Frustra immolationi sese opposuerat Achilles. Admovetur virgo arae: Talthybius silentium imperat. Stricto gladio cum adstaret Calchas, subito miraculum visum: sonum gladii quisque manifesto audierat, sed quo virgo evanuisset, viderat nemo: cerva eius loco palpitabat in terra, maxima visu, cuius sanguine ara Deae con-

spersa erat. Parum diverse cecinerunt plurimi veteres. Cf. Iacobs. ad Tzetz. Anteh. 206; Munck. ad Hygin. fab. 98. Obvolutam nebula Iphigeniam Diana abstulit *Tensaritam*, in templum sibi sacrum, ubi facta est sacerdos. Dispersa nebula Graeci invenerunt pulchram cervam, quam virginis loco immolarunt. Sic Henric. c. 33. fol. 57. sq.

cerva) In cerva loco Iphiginiae supposita plurimorum veterum a Cypriorum inde scriptore consensus. Phanodemus Iphigeniam *εἰς ἄρκτον*, Nicander *εἰς ταῦρον*, alii *εἰς γραῦν* mutatam tradunt. v. Munck. ad Hygin. l. l. Ipsam Iphigeniam vere mactatam gladio esse, multi veterum loci indicant. v. Welcker. Trilog. p. 410. 415.

regi Scytharum — commendavere) Nesciebat Agamemnon, quid cum filia factum esset, eamque vere mactatam putabat. Quare cum Menelao ob proditam Iphigeniam discordias exercuit, cum Graeci Boeotiam reversi essent, quia Menelaum luctus sui auctorem habebat (II. 7.). Renuit etiam alteram expeditionem ob filiam; quare Achilles ei irascitur: utrumque in gratiam reducit Ulixes, qui Agamemnoni indicat, quid circa filiam evenerit, eiusque animum luctu liberat (II. 9.). Quid autem cum Iphigenia apud regem Scytharum factum sit, non dicit Septimius. Malelas, Cedrenus et Tzetzes Anteh. 200. patri eam incolumem redditam et Aulide Dianae sacerdotem relictam esse referunt, Dictyis narrationem deserentes. Fundus fabulae, quam posteriores suo more mutarunt et exornarunt, est in Cypriorum scriptore, qui cecinit, ut Diana Iphigeniam *ἐξαρπάξασα εἰς Ταύρους μετακομίζει καὶ ἀθάνατον ποιεῖ*. Hunc in summa rerum secutus esse videtur Euripides, qui (Iph. Taur. 28.) ad Thoantem, Taurorum terrae, quae pars Scythiae est, imperitantem, Iphigeniam a Diana ablatam, ibique Dianae Dictynnae sacerdotem factam esse canit. Addit Antoninus Liberalis Met. Syn. 26. Nomadum genti, cui Thoas Borysthenis filius imperator, nomen Iphigeniam posuisse *Taurorum*, quia ipsius loco ad aram apparuisset *ταῦρος*. — Summa totius fabulae breviter relata ab Auct. *τῶν Τρ.* in B. Uffenb. XXIII. p. 671. sq. parum ab antiqua narratione discrepare videtur.

qui eo tempore aderat) Lib. II. 8. Scythae nuntium

Troianis adferunt, universam Graeciam contra eos coniurasse. Ibidem cap. 10. Scythae, qui mercandi gratia ad Aulidem forte appulerant, duces viae a Graecis deliguntur. Cap. 16. rex Scytharum cum donis ad Graecos adventat. Apud neminem tanta Scythis in bello Troiano pars tribuitur. Fabulis paulo supra positis, Dictyis potuit impelli ingenium, ut regem Scytharum ipsum Aulide adfuisse fingeret. Forte etiam in vetere quodam poeta fons latet, unde et ea fluxisse dixeris, quae ex nostro modo contuli. Aliquam partem Scythis in rebus Troicis tribuit etiam Philostratus Heroic. II. p. 687, qui eos una cum Mysis duce Telepho contra Graecos pugnasse tradit. Apud Euripidem Rhes. 426. Rhesus sero Troianis auxilio venit, a Scythis prohibitus.

XXIII. *Anius*) De Anio eiusque filiabus lege Sturz. ad Pherecyd. fragm. p. 209. et Fuchs. Quaest. p. 96. sq. Ex Lemno Graecos naves vino oneratas Troiam duxisse, canit etiam Hom. Il. VII. 467. ad quem respicit Dio Chrysost. p. 358. Vol. I. Reisk. Cf. Welcker. Trilog. p. 315. sq.

OBSERVATIONES HISTORICAE

IN

LIBRUM SECUNDUM.

I. *ad Moesorum regionem*) *Τευθρανίᾳ προσίσχουσιν*, tradit ex Cypriis Proclus. Teuthrania sita in Mysia Asiatica ad Caicum flumen (Steph. Byz. v. *Τευθρ.*; Strab. XIII. p. 423.), circa quod Telephi et Achillis pugna pugnata est (Pausan. VIII. 45. extr.). — Ab Aulide cum Graeci solvissent et Troiam appulissent, eo tempore *ἔριδες ἐναέριοι τοῖς Τρωσὶν ὤφθησαν, σημεῖον πολέμου μείζονος. ἀθροισθέντες γοῦν καθοπλίζονται, καὶ περὶ πόλιν Μύῤῥιναν ἀγχιθυροῦσαν τῇ Τροίᾳ στρατοπεδεύονται, καὶ συνδεδραμμηκότες περὶ τὴν θάλασσαν ἀποβαίνειν τῶν ὁλκάδων τοὺς Ἕλληνας ἐκώλυον.* Auctor *τῶν Τρ.* in Bibl. Uffenb. XXV. p. 674.

Telephus — Moesiae imperator) Peccasse Dictyn contra historiam accusat Perizonius Diss. §. XXIII, quod Telephum regem fecisset Moesiae in Europa, cum fuerit rex Mysiae in Asia. Si oculi mei recte vident, Dictys nihil scripsit nisi *Moesiae imperator*, non *Moesiae in Europa*. Moesia vulgo Europae, Mysia Asiae regionem significat: sed scriptt. posteriores utrumque nomen confudisse, docuerunt Cellar. Geogr. antiq. II. 8. et Duker. ad Flor. IV. 12. 13. Sic Asiae regionem Moesiam saepe vocat Hyginus (cf. Munck. ad Hygin. fab. 14. p. 45 et fab. 99. p. 160.); item Ios. Iscan. IV. 357. 412. V. 362. alibi. Cf. Mercer. et Vinding.

quinam essent) Sciebat Telephus, quinam essent, qui

appulsuri forent: nam Tlepolemus Rhodius, qui se Graecis socium adiunxerat, a Telepho fratre mandatum acceperat, ut ei omnia, quae Aulide facta essent, consiliaque Graecorum accurate nuntiaret. Philostr. Heroic. II. 14. p. 687.

evolant navibus cet.) Achilles et Protesilaus primi e navibus in terram desiluerunt Mysosque repulerunt. Philostr. Her. II. 15. p. 688. Plures autem in hac pugna Mysorum trucidavit Protesilaus, quam Achilles, praemiaque ille virtutis tulit. Ibid. p. 677. Philostratus in Protesilaum confert laudem, quam antiqui poetae tribuerunt Patroclo. Solum enim Patroclum cum Achille imminentium ad naves barbarorum impetum sustinuisse, et ab hoc inde tempore Achillem, cognita ingenti Patrocli virtute, hunc belli socium elegiss eatque insigni amore usque prosecutum esse, praeclara fama est apud Pindarum Olymp. IX. 109—120 (ubi cf. Schol.), cui praeiverit Cypriorum scriptor. Cf. Welcker. Allgem. Schulzeitung. Abth. II. No. 116. p. 923. sq.

II. *in ea festinatione*) Contra Philostratus Her. II. 14. p. 687. scribit, iam antea Telephum, simul atque a fratre consilia Graecorum rescivisset, omnes copias a Mysia ad belli societatem contraxisse, Mysiaeque ac Scythiae gentes campos fluctuum maris instar inundasse.

condensatis utrinque frontibus) Quomodo utraque acies instructa fuerit, enarrat Philostratus Her. II. 16. p. 689.

Thessandrus — cadit) *Τήλεφος δὲ ἐκ βοηθείας Θέρσανδρον τὸν Πολυνείκους κτείνει.* Procl. ex Cypriis. Enituerat eius prae ceteris Graecis in ea pugna virtus; eique a Telepho occiso monumentum circa Caicum in Elaea urbe erectum, ubi incolae ei parentant. Pausan. IX. 5. At apud Virgil. Aen. II. 261. vivus Thessandrus in equo Troiano latet.

Telephi comitem) Interfecta a Nireo est Hiera, formosa Telephi uxor, quae mulierum una pugnantium cohorti praefuerat. Philostr. Her II. 17. p. 691; Tzetz. Anteh. 278; Auctor *τῶν Τρ.* in B. Uffenb. XXXIV. p. 679. Cecidit etiam Haemus, Martis filius, a Palamede, teste eodem Philostr. p. 690. Quem autem Thessandrus interfecerit Telephi comitem ignorant veteres.

societatis ius) Diomedis scil. pater Tydeus duxerat Dei-

phylen, Adrasti filiam. Apollod. I. 8. 5. ubi cf. Heyn. Obss. p. 54. Thessandri autem pater Polynices una cum Tydeo et Adrasto contra Thebas profectus est. Heyn. ad Apollod. Obss. p. 245. sq.

III. *Teuthranius — uterinus*) Auge, Alei regis Arcadiae filia, ex Hercule peperit Telephum: quod quum pater rescivisset, puerum una cum matre arcae inclusos in mare abiecit. Delata arca est ad Teuthrantem, qui, puellae forma illectus, matrimonio eam sibi iunxit; Telephum puerum adoptavit et successorem constituit. Hecataeus ap. Pausan. VIII. 4; Euripid. apud Strab. XIII. p. 423; Apollod. III. 9. 1; Steph. Byz. v. *Τευθρανία*. Post has Teuthrantis et Augae nuptias Telephique in familiam spemque regni adoptionem Teuthras ex Auge genuit Teuthranium, ait Dictys: cuius quidem Teuthranii nemo alius meminit. Cf. n. cr. ad c. 35. Eius loco apud Philostr. Her. II. 16. p. 689. ab Aiace Telamonio occiduntur Helorus et Actaeus, Istri filii.

trunco vitis) Admodum celebratus hic *ἄμπελος* apud poetas. Pind. Isthm. VIII. 108. *Εἰς ἄμπελον*, quo Telephus implicitus ruit, Anonymi Epigr. in Brunck. Anal. T. III. p. 142. Post Cypriorum scriptorem poetae suo quisque more fabulam tractaverint, in his tragici. Telephi, in pugna contra Graecos virtute eminentis, pedes *ἀμπέλου κλήματι* implicuisse Dionysum, ut ne omnes Graecos trucidaret; sicque implicito et in terram ruenti vulnus impegisse Achillem, fuse expedit Tzetzes ad Lyc. 206. 211; itemque Eustathius ad Hom. Il. I. 59, qui autem Telephum introducit equitantem, equique pedes *ἀμπέλου ἕλικι* praepeditos scribit. Telephum mortem fratris ulturum Ulixemque persecutum ruisse, solus dicit Dictys. Philostratus Her. II. 18. p. 691. narrat, Protesilaum cum Telepho manus conseruisse, clypeum viventi detraxisse, in eumque inermem tum Achillem irruisse. Consentit autem Philostratus cum Dictye, scribens, Achillem femori hostis vulnus impegisse, occisumque fuisse Telephum, ni concurrentes Mysi magna suorum strage vulneratum e proelio recepissent. Vulnus femori inflictum memoratur etiam Tzetz. Anteh. 277. et Philostr. in Epigr. *εἰς εἰκόνα Τηλέφου τετρωμένου* ap. Brunck. Anal. T. II. p. 400.

IV. *interfecti multi mortales*) Ovid. Met. XII. 111. *Purpureus populari caede Caicus fluxit.* Philostrati Epigr., quod modo adduxi: *Τήλεφος αἱμάξας φρικτὸν Ἄρη Δαναῶν, Μυσὸν ὅτε πλήθοντα φόνῳ ἐκέρασσε Καΐκον.* Cf. Philostr. Her. p. 690 sq.

V. *cognito Telephum in his locis imperitare*) Vel ex hoc loco hocque cap. apparet, facere Dictyn cum Cypriorum scriptore aliisque, hunc secutis, qui Graecos Mysiae oram inscientia littorum appulisse tradiderunt. Iniuste enim verba *classes venti appulere* (cap. 1.) urget Fuchs Quaest. p. 98. interpretatus: ventis et tempestate ad Mysiae oram delati sunt Graeci. Nam cum Graeci ex Aulide navigarent, erant *ventorum flatus navigandi prosperi* (I. 23.), *atque aestiva maris facies;* et cum Dictys hunc statum non turbatum tempestatibus scripserit, tum formula *venti naves adpellunt* idem significat quod *naves adpellunt*: quomodo capi debet etiam lib. I. 5.

fiducia cognationis) Herculis enim ex Chalciope, Eurypyli filia, Thessalus: ex Auge, Alei filia, Telephus: ex Astyoche, Phylantis filia, Tlepolemus. Apollod. III. 7. 8. §. 11 et 12.

non alienos generis sui) Nam Tantalus, Pelopis parens, Iovis filius fuit, et ita frater Herculis, qui Telephum suscepit. Igitur Pelops et Telephus consobrini. Agamemnon vero et Menelaus Plisthenis filii, Plisthenes Atrei, Atreus Pelopis. Daceria.

Astyochen — Priami) scil. filiam. At Astyoche erat Laomedontis filia, Priami soror, et Telephi uxor, ex qua Eurypylus. Apollod. III. 12. 3 et fragm. p. 387. Heyn.; Quint. Smyrn. VI. 134; Serv. ad Virgil. Eclog. VI. 72; Eustath. ad Hom. Od. XI. 520. Laodicen, Priami filiam, Telepho tribuit uxorem Hygin. fab. 101. Eius uxorem Hieram vocat Philostr. Her. II. 18. p. 691.

VI. *iactatum magnis doloribus*) Philostr. Epigr. in Brunck. Anal. T. II. p. 400. *Νῦν ὀλοὸν μηρῷ χεύθων βάρος, οἷα λιπόπνους Τήκεται, ἐμψύχῳ σαρκὶ συνελκόμενος.*

apta dolori medicamina imponunt) *Medicamina* hic esse emplastra, dixi in Gloss. Uterque igitur Aesculapii filius

apud Dictyn quoque eandem medendi rationem exercent. Atqui secundum Arctinum, cuius ex Aethiopide versus quam memorabiles servatos legimus in Scholiis Homeri Il. XI. 732, Aesculapius Machaoni tribuerat artem medendi malis corporis externis, Podalirio autem morbis intestinis. Fragmentum recensuit et illustravit Welcker in Hecker's litterarischen Annalen der gesammten Heilkunde, Bd. 22. H. I; vel in singulari ex illis Annalibus excuso libello, qui inscribitur: Die ältesten Zeugnisse für innere Heilkunde bei den Griechen. Berlin 1822. p. 1 sqq. — De cura Telephi vulneris cf. c. 10.

Rerum, quae hoc et praecedente cap. narrantur, alium testem desidero. Etiam Philostratus, qui cetera copiose tractat, legationem resque in ea gestas reticet. Uterque, quibus non alium tam uberem de Telephi et Graecorum factis auctorem adnumerandum habeo, quique in amplis suis narrationibus et ipsi non consentiunt, videntur ante oculos habuisse et suo quisque more adumbrasse antiquiores in primis tragicorum fabulas, quales de Telephi fatis non paucae exstiterint.

VII. *mare — saevire*) Igitur Troiam navigaturis Graecis saevit mare; secundo autem vento Boeotiam revertuntur. At contra Cypriorum scriptor cecinit, Graecorum ex Mysia Graeciam renavigantium exorta tempestate naves disiectas esse.

ex his locis Troiam navigandi) Haec vero magna geographiae ignoratio. Mysia enim, in qua regnavit Telephus, proxima Troadi: nec navigio opus, ut ex ea illam attingerent, et si navigio uti vellent, ora tantum legenda. Mercer. Cf. Perizon. Diss. §. XXIII.

exercere discordias) Epistolam, quam Agamemnon Talthybio dederat Clytemnestrae ferendam, ut Iphigeniam ad nuptias cum Achille celebrandas Aulidem mitteret, Menelaus praeconis manibus vi eripuit, unde rixa inter Agamemnonem et Menelaum orta. Eurip. Iph. Aul. 303. Forte hanc similemve rixam Dictys pro lubitu tractavit.

IX. *Graeciam pervagatus*) Delectus militum, quem Palamedes per Graeciam egit, meminit Servius ad Aen. II. 81.

Argos — convenitur) Altera haec est Graecarum Argis habita concio. Cf. ad I. 12. 15.

initium noni) Vid. Fuchs Quaest. p. 75. Dictyis chronologiae rationem tangit Niebuhr. Röm. Gesch. Th. I. p. 258.

X. *oraculo monitus — Argos navigat*) Ἔπειτα Τήλεφον κατὰ μαντείαν παραγενόμενον εἰς Ἄργος ἰᾶται Ἀχιλλεὺς ὡς ἡγεμόνα γενησόμενον τοῦ ἐπ' Ἴλιον πλοῦ. Procl. ex Cypr. Apollinis responsum erat, ei neminem mederi posse, nisi eandem hastam, qua vulneratus erat, ut scribit Hygin. fab. 101. In proverbium abiit ὁ τρώσας ἰάσεται. cf. Obrecht. Machaonis et Podalirii cura, cuius etiam cap. 6. mentio est, huc translata a Dictye videtur ex fabula de Philoctetae vulnere.

Aulidam — veniunt) Procl. ex Cypr. Καὶ τὸ δεύτερον ἠθροισμένου τοῦ στόλου ἐν Αὐλίδι. Pausan. IX. 6. καὶ δεύτερα ἐπί τε Ἀλέξανδρον καὶ εἰς Ἴλιον ἀθροιζομένου στόλου. De duplici Graecorum contra Troiam expeditione fuse agit Eustath. ad Hom. Il. I. init. De rebus Aulide gestis dixi ad I. 18.

dux Telephus — factus) Duas fabulas, ait Fuchs Quaest. p. 102, Dictys commiscet: Scythas duxisse Graecos in Troiam; item Telephum ducem iis exstitisse. Si quid video, in hunc sensum loquitur Dictys: Delegerunt quidem Graeci viae duces Scythas mercatores, qui forte aderant, quia non habebant, qui hoc munus melius praestaret; sed cum Telephus Argos venisset, is ob beneficium, quod eum sanarunt, ultro se ducem Graecis obtulit.

ad Troiam pervenere) Ἔπειτα καταπλέουσιν εἰς Τένεδον. — ἔπειτα ἀποβαίνοντας αὐτοὺς εἰς Ἴλιον κ. τ. λ. Procl. ex Cypr.

XI. *Xanthi et Laodamiae*) Idem refert cap. 35. Eum Iovis (qui erat pater Xanthi. Hom. Il. XIV. 434) ex Laodamia filium vocat Hom. Il. VI. 194: Iovis ex Europa Apollod. III. 1. 1; Hygin. fab. 106. 155: Xanthi, Cretensium regis, ex Europa Augustin. Civ. D. XVIII. 2. Quemadmodum cap. 35. Pyraechmes, de flumine Axio Troiam profectus, Axii filius perhibetur, ita Sarpedon, qui de Xantho flumine Troiam venit (Hom. Il. II. 877.), Xanthi filius appellatus est. — *egredi incipientes invadit*) Sarpedon una cum Glauco ceteris-

que imperatoribus ac toto exercitu littora occuparant, Graecos descendere in terram prohibentes, narrat Auctor τῶν Τρ. in Bibl. Uffenb. XXVIII. p. 675. Ovid. Met. XII. 66. *prohibent aditu, littusque tuentur Troes.* Procl. ex Cypr. ἔπειτα ἀποβαίνοντας αὐτοὺς εἰς Ἴλιον εἴργουσιν οἱ Τρῶες.

prima omnium) Hom. Il. II. 702. Plura Morell. ad Dion. Chrys. p. 616. Vol. II. Reisk. Qui primus hostilem terram invaderet, ei mortem praedixerat Deus. v. Iacobs ad Tzetz. Anteh. 248. — *telo Aeneae*) Hom. Il. II. 701. τὸν δ' ἔκτανε Δάρδανος ἀνήρ. Dictys et Palaephatus ap. Eustath. ad Hom. loc. intellexerunt Aeneam; alii Euphorbum, Achaten alii, Aeneae amicum. Cypriorum scriptorem, qui Protesilaum ab Hectore occisum esse cecinit, secuti sunt posteriorum plurimi. A tribus simul, Hectore, Euphorbo et Achate, eum necatum scribit Auctor τῶν Τρ. in B. Uffenb. XXIX. p. 675.

XII. *Achilles et Aiax*) Ἔπειτα Ἀχιλλεὺς αὐτοὺς τρέπεται. Procl. ex Cypr. De cruenta pugna Ovid. Met. XII. 68. — *cuncti fugarentur*) In urbem fugerunt, eamque caute clauserunt. Malel. p. 124; Cedren. p. 103; Auct. τῶν Τρ. in B. Uffenb. XXX. p. 678.

subductas naves) Malel. p. 124. *Καὶ οὐ παρεχώρησαν Δαναοί· καὶ κατέβησαν ἐπὶ τὴν παράλιον γῆν τῆς Τροίης, καὶ ἔδησαν τὰ πλοῖα σχοινίοις.*

Protesilai sepulturam) Sepultus est in Chersoneso Thraciae, magnusque ei positus tumulus. Philostr. Her. II. 1. p. 672. ubi vid. Olear. n. 2. Cf. Antiphili Byzantii Epigr. in Brunck. Anal. T. II. p. 179; Iacobs ad Tzetz. Anteh. 247. Apud Dictyn in Asiae littore sepelitur, ut ex rerum ordine liquet.

Cycnus) Plures fuere huius nominis viri, de quibus Heyn. ad Apollod. Obss. p. 170. sq. Cycnus, cuius nomen in bello Troiano inclaruit, Neptuni erat filius. Procl. ex Cypr.; Ovid. Met. XII. 72; Pausan. X. 14; Schol. Hom. Il. I. 38. Neptuni ex Calyce filium vocat Hygin. 157, ex Scamandrodice Tzetz. ad Lyc. 232; Auct. τῶν Τρ. in B. Uffenb. XXXII. p. 678; Schol. Pindar. Ol. II. 147, ex Harpala idem Schol. — *haud procul a Troia regnum*) Insula

Tenedos scil., quae in conspectu Troiae. Daceria. Venisse Cycnum ex Tenedo dicunt Tzetz. Anteh. 257. et Auct. τῶν Τρ. in Bibl. Uff. l. l. Ex utroque tamen (cf. Bibl. Uffenb. XXXIII. p. 679.) palam est, proprium regnum regnique sedem et caput fuisse in terra continente prope Troiam. Colonas intelligunt Obrechtus et Vindingius ex Strab. XIII. p. 415 et Conon. Narrat. 28. Ego vero intelligo Neandrum ex Malel. p. 124. et Cedren. p. 103. qui, Graecum Dictyn secuti, Cycnum habitasse referunt ἐκ τοῦ πλησίον, urbemque eius nominant Νέαν Ἄνδρον, Νέανδρον: quam Troicae regionis urbem Strabo vocat Νεάνδριαν, Charax Νεάνδρειαν, Theopompus Νεάνδριον, ut tradit Steph. Byz. s. h. v.

clam atque insidiis) *Μέσῃ νυκτί*, ait Malelas, Graecos adoritur Cycnus; commissoque per noctem proelio Cycnus ab Achille occisus eiusque exercitus profligatus est. Cf. Cedren.; Tzetz. Anteh. 257; Auct. τῶν Τρ. in B. Uff. XXXII. p. 678. — *fugere coegit*) Ovid. Met. XII. 72. *iam leto — Cygnus mille viros dederat.*

ea humatio) Apud antiquos nulla in Cycni fatis Protesilai sepulturae mentio. Cadit in Cypriis ab Achille Cycnus, cum Graecos navibus egredi incipientes invadit. Cf. Fuchs Quaest. p. 105.

XIII. *decernitur, uti*) Malelas: *Καὶ λοιπὸν ἔδοξε τοῖς Δαναοῖς παραλαβεῖν τὰς πόλεις τὰς πλησίον τοῦ Ἰλίου καὶ τῆς Τροίης, ὡς συμμαχούσας Πριάμῳ.* Cf. Cedren. et Auct. τῶν Τρ. in B. Uff. l. l. Iam ex Aulide cum solverent Graeci, inierant consilium, primum vires Troianorum sociorum frangendi. Const. Manass. p. 22.

servata civitas) Immo expugnata Cycni urbs est a Diomede, atque regio vastata et depopulata. Malel. et Auct. τῶν Τρ. in B. Uff. XXXIII. p. 679.

Cobin et Corianum — Glaucen) Malelas p. 125. nominat *Κώβην*, *Κόκαρχον*, *Γλαύκην*. Tennen Cycni filium perhibet Strabo XIII. p. 415; Tennen et Hemitheam filiam Pausan. X. 14. et Tzetz. ad Lyc. 232; Tennen et Leucotheam Schol. Hom. Il. I. 38. Pluribus de Cycni liberis disserit Kanne ad Conon. Narrat. 28. p. 130. Fatum Cycni liberorum longe aliud memoriae prodit Tzetzes: scil. Tennen cum

Cycno in pugna occisum; Hemitheam, Achillis eam persequentis concubitum fugientem, in terram esse absorptam. Laodicen, Cycni filiam, obvenisse Aiaci memorat Schol. Hom. Il. I. 138. Captivos filios abductos esse scribit Malelas, interfectos in proelio Auct. *τῶν Τρ.* in B. Uff. l. l.

Cillam) In Adramyttena Chrysa et Cilla, Thebae vicinae. Strab. XIII. p. 423. Easdem urbes coniungit Plin. V. 30. Cillam *πολίχνιον Τρῳάδος* vocat Schol. Hom. Il. I. 38; quam expugnavit Achilles. Ovid. Met. XII. 173; Senec. Tro. 225; Auct. *τῶν Τρ.* in B. Uff. XXXV. p. 679. ubi pro *Κύλλα* leg. *Κίλλα.*

fideles atque amicissimi cet.) v. Perizon. Diss. §. XXXIX.

XIV. *oraculum Pythii*) Apollinis scilicet. Et oraculum illud fuisse suspicor, quo Graecis edicebatur, eos Ilium non ante eversuros, quam supra Chrysae aram sacrificassent. Quod ex ipsius Philoctetae verbis facile colliges apud Dionem Chrysostomum, qui ex Euripidis Philoctetae fabula, quae hodie non exstat, Philoctetam cum Ulysse absente colloquentem inducit. *Ὥσπερ ἀμέλει κἀμὲ ἐξέθηκας, ὑπὲρ τῆς κοινῆς σωτηρίας τε καὶ νίκης περιπεσόντα τῇδε τῇ συμφορᾷ, δεικνύντα τὸν Χρύσης βωμὸν, οὗ θυσάντες κρατήσειν ἔμελλον τῶν πολεμίων, εἰ δὲ μὴ, μάτην ἐγένετο ἡ στράτεια.* DACERIA. Locus Dionis est p. 307. Vol. II. Reisk. Ex Dictye sacrificii, quod alii obiter tangunt, rationem latius cognoscimus. Sed discrepat de deo, cui, et de loco, ubi sacrificium exhibitum, ideoque Philoctetes morsus est. Haud nominat locum, verum vel rerum series ostendit, gestam rem esse intra ipsius Troadis fines; et quidem Chrysae (ubi habitabat Chryses, Hom. Il. I. 431.), quae urbs, in Adramyttena prope mare sita, Apollinis Sminthii templo erat celebris (Strab. XIII. p. 423; Schol. Hom. Il. I. 38.); cum tamen plurimi factam eam tradant Chrysae, promontorio Lemni, ubi ara Minervae, Chrysae de loco nominatae: quam aram Minervae olim dedicaverat Iason, quum Colchos peteret. Reprehendit hanc Dictyis diversitatem Salmasius ad Aram Dosiadae p. 696. Thes. Antiq. Graec. Polen. supplem. T. II. Cf. Olear. ad Philostr. Icon. II. p. 889. n. 2. Accepto autem oraculo, de quo monuimus, Achivi, Troiam navigantes insulisque adhaeren-

tes, indagabant Minervae aram, indagantibus ostendit Philoctetes; cuius prope eam alterum pedem hydra veneno infecit, ut narrat Philostr. l. l. Philocteten Chrysae, Lemni promontorio, morsum fuisse, antiquissimis poetis debetur narratio. Nomen Chrysa, quod variis illud locis erat, effecit, ut alii ad Chrysam insulam prope Lemnon rem transferrent, quorum fabulam retulit Pausan. VIII. 29; alii ad Troadis urbem, quos secutus est Dictys, nisi ipse hoc finxerit; alii denique ad alia, quae placuerint, loca. In insula Lemno Philocteten inter epulas a serpente fuisse percussum, significat Homerus. Coniungas cum Hom. Il. II. 731. alterum locum Il. VIII. 230. Apud Cypriorum scriptorem inter epulas mordetur in insula Tenedo; quem secutus est Aristot. Rhet. II. 24. cuius verba descripsi ad cap. 36. — Praeterea Cypriorum scriptor fabulam celebravit ante Protesilai mortem.

nonnullis ducum) Nempe Ulixi. Causas dissidii inter Palamedem et Ulixem pluribus exponit Philostr. Her. X. p. 708. sqq. Cf. Iacobs ad Tzetz. Anteh. inde a v. 302.

haud procul ab ara templi Apollinis astans) Schol. Hom. Il. II. 721. *καθαίρων τὸν βωμὸν τῆς Χρυσῆς καλουμένης Ἀθηνᾶς.* Tzetz. ad Lyc. 911. *καθαίρων ἐν Χρύσῃ τὸν κεκωσμένον βωμὸν τῆς Ἀθηνᾶς.*

uti curaretur, Lemnum — mittitur) Sophocli, apud quem (Phil. 5. sq. cf. 257.) Ulixes se Atridarum iussu Philocteten in Lemno exposuisse ait, facem praetulerit Cypriorum scriptor, qui Philocteten, in insula Tenedo inter epulas a serpente percussum, ob foetorem vulneris in Lemno expositum tradidit. De qua immanitate Graecorum nihil videtur cogitasse Homerus (Il. II. 731), sed morsum eum in Lemno esse ibique relictum iudicasse, quod vulneris vehementia retineretur. Cf. Hermann. ad Sophocl. Phil. init. Omnino post Homerum et cyclicos fabulam varie tractatam fuisse, ex posteriorum scriptorum et poetarum scimus indiciis eorumque scholiastis. Vulgatam etiam fuisse famam, Philocteten Lemnum missum (sive etiam expositum ibi sive relictum) a Graecis, quia sperarent curatum iri a sacerdotibus Vulcani, qui sanare viperarum morsus scivissent, apparet ex Schol. Hom. Loco sacerdotum artis ab aliis substituta est salutaris sanan-

di vis terrae Lemniae, in quam dicitur de coelo decidisse Vulcanus; quae terra pelleret *τὰς μανικὰς νοσούς*, sedaret flumen erumpentis sanguinis, mederetur morsui hydrae, ut prodit Philostr. Her. V. p. 703. De hac vi terrae Lemniae consulas Bochart. Geograph. S. lib. I. 12.

XV. *anteiri se a meliore*) Tzetz. Anteh. 301. *Ὀδυσσεὺς — στυγέεσκε τὸν ἄνδρα, Οὕνεκέν οἱ ἀρετῇ ἐριδαίνων οὐδὲν ἰσοῦτο.* Quibus in rebus Ulixes inferior iudicatus fuerit Palamede, eas pluribus exponunt Const. Manass. p. 22. sq. et Philostr. Her. X. p. 708.

thesaurum repertum in puteo) Rationem mortis Palamedis ex Cypriis servavit Pausan. X. 31. *Παλαμήδην δὲ ἀποπνιγῆναι προελθόντα ἐπὶ ἰχθύων θήραν, Διομήδην δὲ τὸν ἀποκτείναντα εἶναι καὶ Ὀδυσσέα.* Posteriorum nemo, quod sciam, hanc narrationem secutus est, apud quos pervulgata fama, dolo proditionis convictum lapidibus Palamedem necatum esse. Accedit Cypriis in eo Dictys, quod in aqua Palemedem interiisse dicit. Appropinquat etiam Hygini fab. 105. narrationi, qui de auri pondere clam in Palamedis tentorio occultato tradit. Atque ex his duabus narrationibus Dictyn suam effinxisse probabile est. Apud Daret. c. 28. Ios. Iscan. VI. 136. et Henric. Brunsvig. c. 61. fol. 110. Palamedes Paridis telo occumbit.

acceptusque in exercitu) Tzetz. Anteh. 343; Const. Manass. l. l.

haud expertem) Cf. c. 29. Conscium eum fuisse indicant narrationes Philostrati Her. X. p. 712; Servii ad Aen. II. 83. aliorumque. — *tradendum ei imperium*) Ceteri omnes dicunt, id egisse Palamedem, ut Achilli summa rerum traderetur.

veluti publicum funus) Edixerat Agamemnon, capitis supplicium subiturum, qui sepulturae Palamedem mandare auderet. Attamen vel invito Agamemnone furens ob iniustam necem eum sepelivit Aiax. Philostr. Her. X. p. 714; Tzetz. Anteh. 386; Auct. *τῶν Τρ.* in Bibl. Uffenb. XXXVIII. p. 683. sq. Reliquias in cinerem redactas Nauplio patri remissas scribit Cedren. p. 103.: in Lepetymno Methymnae monte eum sepultum esse, Tzetz. ad Lycophr. 1098; basique sta-

tuae in honorem eius positae inscriptum *ΘΕΙΩΙ ΠΑΛΑΜΗΔΕΙ*, Philostr. Vit. Apollon. IV. p. 150. Cf. Iacobs ad Tzetz. Anteh. 406.

XVI. *Lesbum*) Paene ad verbum haec repetunt Malel. p. 125. et Cedren p. 104.; uterque autem Phorbantis filiam non Diomedeam, sed Diomeden nuncupant, cum Hom. Il. IX. 665. Meminit huius expeditionis etiam Parthen. Erot. c. 21 et 26. ubi autem multo dissimilia narrantur.

XVII. *Cilicas*) Proximum post Leleges littus Cilici Homerici tenebant, quod nunc habitant Adramytteni, Atarnitae, Pittanaei, usque ad Caici ostia. Divisi Cilices fuere in duas provincias, quarum una erat sub Eetionis, altera sub Mynetis imperio. Urbs Mynetis fuit Lyrnessus, Eetionis Theba. Strab. XIII. p. 420.

Eetione, qui his locis imperitabat) Non de Lyrnesso haec intelligenda sunt, sed in universum de Cilicibus, quibus utique imperitabat Eetion. cet. Obrecht. Ego vero de Lyrnesso accipio: nam ex Graeco Dictye Malelas p. 124. ita: *Καὶ παραλαμβάνει τὴν Λυρνησὸν πόλιν, καὶ φονεύει κρατοῦντα αὐτῆς τὸν Ἠετίωνα βασιλέα κ. τ. λ.* et Cedrenus p. 104. *Αὖθίς τε πρὸς τὸν Λυρνησὸν ὁρμήσας, καὶ τὴν πόλιν ἑλὼν, καὶ Ἠετίωνα τὸν αὐτῆς πολιοῦχον ἀνελὼν, καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ Ἀστυνόμην, τὴν καὶ Χρυσεΐδα, θυγατέρα Χρύσου ἱερέως Ἀπόλλωνος, ἑλὼν, καὶ πάντα τὸν πλοῦτον ἐνεγκὼν, εἰς τὸ μέσον τέθεικε τοῦ στρατοῦ.* Notum contra ex Hom. Il. I. 336. Eetionem regem fuisse Thebae, eoque interfecto captaque urbe abductam ab Achille Chryseida. Auctor *τῶν Τρ.* in Bibl. Uffenb. XXXVI. p. 679. Eetionis urbem Chrysam perhibet, et ex ea ab Achille expugnata Astynomen abductam tradit.

Pedasum) Quae Dictys Pedasi gesta scribit, ad Legopolin urbem referunt Malelas p. 126. et Cedrenus p. 104, in eo etiam a Dictye diversi, quod non Brisen, sed Menetem (cui Myneti apud Homerum nomen) huius urbis regem vocant, eumque non laqueo, sed proelio occisum narrant. Etiam haec aliter canit Homerus. Expugnata quidem Pedasus ab Achille est (Il. XVI. 152. XXI. 86; Strab. XIII. p. 421), sed Hippodamiam, quam Homerus a patre Brise, qui sacerdos (non

rex, ut Dictys ait) fuit, Briseida vocat, (non ex Pedaso sed) ex Lyrnesso abduxit Achilles. Il. II. 689; Eustath. ad Il. III. 58. Atque Pedaso non Brises, ut Dictys vult, sed Altes imperitabat, cuius filia Laothea. Il. XXI. 86. Miscuere rem Dictys eiusque sectatores. — Lyrnessum, Pedasum et multas finitimas urbes Achillem vastasse, cecinit etiam Cypriorum auctor.

XVIII. *Polymestor*) Graeci Dictyis vestigia in Polydori fatis legerunt Malel. p. 128 et Cedrenus. Antiqui longe aliter fabulam narrant; sed inter hos quoque non convenit. Apud Hom. Il. XX. 407. Polydorus inter propugnatores ab Achille occiditur. Euripidis (Hecub. init.), quae ab Homerica longe diversa est, narrationem sequuntur Ovid. Met. XIII. 430 et Virgil. Aen. III. 49. Ab his iterum abit Hygin. 109. Sed Dictyn suam fabulam non ipsum finxisse, verum ex antiquiore nescio quo poeta adumbrasse, veri simile est ex Serv. ad Aen. III. 6, qui haud absimilia de Polydoro narrat.

quem rex recens natum cet.) Eurip. Hec. 13; Virgil. Aen. III. 50; Ovid. Met. XIII. 431. cf. Hom. Il. XX. 409.

Teuthrantem dominum locorum) Teuthras et Telephus regnarunt in ea regione, quae est circa Teuthraniam et Caicum. Strab. XIII. p. 423. *Teleutantem* vocant Sophocl. Ai. 324 et Schol. Hom. Il. I. 138, plurimi autem *Teuthrantem*. Eum ab Aiace pugna interfectum esse cum Dictye tradunt Malel. p. 129 et Cedren. p. 104. Ab Achille pugna vulneratum, ex eoque vulnere domi mortuum esse, postquam Telepho regnum tradidit, Dares c. 16 et Henric. c. 91. fol. 170. Secundum Sophocl. Ai. 510. alio fato defunctus est: ad quem loc. cf. Hermann. et Welcker Rhein. Mus. T. III. p. 85. — *expugnata atque incensa civitate*) Tecmessa apud Sophocl. Ai. 510. alloquitur Aiacem: *σὺ γάρ μοι πατρίδ' ἤστωσας δορί.*

XIX. *in decernendo optimis auctoribus*) Sed arbiter constitutus Idomeneus optimam praedae partem sibi ipsi vindicavit, unde proverbio originem dedit, ut *κρητίζειν* pro *mentiri* diceretur. Suid. v. *κρητ.* Cf. Meurs. Cret. IV. 4. p. 143.

eiusdem aetatis atque alimonii) Accuratius doceri debuit, quomodo Hippodamia et Diomedea simul educari potuerint, cum illa sit Lyrnesso, haec Lesbo abducta.

XX. *profecti ad Priamum*) Accepimus unam legationem lib. I. 4. Altera, quae sequitur, cum Graecos levitatis facilitatisque arguat, quia bellum se nisi Troia deleta non posituros iam iurarunt, tum a nemine de duplici legatione proditum est. In utramque Dictys distribuit, quae ceteri in una eademque complectuntur. Antenoris hospitium et gratiam, cuius in utraque mentio est, Antimachi dolos, quorum in posteriore meminit (in priore rem eo mutavit, ut doli, quos alii Antimacho tribuunt, in Priamidas conferantur), in una legatione descripta legimus apud Tzetz. Anteh. 154. sqq. qui non meminit alterius, quae eversis iam multis urbibus agrisque vastatis missa fuerit. Unius modo mentio est apud Hom. Il. III. 205. et Cypriorum scriptorem. Novae legationis componendae occasionem arripuisse Dictys videtur ex Hom. Il. VII. 344. sqq. cuius loci versus 362 et seqq. respexit cap. 25: ad quam exornandam debuit uberem praebere materiem Polydori captivitas, utpote aptissima, qua Priamus, uti filium Graecorum crudelitati eriperet, ad reddendam Helenam pacemque cum hostibus componendam impelleretur. Malelas et Cedrenus rem non tractant ut legationem. cf. ad c. 24.

XXIII. *Panthus*) Idem loquitur cap. 25. et V. 6. Etiam apud Virgil. Aen. II. 318. 430. Daret. c. 6. 8. et Iscan. III. 99. inter Priami socios verba facit. Dares eum Euphorbi, Virgilius Othryis filium vocat, arcis Phoebi sacerdotem. De eo Chrystodorus in Brunck. Anal. Tom. II. p. 465. ita: *Πάνθοος ἦν Τρώων βουληφόρος, ἀλλ' ἔτι δεινὴν Οὔπω μῆτιν ἔπαυσε κατ' Ἀργείων στρατιάων.*

XXIV. *tum demum dimitti Menelaum*) Malelas et Cedrenus, qui de legatione silent, ita narrant: Graeci Polydorum e regione muri constituerunt, atque significarunt Priamo, si Helenam redderet, se etiam Polydorum reddituros; sin minus, interfecturos. Id abnuentibus barbaris, Polydorus occisus est, Troianis e muro conspicientibus. Servius ad Aen. III. 6. narrat: Graecos venientes per Thraciam cepisse Polydorum, pro cuius pretio accepissent civitatem, cui ex facto nomen esset impositum Antandri. Nihilominus post acceptum pretium Polydorum a Graecis lapidibus occisum esse.

XXV. *cum virtute, tum consilio bonus*) At virtute me-

lior erat. cf. IV. 1. Philostr. Heroic. XIII. p. 723. Ἐκαλοῦν δὲ οἱ Ἀχαιοὶ τὸν μὲν Ἕκτορα χεῖρα τῶν Τρώων, τὸν δὲ Αἰνείαν νοῦν. De Polydamante et Hectore Hom. Il. XVIII. 252. ἀλλ' ὁ μὲν ἂρ μύθοισιν, ὁ δ' ἔγχεϊ πολλὸν ἐνίκα.

prodendam minime) Apud Homerum semper reddendam Helenam censet. Cf. Fuchs Quaest. p. 67.

erepta — cuncta restituenda) Ex Hom. Il. VII. 362. ubi Alexander: γυναῖκα μὲν οὐκ ἀποδώσω. Κτήματα δ', ὅσσ' ἀγόμην ἐξ Ἄργεος ἡμέτερον δῶ, Πάντ' ἐθέλω δόμεναι, καὶ ἔτ' οἴκοθεν ἀλλ' ἐπιθεῖναι. cf. v. 389.

XXVI. *contradicente*) Verum Aeneam reddendae Helenae semper fuisse Troianis auctorem, ait Livius lib. I. 1.

affines) Aeneas Alexandro affinis fuit. Trois enim filii Ilus et Assaracus, Ili Laomedon, Laomedontis Priamus, Priami Alexander: Assaraci autem Capys, Capyis Anchises, Anchisae Aeneas. Hom. Il. XX. 230; Apollod. III. 12. 2.

An solis qui e Graecia sunt) Imitatum ex illis Homeri notissimis: Ἦ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων Ἀτρεΐδαι; E quis et Virgilius (Aen. IX. 138.): *nec solos tangit Atridas Iste dolor.* Mercer. Quae autem ab Aenea Graecis obiiciuntur, manarunt ea ex antiqua Persarum narratione ap. Herodot. I. 3. τοὺς δέ, προϊσχομένων ταῦτα, προφέρειν σφι Μηδείης τὴν ἁρπαγήν. ὡς οὐ δόντες αὐτοὶ δίκας, οὐδὲ ἐκδόντες ἀπαιτεόντων, βουλοίατό σφι παρ' ἄλλων δίκας γίνεσθαι.

Cretae Europam — a Sidone) *Cretenses* fuisse, qui ex Sidoniorum urbe rapuere Europam, opinio est etiam Herodoti lib. I. 2. Cum antiquissimi poetae eum ab Iove tauri forma Cretam abductam esse cecinerint, posteriores verum finxerunt taurum ab Iove missum: is denique in regem adeo Cretensium nomine Tauri transiit, quem post navalem victoriam Tyro capta Europam rapuisse perhibent. Vid. Welcker Kret. Kolon. in Theb. p. 5.

Ganymedem ex hisce finibus) Falsum est, *Cretenses* abduxisse Ganymedem. Verum hoc sciens peccat Dictys ex persona Troianorum, scilicet ut causam suam approbarent. Dacer. De raptu Ganymedis pluribus disserit Fuchs Quaest. p. 28 sq. Vir doctus Dictyis locum iis adnumerat, in quibus Ga-

nymedes a Minoe raptus esse fertur, Dictyn *Cretae regis* nomen pro *Minoe* exhibere affirmans. Aperte fallitur. Ancipitem produxit vocis *Cretae* interpretationem, hic regem *Cretam* extorquens, et p. 20. ubi de raptu Europae loquitur, *Cretenses* intelligens. Haec altera explicatio unice vera. Cf. Herodot. l. l. et Gloss.

a Colchis tn Iolcorum) Narrat fabulam Apollod. I. 9. 23. alii. Cf. not. cr.

ex Sidon. — Argos meavit) Immo Argis a Phoenicibus abducta est Aegyptum. Herodot. I. 1; Apollod. II. 1. 3; Ovid. Met. I. 584—750; Schol. ad Sophocl. Electr. 5 et ad Lyc. 1291. Cf. Fischer ad Palaephat. p. 173.

XXVII. *lapidibus ictus*) At Cedrenus: *βλεπόντων ἐκ τοῦ τείχους πάντων, τὸν Πολύδωρον ἀνεῖλον ξίφει.* Gladio eum interiisse etiam Malelam p. 129. scripsisse arbitror: nam lacuna, quae apud eum in ultimis verbis est, cum cetera ad verbum habeat Cedrenus, ex hoc debet expleri.

Scepsin, Larissam) *Palaescepsin* vocat Plin. V. 30; ut *πάλαι Σκῆψιν* Strab. XIII. p. 417. De *Larissa* v. Strab. p. 415. Plin. l. l. cf. Hom. Il. II. 841.

XXVIII. *praeferens dei vultus*) At Hom. Il. I. 14. *Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος Χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ.* — *auri atque argenti donis*) Hom. 13. *Λυσόμενός τε θυγάτρα, φέρων τ' ἀπερείσι' ἄποινα.* — *deprecatur*) Homerica longe alia oratio. — *immolationem*) Supra cap. 14.

neque ob id accipiendum praemium) Contra Hom. 22. *Ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ἐπευφήμησαν Ἀχαιοί, Αἰδεῖσθαί θ' ἱερῆα, καὶ ἀγλαὰ δέχθαι ἄποινα.*

XXIX. *exitium comminatus*) Hom. 24. *κακῶς ἀφίει.* *ac mox — deseruere*) De his nihil Homerus.

XXX. *domum discessit*) Ad littus maris, ait Hom. 34; ubi Apollinem precatur, ut vindictam de Graecis sumat.

alione casu, an — ira Apollinis) Lib. I. 19. *irane coelesti, an ob mutationem aeris corporibus pertentatis, lues invadit.* ubi quae monui, hic quoque locum habent. Fuisse qui pestem ad aestum solis referrent, constat ex Schol. Hom. Il. I. 50. Etiam quod pestis evanuerit, potius casu quodam, quam ob paccatam Apollinis iram evenisse significat Dictys c·

33. verbis: *tanquam sperato divinitus levamine.* Iratum Apollinem ob sacerdotis sui contumelias pestem misisse, canit Hom Il. I. 44.

principio — a pecoribus) Ex Hom. 50. — *regum omnino nullos*) In noto versu Homeri: *Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν Ἡρώων,* vox *ἡρώων* latam habet notionem; significantur Graecorum non qui ob divitias opesque excelluerant, sed qui corporis viribus insignes fortiter pro Graecorum salute pugnaverant, ideoque eodem iure *ἥρεως* possunt nominari, quo principes et reges. Regum neminem peste occubuisse eventus docet, quem arripuit Dictys.

in unum coeunt) Hom. v. 54. — *flagitare Calchanta*) Achilles hoc facit Hom. v. 62. 74. — *regis contraheret offensam*) Hom. v. 78. sq.

Hoc modo Calchas) Calchas, causam interrogatus, eam pronuntiaturus erat, si iureiurando interposito promitteret Achilles, se et verbo et manu ipsum contra Agamemnonis iram adiuturum. Fide ab Achille data, causam mali fatur. Hom. 76. sqq.

XXXI. *in armis esse iubet*) Quae hoc cap. de Agamemnone narrantur, finxisse sibi Dictys videtur ex acerrima inter Achillem et Agamemnonem contentione, quam describit Hom. v. 121 sqq.

XXXII. *arma capiunt*) Hanc irruptionem ex Dictye petiit Tzetz. Hom. 8. Forte ansam Dictyi ad eam fingendam praebuere versus Hom. 255. sqq. — *Troianis Hector, Sarpedon auxil.*) Ex Hom. Il. XII. 290. hoc expressum esse, ait Fuchs Quaest. p. 115.

XXXIII. *Graeci statuunt*) De hoc nihil Homerus, neque alii. Vid. Fuchs Quaest. p. 115. — *sibi max. cordi esse*) Cf. Hom. Il. I. 117. — *in locum eius*) Hom. 118. 182.

connivente Achille) Immo res indigna et atrox videbatur Achilli, qui vehementer contradixit, et, cum Agamemnon Astynomen vi abstulisset, iratus belli societate abstinuit; ut notum ex Homero. Fictionis origo latere videtur in Hom. 298. 337. ubi obsequentem se ostendit Achilles; sed non ultro, verum coactus (190 sqq.) a Minerva, quae, cum stricto gladio Achilles vim Agamemnoni minitaretur, e coelo de-

scendens libratum gladium cohibuit obsequentiamque imperavit; scilicet τρὶς τόσσα ἀγλαὰ δῶρα ei ex Agamemnonis superbia fore: cuius numini obtemperavit Achilles.

lictoribus) Talthybio et Eurybati. Hom. 320. — *abstraheretur*) Atqui vi rapere eam qui oportuit, cum Achilles connixisset? — *Diomedem atque Ulixem*) Ulixem modo nominat Hom. 311.

sacrificio) quod describit Hom. 314. — Transmittitur Astynome in fanum Apollinis. Sed quomodo domum pervenit? Apud patrem eam invenimus cap. 47. Scilicet contraxit Septimius Graecum Dictyn. Omissa videntur, quae canit Hom. 430 sqq.

Philoctetae) Solus Dictys huius rei testis.

XXXIV. *abstinendum publico consilio*) Hom. 490. Singularis est narratio Auctoris τῶν Τρ. in Bibl. Uffenb. XXXVI. p. 679. Scilicet cum iureiurando se Graeci obstrinxissent, nihil se ex praeda in hostilibus facta regionibus clam intercepturos, sed in commune omnia redacturos, Achilles autem Astynomen captam sibi vindicasset et abscondidisset, tum vero omnes Graecos vehementer indignatos tumultu facto belli decus ei ademisse, atque ne amplius in pugnae societatem veniret decrevisse. — *odio maxime Agamemnonis*) Atqui cum Achilles concessiset, cur non exercitui potius, qui Hippodamiam abduci passus erat, irascebatur, quam Agamemnoni?

XXXV. *domuitionem occipiebant*) Lib. III. 1. ait, universas prope Asiae civitates a Priamo descivisse. Ibidem c. 3. socii Troianorum Graecis auxilium bellique societatem offerunt. Historicae hae sunt fictiones.

Pandarus — ex Lycia) Hom. Il. II. 824. V. 173. 246. Significatur Lycia sub Ida, proxima Troadi. Sarpedon, qui item Lyciae rector nominatur, erat ex remota Lycia, proxima Cariae. v. Mercer. — *Pylaemenes*) Hom. Il. II. 851. V. 576. — *Glaucus Hipp.*) Il. II. 876. VI. 206. — *asciverat*) Hoc est contra Hom. Il. VI. 207. — *Phorcys et Ascan.*) Il. II. 862. — *Pyraechmes Axii*) Ducit Pyraechmes Paeones suos ἀπ' Ἀξιοῦ εὐρυρόεντος Hom. Il. II. 849. XVI. 288. Similiter Sarpedon vocatur Xanthi filius cap. 11. — *Asius Hyrt.*) Il. II. 835. — *alius Asius*) In catalogo Homeri

haud nominatur; sermo autem de eo Il. XVI. 717. — *multi mortales — dispari sono vocis*) Ex Il. II. 803.

XXXVI. *magistro ac praeceptore — Mnestheo*) Philostrato Heroic. II. p. 689. Mnestheus est *τακτικώτατος τῶν βασιλέων*; Tzetzae in Schol. ad Posthom. 87. *πάντων ἀνθρώπων ἱππικώτατος*; in Epigr. apud Brunck. Anal. T. I. p. 178. *ταξίλοχος λαῶν*; ibid. T. III. p. 181. *Δαναῶν κοσμητὴρ μάχης καὶ πολέμου*. Fluxit haec laus ex Hom. Il. II. 553. quem respexit etiam Plutarch. Thes. c. 35.

per gentes ac regiones singulas) Non Mnestheo magistro hoc fit apud Homerum, sed Agamemnoni huius aciei instruendae rationis auctor est Nestor, qui Il. II. 362. sic alloquitur Agamemnonem: *Κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, κατὰ φρήτρας, Ἀγάμεμνον, Ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγῃ, φῦλα δὲ φύλοις.* De Nestore Philostr. Her. III. p. 696. *τακτικήν τε, ὁπόση ὁπλιτῶν τε καὶ ἵππων, ἄριστα δὴ ἀνθρώπων γιγνώσκων.* Inferior tamen in hac arte erat Mnestheo, Hom. Il. II. 555. cf. Obrecht.

maxime indignatus, quod cet.) Igitur haec princeps fuit Achillis irae causa, abstracta autem Hippodamia socia? Dictys videlicet haud satis probam ex narratis Achilli fuisse societatis belli deserendae causam ipse sentiens, ut iustam iram nobis persuadeat, cumulat causas; ideoque exortum olim in insula Tenedo ob coenam inter Agamemnonem et Achillem dissidium huc trahit: cuius dissidii ex Cypriis in Procli excerptis mentio fit hoc nexu: *Ἔπειτα καταπλέουσιν εἰς Τένεδον. καὶ εὐωχουμένων αὐτῶν Φιλοκτήτης ὑφ' ὕδρου πληγεὶς διὰ τὴν δυσοσμίαν ἐν Λήμνῳ κατελείφθη. καὶ Ἀχιλλεὺς ὕστερον κληθεὶς διαφέρεται πρὸς Ἀγαμέμνονα.* Magis ad Dictyis narrationis similitudinem istius meminit Aristoteles Rhet. II. 24. ita: *διὰ γὰρ τὸ μὴ κληθῆναι (ἐπὶ δεῖπνον) ὁ Ἀχιλλεὺς ἐμήνισε τοῖς Ἀχαιοῖς ἐν Τενέδῳ.* Intellexisse noster videtur, vincula sibi obstruxisse; e quibus ut se expediret, aliam novitatem introduxit. Audiemus enim c. 52, Achillem, qui apud Homerum post caedem demum Patrocli iram ponit, et amici mortem ulturus in proelium descendit, iam ante Patrocli necem Graecorum precibus flexum ad belli societatem rediisse. Quod quidem fingere Dictys de-

buit, quia iustam irae causam ipse desideraverit. — Achillis iram et ab exercitu secessionem a Palamedis caede repetunt Philostr. Her. II. p. 695. XIX. p. 734. et Tzetz. Hom. init. et 228. ubi cf. Iacobs.; ab amore Achillis erga Polyxenam, Dares et Henricus. Vid. ad III. 3.

receptui canitur) Apud Homerum, ubi exercitus utrinque instructi in eo sunt, ut manus conserant, Paris fortissimum quemque Graecorum ad pugnam provocat; sumitque inde exordium singulare certamen inter Menelaum et Paridem. Il. III. 15.

XXXVII. *clam invadere tentat*) Hunc Achillis clandestinum conatum, abs quo Dolonis fata pendent, unde Dictys petierit, nescio. Dolonis exploratio alio tempore ab Homero celebratur, eique longe diversa subiicitur causa. Praeterea die illa fit apud nostrum, apud Homerum et Euripidem nocte; atque cum ea arte coniungitur Rhesi caedes, quae eadem nocte patratur.

custodiae agendae) Cum Graeci rem male gessissent, Nestor habito consilio interrogat, quis *ad res Troianas explorandas* hostium castris appropinquare ausit. Hom. Il. X. 205. — *mittunt duos Aiaces*) Ultro suscipiunt has partes Diomedes et a Diomede evocatus Ulixes. Hom. 220. 242. Quos comitata adiutrix Minerva. ibid. 274.

multis praemiis promissisque) quae singillatim exponit Hom. 303. Cf. Eurip. Rhes. 161. — *exploratum res Graecorum*) Nempe an fugam pararent. Hom. 311; Eurip. Rhes. 150. 155. — *compreh. refert cuncta atque occiditur*). Fugam parat Dolon; sed intercipitur et de vita precatur: coactus necessitate omnem situm castrorum et adventum Rhesi indicat: quo facto a Diomede ut proditor occiditur. Hom. 370.

XXXVIII. *productio*) ea est, quam canit Hom. Il. III. init. Sed apud Dictyn secunda est, apud Homerum prima.

composite — ruentibus) Eundem et Graecorum et Troianorum in concursu morem habes c. 35 et IV. 5. ubi malo Troianorum ordini etiam clamor ingens ac dissonus adiungitur. Sumsit haec Dictys ex Hom. Il. III. init. et IV. 427. Graecis sui moris auctor erat Aiax Telamonius. Etenim cum Mnestheus Atheniensis ordinandi exercitus rationem doceret,

neque clamoris tollendi morem vituperaret, Aiax id aegre ferens minis clamorem prohibuit, *γυναικεῖόν τε καὶ ἄτακτον* esse dicens, et animi malum interpretem. Scit haec Philostratus Her. II. 689.

interfecti — multi mortales) Apud Homerum ne confligunt quidem acies; ideoque nemo neque interficitur, neque proelio excedere cogitur: statim enim res procedit ad singulare certamen inter Alexandrum et Menelaum.

XXXIX. *conspicatus Alex.*) Hom. Il. III. 21. — *fugam capit*) Hom. 30. — *comprehendere fratrem*) Solus Hector hoc facit Hom. 38. — *sol. certamine lacesseret*) Fortissimum quemque Graecorum ad pugnam provocaverat. Hom. 19. — *reducto ad bellandum Alexandro*) Homerus ita: Reducto Hectoris increpatione ex fuga Alexandro, foedus inter Graecos Troianosque pactum, ut, qui victor e singulari certamine redisset, is Helenam cum abreptis opibus obtineret. Sancito foedere utraque acies positis armis utrinque considet. Capiunt arma Paris et Menelaus et congrediuntur. — *confidens*) Hom. 27.

XL. *praemittit hastam — decussa est*) Hom. 346. — *ictum declin. hoste, telum humi figitur*) Immo Menelai iaculum scutum hostis loricamque et vestem penetravit, et ni retrorsum declinasset Paris, mortem non effugisset. Hom. 357.

novis iaculis redarmatae) Etiam haec diverse ab Homero canuntur. Menelaus ruentem hostem stricto gladio adoritur, caedem parans: at gladium galeae hostis incussum frangitur manuque excidit. Etiam lora, galeae et collo iniecta, quibus ad Graecos raptaretur Paris, Veneris ope rumpuntur, et galeam tantum raptatam ad suos transiicit Menelaus. Iam victor in eo erat, ut hostem transfigeret, cum Venus nubilo tectum surripit incolumemque Alexandrum in Helenae conclave abducit.

intercessum) Veram scil. historiam narraturus, non Homeri fictionem repetiturus, Veneris loco ponit Pandari et Troianorum intercessionem.

Pandari sagitta vulneratus) Servato Alexandro Minerva, ut utriusque exercitus pugnam excitaret, Pandaro auctor fuit, ut Menelaum inquireret teloque vulneraret. Hom. Il.

IV. 93. — *globus barbarorum*) Apud Homerum Venus, ut diximus.

XLI. *multos configit*) ipsumque Diomedem vulnerat. Hom. Il. V. 97. — *hostem prosterneret*) Hom. 290. Teste Philostrato Her. IV. p. 700. Sthenelus adversus Pandarum pugnavit eumque superavit. — *liberatum ex acie*) Tegit corpus amici Aeneas, quem vero ipsum Diomedes saxo sauciat. Hom. 296.—*Lyciam — pertulere*) De Sarpedone hoc traditur lib. III. 9.

subducta haud longe acie) Requies igitur fit belli. At apud Homerum post Pandari mortem incenditur demum atrocissima pugna, canunturque Graecorum et potissimum Diomedis fortia facta. Omnino ab hac inde pugna usque ad cap. 45. noster omnia miscet et confundit, ut narrationum quae sequuntur seriem cum Homericarum rerum ordine comparari posse desperes. — *per aliquot dies tempus bell. opp.*) Nescio an Dictys respexerit ad inducias Hom. Il. VII, an Il. VIII. extr.

ingressus Phrygiae regionem) Ignorat tale episodium Homerus.

XLII. *ad naves tendere*) Graeci multis acceptis cladibus ad naves reprimuntur: quo discrimine frustra tamen ad bellum rogatur Achilles (Il. IX.). Compelluntur intra murum: Troiani navibus imminent, fossam aggrediuntur: Hector ingesto saxo portam discutit, viamque suis ad naves aperit (XII.). Superato muro atrox pugna pugnatur ad naves (XIII.). Sed avertuntur a navibus Troiani: Hectorem saxo percutit Aiax, in fugamque dat Troianos (XIV.). Redit ad pugnam Hector, et Troianis deleto muro viam munit ad classem exscindendam: at contra ignem suos defendit Aiax (XV). Tandem Aiax debilitatus non amplius obstare valet, et ignis navibus infertur. In hoc discrimine advenit Patroclus, missus ab Achille; qui pellit Troianos, ad urbem persequitur, inque eam compellit (XVI.). Haec est rerum series in Iliade Homeri.

ignem in proras iacere) Hom. Il. XVI. 112.

auxilium renuentis) Renuerat Achilles, sed alio tempore. Hom. Il. IX. Igni autem navibus illato, Achilles Patrocli precibus cessit, eique permisit, suis et armis et copiis in pugnam descendere, ea autem lege, ut Troianos a navibus

depulisse contentus esset, neque maiori periculo sese obiiceret. Il. XVI.

XLIII. *Aiax — adveniens*) Is apud Homerum ante incendium fortiter pugnat; facto autem incendio advenit Patroclus. Dictys Aiaci tribuit palmam, quam Homerus Patroclo. — *magna armorum specie*) Peliden videre sibi videbantur Troiani, cum illius arma Patroclus gestaret. Hom. Il. XVI. 281. — *extra vallum detrudit*) E navibus pellit, incendium restinguit, atque fugientes hostes supra vallum et in apertos campos compellit *Patroclus*. secundum Homerum. Ex Graeco Dictye petita sunt verba, quae apud Malel. p. 139. in Aiacis et Ulixis de Palladio contentione facit Aiax: *καὶ πάλιν ἐποίησα ἔφοδον ἐπὶ τὴν πύλην τοῦ Ἰλίου, μόνος διώξας τοὺς Τρῶας, καὶ σώσας τὰς νῆας πάντων ὑμῶν Ἑλλήνων· καὶ πολλοὺς τῶν Τρώων ἥρωας ἄνδρας βαλὼν, οὐκ ἐτρώθην*. Contra ne urgeas verba Aiacis apud Ovid. Met. XIII. 7. *At non Hectoreis dubitavit cedere flammis: Quas ego sustinui; quas hac ab classe fugavi.*

Hectorem) Hectorem fugere cogit Patroclus. Hom. Il. XVI. 368. Sed haec Hectoris et Aiacis pugna ex alio Homeri loco, ex Hectoris et Aiacis monomachia Il. VII. vel potius ex simili pugna inter eosdem heroas Il. XIV. 402. huc translata a Dictye est. — *ictum immani saxo*) Il. XIV. 409. cf. VII. 264. — *concurrentes undique plurimi*) Nempe Polydamas, Aeneas, Agenor, Sarpedon, Glaucus, qui eum ex acie gestant. Hom. Il. XIV. 425. In altera pugna (Il. VII. 274.) praecones ab utraque acie missi a certamine utrumque arcent, quia nox intervenerat.

Ceterum Aiax cet.) Apud Hom. statim sequitur Patrocli cum Sarpedone certamen et mors Sarpedonis, de qua noster III. 7.

Priami filiorum) Iidem nominantur Apollod. III. 12. 5. Pammon et Polites vivunt Hom. Il. XXIV. 250: et in Troiae demum incendio cadunt a Neoptolemo Quint. Smyrn. XIII. 213; Virgil. Aen. II. 526. Antiphus ab Agamemnone occiditur Hom. Il. XI. 101. Mestorem bello caesum luget Priamus Hom. Il. XXIV. 257. Clandestina in Graecos irruptione Mestorem cecidisse, ait Dio Chrysost. p. 538. Vol. I. Reisk.

XLV. *Eione genitus*) Hom. Il. X. 435. Strymonis filius est ap. Eurip., Apollod. aliosque. Alii Hebri, alii Martis filium ferunt. cf. Serv. ad Aen. I. 473. — *haud alienus*) Eurip. Rhes. 404. — *pacta mercede*) De donis loquitur Eurip. Rhes. 403. cf. Fuchs. Quaest. p. 118. — *magnis Thracum copiis*) Eurip. Rhes. 276. ἀνὴρ γὰρ ἀλκῆς μυρίας στρατηλατῶν. Thracibus imperitavit. Conon. Narrat. 4. Rhodopen habitavit. Philostr. Her. II. p. 680. ubi cf. Olear. — Rhesi adventus apud Hom. et Eurip. ante incensas naves celebratur, fatisque adnectitur Dolonis. Dictyi igitur, tempus mutanti, etiam in ipsa narratione aliqua mutanda erant. — *incedente iam vespera*) Eurip. 285. — *apud peninsulam*) Quae fuerit nescio. Fauces Euxini, Bosporum, traiecit: reliquam viam pedes confecit, inque agrum Troianum ad Idam montem venit. Eurip. 436. 282. — *tentoriis*) Inclyta Rhesi tentoria. Virgil. Aen. I. 469. ubi v. Heyn. Exc. XVI. — *ibidem opperiebatur*) Seorsum a Graecis ibi pernoctabat Rhesus cum suis, locumque ei destinaverat Hector. Hom. Il. X. 424. 434; Eurip. 519. 613.

procul animadvertere) Speculatores missi ab intercepto Dolone omnia audierant. Hom. 426. — *fatigatis*) Eurip. 762. Hom. 471. — *regem interficiunt*) Regem interficit Diomedes, et cum eo duodecim Thraces viros. Hom. 483. 560; vel potius tredecim. Hom. 495. 561. Rhesum in pugna cum Graecis ad flumen Rhesum commissa a Diomede caesum fuisse, refert Parthen. Erot. 36.

nihil ultra) Caede patrata, Minerva fugam suasit. Hom. 509; Eurip. 675. — *currum — equos*) Rapiendi partes Ulixes egit. Currum autem non abstulit, sed modo μώνυχας ἵππους σὺν ἱμᾶσι. Hom. 498. Currum abducere dissuaserat Minerva. Hom. 503. Ulixem currum cum equis abstulisse, Dictys sumsisse videtur ex Eurip. 797. 616. ubi versus 620 sq. pessime intellexit Daceria. Insignia, quae cum equis abducta esse Dictys narrat, describuntur Eurip. 303. cf Hom. 438. Inclytus Rhesi currus. Catull. LIII. 26.

XLVI. *expergefacti e somno*) Apollo Hippocoontem, Rhesi cognatum, e somno primum excitavit, qui, ubi caedem raptosque equos animadvertit, lamentatione et clamore arces-

sivit Troianos. Hom. 515. — De sequenti Graecorum cum Thracibus pugna nihil Homerus. Fuisse tamen, qui et pugnam Thraces inter et Graecos celebrarint, indicant scholiastae. v. Fuchs Quaest. p. 118.

XLVII. *Chryses*) Solus Dictys haec narrat. Cf. ad c. 33.

cum his, qui partem praedae) De missa praeda retulit c. 33. qui miserint, non nominantur. Et dissentit Dictys a veteribus, qui legatos a Graecis ad reducendum Philocteten missos tradunt, sine quo Troiam capi non posse vates cecinerant. Lesches Il. parv.; Bacchilid. apud Schol. Pindar. Pyth. I. 100; Pausan. V. 13. Cuius vaticinii fundus est Hom. Il. II. 724. unde illud habet Sophocl. Phil. 1413. 1425. Reducitur autem Philoctetes apud Leschen a Diomede; apud Quint. IX. 333 et Hygin. fab. 102. a Diomede et Ulixe; apud Philostr. Heroic. V. p. 703. a Diomede et Neoptolemo; apud Ovid. Met. XIII. 320. ab Ulixe; apud Sophocl. Phil. ab Ulixe et Neoptolemo. Hunc regressum Lesches cecinit post ὅπλων κρίσιν et ante Eurypyli adventum; Quint. IX. 327. post Eurypyli mortem. — *invalidus*) Pindar. Pyth. I. 107. ἀσθενεῖ μὲν χρωτὶ βαίνων. Praedictum fuisse, Philocteten non sanatum iri, priusquam Troiam accessisset, notum ex Sophocl. Phil. 1313. 1409. 1423. Sed Philostratus Heroic. V. p. 704. scribit, eum non aegrotum et aegrotanti ne similem quidem Troiam venisse, verum prae senio canum et sexaginta annos natum, magis tamen quam iuvenum plerosque vigentem.

XLVIII. *consilium Gr. agentibus*) Videtur significari conventus Hom. Il. IX. 89. — *Aiax — docet*) Multo aliter loquitur Hom. 96. Nestor. — *oportere mitti ad Achillem precatores* cet.) En tibi vanissimum scriptorem, qui non ob utilitatem, sed honoris merito Achillem, haud aspernandum videlicet virum, ut iras remitteret, rogatum fuisse mentitur; cum tamen illo tempore Graecos, summo periculo circumventos extremaque metuentes, Achillem auxiliatorem maximis precibus efflagitasse, in hoc uno omnem spem salutemque ratos, ex Homero constet. Quid enim hercle Graeci opus habebant obstinati viri, qui ipsorum preces iam spre-

verat (c. 42.), amicitia et virtute, cum Aiax victor e proelio rediisset, et hostes fractis rebus intra moenia trepidantes pacem rogitassent? Prorsus contraria Aiacis futilis oratio est illi, quam ad Achillis auxilium impetrandum habet Nestor Hom. Il. XI. 655; quae oratio facile praestantissima est homericarum omnium.

Agamemnon docere) Nestoris orationem hic excipit Hom. Il. IX. 115.

Ulixem atque Aiacem) A Nestore deliguntur Phoenix, Aiax Tel., Ulixes et duo caduceatores Odius et Epistrophus. Hom. Il. IX. 168. Aiacem ac Nestorem fuisse legatos, hunc sapientiae et aetatis, illum cognationis causa, dicit Philostr. Her. XIX. p. 734. Aiax enim et Achilles erant duorum fratrum filii, Pelei et Telamonis. — *Diomedes*) apud Hom. non est inter legatos. Forte huc eum transduxit noster ex Hom. Il. XIX. 48.

XLIX. *hostiam*) Ex Hom. Il. XIX. 250.

Patroclus — supervenit) At Patroclum legati, ad Achillis tentorium venientes, una cum Achille citharam pulsante inveniunt Hom. Il. IX. 190. Ideoque nihil etiam apud Hom. de iis, quae ad finem huius cap. leguntur.

inviolatam) Idem iurat Hom. Il. IX. 132. XIX. 258. cf. Dio Chrysost. p. 295. Vol. II. Reisk. — *sed ira*) Ex Hom. Il. XIX. 86.

filiarum) Hom. Il. IX. 144; Dio Chrys. l. l. — *decimamque regni*) Septem urbes Hom. Il. IX. 149. — *talenta quinquag. doti*) Hom. Il. IX. 147. μείλια πολλά. Praeterea dono ei promittit Agamemnon decem talenta auri aliaque. Hom. 122. Narrat Dio Chrys. l. l., ivisse Agamemnonem cum Briseide a tentorio ad tentorium, et aurum, equos, tripodes, lebetes, foeminas urbesque dari Achilli, ut placaretur, praecepisse.

L. *Aiax*) ἡγεῖται Ulixes Hom. Il. IX. 192. — *benigne salutatos*) Hom. 197. — *sedere hortatur*) Hom. 200. — *iuxtaque se Aiacem*) In coena e regione Achillis sedet Ulixes Hom. 218. — *incusare atque increpare*) Longa oratione (Hom. 225.) Ulixes, expositis Graecorum infortuniis, obnixe precatur Achillem, ut militiam repetat. Atque Aiax tum

demum increpat Achillem (ibid. 628), cum renuisset. — *enumerationem*) Hom. 262.

LI. *longam orationem*) quam describit Hom. Il. IX. 308; ex qua praecipua tantum capita petiit noster. — *quantas aerumnas*) Hom. 325. — *quas civitates*) Hom. 328. — *in commune*) Hom. 330. Iureiurando omnes duces ad hoc officium se obstrinxerant. Auctor *τῶν Τρ.* in Bibl. Uffenb. XXXV. p. 679. — *solum se electum*) Hom. 335.

Diomedes) Apud Hom., ut dixi, non est inter legatos. — *Phoenix*) Achillem, domum rediturum, retinere studet, utque Graecis opituletur orat. Hom. 434—605. Patroclus autem nihil neque precatur neque loquitur.

LII. *tandem flexus*) Rumpitur Achillis ira Hom. Il. XIX, sed post Patrocli demum mortem. Posita vivo adhuc Patroclo Achillis ira, praestantissima rerum homericarum series et nexus a Dictye turbatur, omnisque Iliadis natura et indoles prorsus invertitur. Causam huius inculpandae novitatis indicavi ad cap. 36. — *consilium*) Cf. Hom. Il. XIX. 45. — *gaudio laetitiaque*) Hom. 74. — *Patroclum*) Alios quaesiit Hom. 238; nam Patroclus caesus erat.

inter se sine ullo metu — miscebantur) Ios. Iscan. VI. 71. *utrique cohorti Utraque castra patent, fas civi Graia videre Carbasa, fas hosti Phrygios lustrare penates.*

Thymbraei Apollinis) Thymbra ager Troadis est, a fluvio Thymbrio irrigatus, qui in Scamandrum cum Simoente iunctum se immittit, luco ac fano Apollinis nobilis, unde Apollo vocatur Thymbraeus. Strab. XIII. p. 411; Steph. Byz. v. *Θύμβρα*.

OBSERVATIONES HISTORICAE

IN

LIBRUM TERTIUM.

I. *dilato — in tempus*) Ios. Iscan. VII. 70. *pax arma soporat, inque annum iurata fides.*

Teucer, Meriones) Teucer τόξων εὖ εἰδώς. Hom. Il. XII. 350. δεξιώτατος εἰς τοξείαν καὶ εὐστοχώτατος. Auct. τῶν Τρ. in Bibl. Uffenb. XI. p. 665. Meriones sagittandi peritissimus praedicatur a Themistio Orat. VI. In ludis Patrocli uterque sagittandi praemia merent Il. XXIII. 850. — *Philocteta*) Hom. Il. II. 718. τόξων εὖ εἰδώς. Philostr. Heroic. V. p. 702. ἄριστα δὲ ἀνθρώπων ἐτόξευσεν.

II. *Hecuba supplicante Apollini*) Anno post Hectoris mortem et sepulturam praeterlapso, Priamum cum Hecuba, Polyxena aliisque Troianis ad sepulcrum Hectoris profectos esse, eiusque in Thymbraei Apollinis templo manes placasse, narrant Dares c. 27; Iscan. VI. 73; Henric. c. 60. fol. 107. — Supplicationem, ortum in ea Achillis erga Polyxenam amorem, mortemque quae hinc profecta est Achillis (lib. IV. 10.), una narratione, eo loco ubi de morte Achillis agunt, complectuntur Malel. p. 164; Cedren. p. 106; Tzetz. posth. 388. et ad Lycophr. 269; Const. Manass. p. 24; Philostr. Heroic. XIX. p. 737. Hinc factum, ut iidem, obiter tangentes quae hoc et seq. cap. copiose narrantur, semel modo factarum induciarum (Dictys bis. cf. IV. 10.) mentio-

nem faciant; atque ut discrepent in tempore, quo Polyxenam primum vidit eiusque amore flagravit Achilles, factum videtur eadem negligenti contractione fabulae, quam noster pluribus locis, hic, c. 24 et 27. lib. IV. 10. (cf. V. 13.), fuse persequitur. Seiunctim Achillis erga Polyxenam amoris initium, mortemque eius, narrant, ut Dictys, etiam Dares eiusque sectatores Iscanus et Henricus. Totius autem fabulae nullus exstat testis, qui Dictye antiquior. Eum tamen non esse fabulae inventorem, vel ex loco Tzetzae, quem statim describam, certum est.

effusis — crinibus) Iscan. VI. 78. *stant crine soluto Iliades, haec questa virum, natum altera, fratrem Multae, nunc pariter lugent, nunc singulae plangunt.*

accito Automedonte) Dares c. 27. *Phrygio servo fidelissimo mandata dat.* Iscan. VI. 94. *instruit his Phryga Sergestum.* Idem *Sergestus* nominatur v. 98; atque eiusdem nominis Troianus in Schol. ad Virgil. Aen. III. 6.

uti ad Hectorem virginis causa iret) Dares: *mandata dat ferenda ad Hecubam; et ab ea sibi uxorem poscit: hoc si fecerit, se cum suis Myrmidonibus domum rediturum. Quod quum ipse fecerit, ceteros quoque idem facturos. Servus proficiscitur, ad Hecubam venit, mandata dicit. Hecuba respondit, se velle, sed si Priamo viro suo placeat: dum ipsa cum Priamo agat, servus reverti iubetur. servus, quod egisset, Achilli nunciat.* In his et seqq. Daretem sequuntur Iscanus et Henricus. Tzetzes ad Lyc. 269. ita: *φασὶν οἱ παλαιοί, ὅτι Ἀχιλλεὺς ἐρασθεὶς Πολυξένης ἐδήλωσε τῷ Πριάμῳ συμμαχήσειν αὐτῷ, εἰ λάβοι τὴν κόρην. ὁ δὲ συνέθετο δοῦναι.* Cf. posth. 309. Ait Tzetzes *παλαιοί*, significans forte Euripidem, quique hunc secuti sunt (cf. ad IV. 10.). Apud Serv. ad Aen. III. 322. Achilles Polyxenam in matrimonium postulat conditione pacis.

Hector vero daturum se cet.) Dares: *Hecuba cum Priamo de conditione Achillis loquitur. Priamus respondit, fieri non posse: non ideo, quod eum affinitate indignum existimet; sed, si ei dederit, et ille discesserit, ceteros non discessuros: et iniquum esse, filiam suam hosti iungere. Quapropter si id fieri vellet, pax perpetua fiat, et exercitus dis-*

cedat, foederis iura sanciantur. Si id factum sit, se ei libenter filiam daturum.

III. *Ea ubi Achilles accepit* cet.) Priami ad Achillem mandatorum diversitatem modo ex Darete audivimus. Pergit Henricus fol. 108. ita: Quae ubi Achilles accepit, animo secum reputavit, quomodo votum suum expleret. Admodum sollicitus Agamemnonem adit, et convocatis principibus ita loquitur: „Postquam rectius, principes, de rebus nostris cogitavi, mirum mihi videri fateor, quod mulieris causa, patria et coniugibus desertis, tot strenuos viros amiserimus, et mortis periculo amplius nos obiiciamus. Multae sunt nobiles foeminae, quae Menelao conveniant. Ducat ex his unam, mittat Helenam. Rapuimus Hesionam, Helena non inferiorem, parem opibus et nobilitate. Ad hoc vulneribus ab Hectore acceptis sum ita adflictus, ut de sanitate sit quod timeam; et valde sum adhuc debilis. Atque gravem cum sumserimus de Troianis vindictam, Hectoremque neci dederimus, satius mihi videtur, relicta Troia patriam repetere: nam tam munita est Troianorum urbs, tantamque hostes fortissimorum habent militum multitudinem, ut de victoria certe nobis sit desperandum.“ Displicuit Graecis oratio. Quare iratus Achilles populum suum bello abesse iussit.

Asiae civitates cet.) Cf. ad II. 35. Secundum Homerum Graeci, tantis cladibus adfecti, militiam sociorum Priami non detrectassent. Sed Dictys Graecorum mala tenebris involvit, eosque semper victores proeliis educit.

IV. *Tumque primum reges — ascensis curribus bellum ineunt*) Vid. Fuchs Quaest. p. 120.

Pyraechmem) A Patroclo hic longe alia in pugna interficitur Hom. Il. XVI. 287. — *Acamas*) Thracum rex, ab Aiace Tel. cadit Hom. Il. VI. 5. — In pugnis, quae hic et in seqq. describuntur, tantum ab Homero discrepat Dictys, ut comparatio institui non possit.

V. *Diorem*) A Piro hic cadit Hom. Il. IV. 517. De *Polyxeni* vulnere nihil invenio.

Achilles) Mentiri aliqua Achillis facta Dictys coactus erat, quippe quem posita ira a bello abesse dedecori fuisset. — *Pylaemenem*) Eum occidit Menelaus Hom. Il. V. 576. De

Pylaemenis et Priamidarum necessitudine vid. Fuchs Quaest. p. 36. De Phineo, Olizona et Dardano dixi ad I. 9.

VI. *aurigam*) Hectoris auriga Cebriones post Sarpedonis mortem a Patroclo cadit Hom. Il. XVI. 737.

manum Achillis) Disputavimus de hoc loco in Praefat. p. XXIX.

VII. *Deiopite*) Ab Ulixe hic occiditur Hom Il. XI. 420; in Troiae demum excidio a Megete Quint. XIII. 211. *Doryclus*, nothus Priami, ab Aiace Tel. cadit Hom. Il. XI. 489. *Hippothous*, Lethi filius, ab Aiace Tel. necatur Hom. Il. XVII. 289. Priami filium eiusmodi nominis exhibent Hom. Il. XXIV. 251. et Apollod. III. 12. 5. *Hippodamas* ab Achille occiditur Hom. Il. XX. 401.

Patroclus — et Sarpedon) Aliter hanc pugnam celebrat Hom. Il. XVI. 463. Patroclus primus hasta immissa Thrasymelum, Sarpedonis aurigam, occidit. Dein Sarpedon Pedasum, funalem Patrocli equum, hasta interfecit: qua re cum equi turbarentur, Automedon, Patrocli auriga, funem, cui equus alligatus erat, abscidit. Rursus contra tendunt; iterumque Sarpedonis hasta cum aberrasset, Patroclus impetu facto eum vulnerat circa praecordia.

VIII. *gemitum magno clamore*) Hom. Il. XVI. 548. Cf. c. 9. — *publicam cladem*) Hom. ibid. 549. Sequens pugna apud Hom. longe est alia.

Deiphobum) A Merione in lacerto Deiphobus vulneratur, et a Polite e pugna portatur Hom. Il. XIII. 528. Erat Priami ex Hecuba filius. Apollod. III. 12. 5; Hygin. 90. *Gorgythion*, Priami ex Castianeira filius (Apollod. et Hygin. l. l.), a Teucro interimitur Hom. Il. VIII. 302.

IX. *Sarpedonis cadaver*) in Lyciam deportatum ibique sepultum est. Hom. Il. XVI. 666; Philostr. Her. XIV. p. 724.

X. *Arcesilaus*) ab Hectore interficitur Hom. Il. XV. 329; *Schedius* circa Patrocli cadaver ab eodem Hom. Il. XVII. 306; *Meges* cadit a Menelao Hom. Il. XV. 520.

telo Euphorbi ictus ruit) Hom. Il. XVI. 806. In fabula de Patrocli morte rerum summam Dictys ex Homero petiit, pauca more suo mutavit. — *Hector — opprimit*) Hom.

818. Sed nihil Homerus de multis vulneribus per loca corporis pudibunda, ut noster cap. 11. — *illudere cupiens*) Respicitur ad Hom. Il. XVII. 125. ubi Hector Patrocli caput amputare, ipsumque canibus vult obiicere.

propere accurrit) Hom. Il. XVII. 128. — *eripere cadaver occipientem*) Eripuisset Hector, nisi Achilles, nuntio de Patrocli caede accepto, ad fossas Troianis se ostendisset, tantumque adspectu et voce incussisset metum, ut omnes fugam facerent. Hom. Il. XVIII. 148. — *proturbat*) Retro cedit Hector in multitudinem sociorum Hom. Il. XVII. 129. Redit v. 533. — *morte poenas luit*) A solo Menelao occiditur Hom. 43. Cf. Athen. IV. p. 178; Philostr. Heroic. XVII. p. 725.

vespera) Voce et adspectu Achillis, ait Homerus, fugae se dederunt Troiani. — *interfectis*) Iupiter enim *νίκην Τρώεσσι δίδου, ἐφόβησε δ' Ἀχαιούς.* Hom. 596.

XI. *deformatum iam*) Namque Antilochus praemissus ad Achillem Patrocli mortem nuntiaverat. Hom. 652. Luctum Achillis noster adumbravit ex Hom. Il. XVIII. 22. Aiacis solationem ignorat Homerus. — *recordatio vulnerum per loca corporis pudibunda cet.*) Respexit locum Ios. Iscan. VI. 267. ubi vid. Dresem. — *corpus elutum, mox veste circumtegitur*) Hom. Il. XVIII. 350.

XII. *custodes*) Apud Hom. funus Patrocli post Hectoris mortem celebratur, quo tempore Graeci non opus habebant custodibus.

quinque in Idam) Meriones mittitur Hom. Il. XXIII. 110. aliique, quorum autem nomina haud indicantur.

quinque hastarum) Hom. 164. *ποίησαν δὲ πυρὴν ἑκατόμπεδον ἔνθα καὶ ἔνθα.*

Hippodamia et Diomedea) Nihil de hac re Homerus.

XIII. *muris despectantes*) Intra moenia igitur fugerant Troiani. Apud Hom. post Patrocli caedem deque eius corpore certamen in aperto campo permanent, displicetque Hectori et Troianis Polydamantis consilium, suadentis, ut salutem intra moenia quaerant, neve irato Achilli in acie se obiiciant trucidandos. Il. XVIII. 243. — In seqq. immutatur nobilissimum, quod ab Homero Il. XX et XXI. describitur, circa Xanthum fluvium certamen, in quo Achilles primas

partes agit. Ultra modum saeviens omnia cadaveribus complet apud Hom.: apud nostrum ne interesse quidem certamini videtur. Xanthi obiter fit mentio cap. 14.

XIV. *Asius*) Hyrtacides ab Idomeneo cadit Hom. Il. XII. 110. *Hippothous*, Lethi filius, ab Aiace Hom. Il. XVII. 289. — *duodecim*) Tot Achilles in Xantho flumine capit Hom. Il. XXI. 27. Aiacis quadraginta captivorum Homerus non meminit. — *Isus*) Eum occidit Agamemnon Hom. Il. XI. 101. De *Evandri* Priamidae (Apollod. III. 12. 5.) captivitate, de *Gunei* morte et *Idomenei* vulnere nihil Homerus.

clausere portas) Hom. Il. XXI. 535.

in flumine praecipitant) Achilles Xanthum cadaveribus replet Hom. Il. XX. init. — *Achilli offerunt*) Ipse Achilles eos ceperat, ut dixi. — *vino multo sopita* cet.) Hom. Il. XXIII. 236. 250. — *decretum animo gerebat*) Quod heic decretum habet, id Patrocli imago, somnianti Achilli oblata, petit Hom. 83.

iugulari iubet) Achilles iugulat in eademque pyra comburit Hom. 175. — *regulos canibus*) Hector proiicitur canibus; sed canes arcet Venus, et Apollo cadaver nube obtegit Hom. 182. Noster de Hectore hoc dicere non potuit, quia nondum occisus erat.

XV. *Penthesileae*) De Penthesilea et Amazonibus silet Homerus; eamque Troiam venisse negat Philostr. Heroic. XIX. p. 749. Induxere Amazones in belli Troiani historias cyclici, in his primo loco Arctinus in Aethiopide. Cyclicorum de Penthesilea fabulam exponit Quint. I, et multa ex eo Tzetz. posth. De Amazonum latis sedibus variisque impressionibus disputant Heyn. ad Virgil. Aen. I. 490. Exc. XIX; Iacobs ad Tzetz. posth. 7; Dresem. ad Iscan. VI. 565. Cf. Creuzer Myth. und Symb. Thl. II. p. 172.

pretio) Tzetz. posth. 20. τοὶ δ' ὑπὸ δώρων Ἑκτορέων ἐρέουσιν ἰοῦσαν. — *bellandi cupidine*) Ex Hellanico, Lysia, aliis Tzetz. posth. 14. ἕνεκα σφετέρης ἀρετῆς ἐπιήλυθε Τροίῃ, Κῦδος ἀεξήσασα, ὅπως τε γάμοισι μιγείῃ. Cf. ad Lycophr. 1332. Aliam causam ex Quint. I. 21. refert Tzetz. posth. 10.

gens bellatrix) Ex Virgil. Aen. I. 490. Mars ὁ πατὴρ τε καὶ φυτουργὸς αὐτῶν in bellicis versari tumultibus vitamque in armis equisque degere docuit. Philostr. Her. XIX. p. 750.

insidiatum propere pergit) Quae hic narrantur, apud neminem invenio, qui Dictye antiquior. Ad verbum easdem res ex Graeco Dictye retulerunt Malel. p. 156; Cedren. p. 105; Tzetz. hom. 250. Mirum quantum differt Homeri narratio; et ab utraque Henrici c. 56. fol. 101. Sacerdos Aegyptius Dioni Chrysost. p. 245. Vol. I. Reisk. persuasit, Achillem occisum esse ab Hectore.

spoliatum armis) Hom. Il. XXII. 368. — *memoria doloris ferox*) Cf. verba Achillis Hom. 378. — *constrictis in unum* cet.) Hom. 396. — *Automedonti*) Apud Hom. ipse Achilles regit equos. — *per campum* — *pervolat* — *circumtrahens*) Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros Achilles, canit Virgil. Aen. I. 483, diversus ab Homero, apud quem ter circa urbis moenia fugit Hector (v. 208); currui autem alligatus et ante urbem circumtractus ad naves rapitur (v. 464.), ubi ter die circa Patrocli tumulum raptatur (XXIV. 14.). Plura Heyn. ad Virgil. loc. Exc. XVIII. Ex Malelae, Cedreni et Tzetzae (hom. 255) consensu probabile est, Graecum Dictyn narrasse, Hectorem nocte interfectum esse, eiusque cadaver ante diem obortum, et insciis ceteris Graecis, raptatum atque ad naves tractum esse. Apud Hom. die haec et aperto campo geruntur.

genus poenae novum) Notat Homeri interpres ex Callimacho, morem patrium Thessalis fuisse, amicorum interfectores circa occisorum sepulcrum trahere. Huius moris auctorem primum fuisse Simonem quendam Thessalum, qui Eurydamantem, Midii filium, currui alligavit, circumque fratris sui Thrasyni, quem is occiderat, sepulcrum traxit. Hunc patrium morem etiam Achillem secutum esse. Daceria. Refert haec Schol. Hom. Il. XXII. 395.

XVI. *ante ora hostium*) Ea in currum sustulisse Achillem, canit Hom. 399.

aves etiam — decidisse) Malel. p. 156. καὶ τοσαύτη βοὴ ἐγένετο ἐκ τοῦ πλήθους τῶν Τρώων, ὥστε καὶ τὰ

πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ ταραχθῆναι. Καὶ οἱ Ἕλληνες δὲ χαίροντες ἀντηβόησαν ὁμοίως· καὶ κλείονται αἱ πύλαι τοῦ Ἰλίου. Pluribus haec pinxit Tzetzes Hom. 259. Auxit Dictys atque amplificavit ingentem omnium Troianorum luctum et gemitum, quem canit Hom. Il. XXII. 405. cf. Obrecht.

nullam salutis spem) Hector quippe fidissima spes Teucrum. Virgil Aen. II. 281. Ademtus Hector tradidit fessis leviora tolli Pergama Graiis. Horat. Od. II. 4. 40. — *vires consilio superf.*) Lib. II. 25. *cum virtute tum consilio bonus.* ubi vide.

XVII. *universis placet*) Ipse Achilles ludos indicit praemiaque proponit. Hom. Il. XXIII. 258. Varios in his ludis Dictys secutus est auctores. In nonnullis certaminibus cum Homero convenit, in nonnullis cum Quinto, vel potius eo, quem Quintus ante oculos habuit. Apud Quint. IV. 93. Aiax Graecos monet, ex Thetidis voluntate ludos esse Achilli celebrandos; et Thetis ipsa (v. 115.) *θῆκεν ἄεθλα.* — Custodiae populorum, qui, ne hostis clam irrueret, intra ludorum festum prospicerent, nulla apud Hom. mentio est; quod quidem silentium quemadmodum auget partam Achillis victoria Graecorum gloriam, ita testimonio est, Troianorum vires ita exhaustas fuisse, ut nihil amplius ab iis esset metuendum.

solito — insidiandi more) Clandestinas Troianorum irruptiones in Graecos multas iam accepimus. Dio Chrysost. p. 338. Vol. I. Reisk. morem fuisse Graecorum ait, clandestinis et nocturnis impetibus Troianos adoriri.

praemia) Nominantur Hom. Il. XXIII. 259.

quadriiugis equis — bigarum praemia) Apud Homerum, haud distinguentem quadrigarum bigarumque certamen, in *ἁρμάτων* seu *ἵππων* certamine victor est Diomedes, secundus Antilochus, tertius Menelaus, quartus Meriones, postremus Eumelus. Il. XXIII. 262—650. Tripodem Diomedes meruit (v. 513.), quem Apollini Delphico dedicasse fertur a Phania apud Athen. VI. 4. p. 232. Cf. Brunck. Anal. T. III. p. 179. sq. Apud Quint. 500. *ἱππασίῃ* (curru) certant Menelaus, Eurypylus, Eumelus, Thoas, Polypoetes: vincit Menelaus.

v. 545. *Μονάμπυξιν ἵπποις* (singulari equo) vincit Agamemnon.

XVIII. *ad certandum, qui sagitt.* cet) Certant Teucer et Meriones. Vinculum, cui columba alligata est, disrumpit Teucer; Meriones ipsam columbam avolantem ferit, et victor declaratur. Hom. 850. Respicit ad hoc certamen Athen. I. 19. p. 25. *Τοξοσύνῃ* apud Quint. 405. certant Teucer et Aiax Oilei: vincit Teucer certamine, longe ab Homeri et Dictyis diverso. Praeterea *αἰγανέῃ*, quae ignota Dictyi et Homero, apud Quint. 472. vincit Euryalus. Philocteta apud Hom. concertare nequiit, quia adhuc Lemni erat.

XIX. *cursu longo*) Distinguit Dictys quatuor currendi genera; Homerus non nisi *ταχυτῆτος ἄεθλα* in universum memorat, in quibus victor Ulixes, secundus Aiax Oilei, tertius Antilochus. Il. XXIII. 740. *Cursus longus* pertinet ad recti spatii longitudinem, *στάδιον εὐθύτονον*, ut recte explicat Obrechtus. *Duplex campus* spectat ad flexum, iteratum curriculum. Graecis dicitur *δίαυλος*, *διπλοῦν στάδιον* (Pausan. V. 18. II. 11.), qui est cursus, quo quis (*διαυλοδρόμος*) in stadio, postquam a carceribus ad metam excurrit, ab altera parte, flexu circa metam facto, a meta inde iterum ad carceres recurrit: quae duo curricula, cursus et recursus, a Graecis vocantur *κῶλα*. Optima hinc deducta imagine Aeschylus (Agam. 343.) exitum ad bellum Troianum unum *διαύλου κῶλον*, reditum alterum *κῶλον* appellat. *Singularis campus*, seu simplex, videtur esse cursus a carceribus ad aliquem scopum, omisso recursu. Quod currendi genus significant etiam Hom. l. l. et Quint. 185. apud quem Teucrum vincit Aiax Locrus. Quartum genus est *cursus in armis*. Pausan. II. 11. de Graniano Sicyonio: *Δίαυλον ἐνίκησεν· ἀγωνιζόμενος τὸ διπλοῦν στάδιον, καὶ γυμνὸς καὶ μετὰ τῆς ἀσπίδος.* ubi *μετὰ τῆς ἀσπίδος* videtur esse id quod Septimii *cursus in armis.* Vox *γυμνός* ad secundum certaminis genus, ad duplicem campum spectat.

saltu) Hoc certandi genus ignorat Homerus. Apud Quint. 465. *ἅλματι* vincit Agapenor. Ars saliendi laudatur in heroibus: sic Achilles *ἁλτικώτατος*, Aiax Oeleus *ἁλτικός* vocantur ab Auct. *τῶν Τρ.* in Bibl. Uffenb. X. p. 663. XI. p. 665.

disco) Vincit Polypoetes Aiacem Tel., Epeum et Leonteum. Hom. Il. XXIII. 826. Ceteros vincit Aiax Tel. Quint. 436.

luctandi) Praecipua huius luctationis capita sunt ex Hom. 700. *Παλαισμοσύνῃ* apud Quint. 215. certant Diomedes et Aiax Tel. Praemium dividitur. Sed diversa haec luctatio ab Homeri et Dictyis.

cestibus) Vincit Epeus Euryalum Hom. 651. *Πυγμαχίῃ* (pugilatu) apud Quint. 284. Idomeneus *ἀκονιτί*. Nestore tamen hortante certant Epeus et Acamas, quos dirimunt Achivi.

reliquoque manuum certamine) Videtur cogitasse de pugna inter Diomedem et Aiacem Tel., in qua victor declararetur is, qui prior adversario sanguinem eliceret. Vincit Diomedes. Hom. 798. Pancratio apud Quint. 479. vincit Aiax Tel. *ἀκονιτί*.

Agamemnoni) Homerus canit, exstitisse iaculatores Agamemnonem et Merionem; illum autem praemium huic concessisse. v. 884. *Αἰγανέης* certamen etiam ex Quinto supra enotavimus. — *Nestori*) Honoris causa Nestor accipit poculum Hom. 615; ob bibacitatem, ait Athen. X. p. 433. De donis Idomeneo, Podalirio, Machaoni aliisque datis nihil Homerus.

vesper erat) Il. XXIV. init.

XX. *lucis principio*) et quidem tertio decimo post Hectoris mortem die. Tzetz. Hom. 275. Die res geritur, ceteris Graecorum ducibus in colloquio praesentibus. Apud Homerum ipsa nocte, quae duodecimum diem post Hectoris caedem secuta est, Priamus iter instituit: omnis res nocte peragitur, insciis ceteris Graecorum ducibus: prima luce posteri diei Priamus ad suos refert Hectorem. In ipsis lytris Dictyn exscripsere Malelas, Cedrenus et Tzetzes. Quem Dictys secutus sit, dicit Fuchs Quaest. p. 121.

quocum Andromacha cet.) De hoc loco disputavimus in Praefat. p. XXIX.

quem nonnulli Scamandrium appellabant) Hom. Il. VI. 402. τόν ῥ' Ἕκτωρ καλέεσκε Σκαμάνδριον, αὐτὰρ οἱ ἄλλοι Ἀστυάνακτ'. οἶος γὰρ ἐρύετο Ἴλιον Ἕκτωρ. Ultimis verbis

Homerus originem nominis *Ἀστύαναξ* significat: qua mente Tzetzes Hom. 297. coniungit *Ἕκτορα Ἀστυάνακτα*.

Laodamanta) Unicum Andromachae ex Hectore filium antiqui poetae norunt, Astyanacta. Astyanacta et Laodamanta cum Dictye nominant Malelas, Cedrenus et Tzetzes: Oxynium et Scamandrium Conon. Narrat. 46. Scamandrium et Astyanacta Dio Chrys. p. 356 et 368. Vol. I. Reisk.: Scamandrium et Amphineum Anaxicrates in scholiis ad Eurip. Androm. 222.: Astyanacta, Leodamin et Sarpegium Tzetzes in scholiis ad posth. 734. Scamandrium et alios Hectori tribuit filios Hellanicus apud Dionys. Hal. I. p. 38. Sylb.; plures etiam Ptolem. Heph. VI. et Euseb. Chron. p. 19.

vehicula plena auri cet.) Impositas uni currui res pretiosas recencet Hom. Il. XXIV. 229. Neque de vehiculis loquuntur Dictyis sectatores. Malel. p. 157. *ἀγαγὼν μεθ' ἑαυτοῦ καὶ κόσμον πολὺν καὶ χρυσὸν καὶ ἄργυρον καὶ ἐσθῆτα.* Cf. Cedren. et Tzetz. Hom. 306.

silentium — oritur) scil. Graecis ducibus. Malel. p. 157. *οὔσης δὲ σιγῆς ἐν τοῖς ἡγεμόσι τῶν Ἑλλήνων, πλησίον δὲ αὐτοῦ γενομένου, ἐθαύμαζον πάντες τὴν εὐτολμίαν τοῦ αὐτοῦ Πριάμου, βουλόμενοι μαθεῖν τὴν αἰτίαν τῆς ἀφίξεως.* —

procedunt obviam) Dixi rem geri apud Hom. insciis ducibus. Automedon et Alcimus cum Achille erant, cum Priamus eius tentorium intraret. Hom. Il. XXIV. 683. Congregatos duces Priamus offendit Tzetz. Hom. 320.

Nestor) *καὶ Ἰδομενεύς*. Malel. et Cedren.

per Automedontem eum accersi iubet) Malelas: *καὶ ἐκέλευσεν αὐτὸν εἰσελθεῖν εἰς τὴν σκηνὴν αὐτοῦ. Ὁ δὲ Πρίαμος εἰσελθὼν κ. τ. λ.* Cedrenus: *οἱ καὶ* (Nestor et Idomeneus) *προεισελθόντες τοῦ Πριάμου εἰς τὴν σκηνὴν, ἐδυσώπησαν καὶ Πρίαμον εἰσελθεῖν.*

XXI. *genua — complexus*) Hom. Il. XXIV. 478. — Quae sequitur oratio, partim ex Sallustio (v. Gloss.), partim ex Homero adumbrata est. De praestantia Homericae orationis a Priamo ad Achillem habitae v. Welcker. Trilog. p. 429. Cum Homericus Achilles patris memoria a Priamo iniecta lacrimis vix temperet, aerumnis infelicis senis flecta-

tur, atque omni modo cruciatum Priami animum lenire studeat; Achilles Dictyis ne movetur quidem Priami oratione, superbis saepe verbis eius aerumnas auget, replicatisque Troianorum inconsultis animum senis novo dolore multat: atrocem victorem se praestat Achilles; nulla tangitur ob Priami res adversas misericordia, et non nisi provoluta genibus eius Polyxena, cuius amore flagrabat, lacrimas elicit.

non ut mihi causa) Hom. 525. *ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσιν, ζώειν ἀχνυμένοις.* Cf. Gloss. — *interfecto Hectore, cuncta regni concidere*) Hom. 499. *ὃς δέ μοι οἶος ἔην, εἴρυτο δ' ἄστυ καὶ αὐτοὺς, τὸν σὺ πρώην κτεῖνας κ. τ. λ.* Archias in Brunck. Anal. T. II. p. 528. *Ἕκτορι μὲν Τροίη συγκάτθανεν.* Senec. Tro. 31. *quo stetit stante Ilion.* — *ac recordatus deos*) Hom. 503. *ἀλλ' αἰδεῖο θεούς.* — *recordatio parentis*) Hom. 486. *μνῆσαι πατρὸς σοῖο.* et v. 504. *μνησάμενος σοῦ πατρός.* Homerus statim initio Achilli excitat memoriam patris, quae quasi cardo est totius orationis, utpote aptissima, quae Achillis animum misericordia tangat. — *omnes curas — impendentis*) Hom. 490 sq.

XXII. *dissolvi membris*) Hom. 510.

intueri saltem) Adumbratum ex Hom. 583. ubi Achilles, Priami leniturus aerumnas, cavere studet, ne Priamus cadaver videat, priusquam Troiam venerit. — Quae de Andromacha et Polyxena narrantur, ab Homero aliena, ex Dictye petierunt Malelas, Cedrenus et Tzetzes.

sustollere) Ipse Achilles tollit Hom. 515. De Phoenicis cohortatione nihil Homerus.

XXIII. *Achilles — ait*) Malelas p. 158. *Κρατεῖν αὐτὸν ἐξ ἀρχῆς ἔδει τῶν παίδων, καὶ μὴ συνεξαμαρτάνειν. Ἀλλ' εἶχεν αὐτὸν ἔρως τῶν ἀλλοτρίων χρημάτων· οὐ γὰρ Ἑλένης γυναικὸς τὴν ἐπιθυμίαν εἶχεν, ἀλλὰ τῶν Ἀτρέως καὶ Πέλοπος χρημάτων τὸν πόθον εἶχεν. Δίκας ἀνθ' ὧν ἠσεβήσατε· σωφρονιζέσθωσαν οὖν δι' ὑμᾶς Ἕλληνες καὶ βάρβαροι.* Breviter sic orationem retulit Malelas.

Non enim Helenae cet.) Similis est sententia Euripidis Troad. 864; alia Homeri Il. I. 152.

XXIV. *obvoluta genibus*) Cedrenus: *Πολυξένη δὲ τοῖς Ἀχιλλέως περιπλακεῖσα ποσὶ, περὶ τοῦ ἀδέλφου αὐτῆς Ἕκτορος*

διωλύγιον ἱκέτευε κεκραγυῖα, μένειν τε σὴν αὐτῷ καὶ δουλεύειν ἐπαγγελλομένη, εἰ ἀποδῷ τὸν νεκρόν. Expressit haec ex Malela.

Ita rex veritus) Hom. Il. XXIV. 571. Omnino Achillis istam invitationem acerbumque post Priami repulsam responsum, Priamique deinde obsequentiam, immutasse noster videtur ex Hom. 552 sqq.

XXV. *exsecrati — coniuraverunt*) Sumtum hoc ex Hom. Il. III. 239. ubi de Castore et Polluce sic interrogat Achilles: *Ἢ οὐχ ἑσπέσθην Λακεδαίμονος ἐξ ἐρατεινῆς; Ἢ δεύρω μὲν ἕποντο νέεσσ' ἔνι ποντοπόροισιν, Νῦν αὖτ' οὐκ ἐθέλουσι μάχην καταδύμεναι ἀνδρῶν, Αἴσχεα δειδιότες καὶ ὀνείδεα πόλλ', ἅ μοί ἐστιν;* Homerum, qui statim adiicit: *τοὺς δ' ἤδη κατέχεν φυσίζοος αἶα Ἐν Λακεδαίμονι αὖθι, φίλῃ ἐν πατρίδι γαίῃ.* reprehendit vanissimus in rebus Troicis Dio Chrysost. p. 335. Vol. I. Reisk. Dioscuros, postquam Helenam raptam audivere, navem ascendisse ceterosque Graecos secutos esse, ad Lesbum autem maxima tempestate correptos nusquam comparuisse et factos esse immortales, scribit Dares c. 11.

aetatis tuae contemplatione) At Hom. Il. XXIV. 560. *νοέω δὲ καὶ αὐτὸς Ἕκτορά τοι λῦσαι· Διόθεν δέ μοι ἄγγελος ἦλθεν μήτηρ.*

XXVI. *deum quippe auctorem* cet) Hom. 525 sqq. — *quinquaginta fil.*) Hom. 495; Eurip. Troad. 135. — *ad postremum Alexandri natalem diem*) Non significat Priamus, Alexandrum ultimum fuisse filium, quod esset contra Apollod. III. 12. 5. aliosque; sed omisso aliorum filiorum partu, tandem etiam Alexandri venisse natalem diem. Post Alexandrum alios natos esse filios, ex ipso Dictye patet; quos vero hic commemorare haud ad rem erat.

facem per quietem edidisse) Celebratissima, cyclico scil. aliquo poeta auctore, fax Hecubae, Troiae fatalis, apud antiquos poetas est. Vid. Virgil. Aen VII. 319; Ovid. Her. XVI. 45; Poeta ap. Cic. de Divin. I. 21. Cyclici poetae fabulam, cuius summam servaverit Apollod. III. 12. 5. posteriores vario modo in singulis rebus immutarunt et exornarunt, ut palam est ex Hygin. fab. 91; Pausan. X. 12; Tzetz.

Anteh. 41 et ad Lycophr. 86; Schol. Hom. Il. III. 325; Const. Manass. p. 20; Malel. p. 114; Cedren. p. 101: Henric. Brunsv. ab init.; Auct. *τῶν Τρ.* in Bibl. Uffenb. p. 655 sq. qui ancipitem ponit narrationem, quarum una cum Apollodoro magis et antiquissimis congruit, altera cum Malela aliisque recentioribus.

aruspices) Aesacus apud Apollod.; Sibylla Herophyla apud Pausan.; vates, *μάντεις* apud Ovid. et plerosque. — *internecandum*) Exponendum, ait Apollod.; vel bestiis obiiciendum, ut alii tradunt.

more foemineae miserationis) Ipsi Priamo tribuit hanc misericordiam Auct. *τῶν Τρ.* in B. Uffenb.; satellitibus, cum exponendus puer traditus iis esset a Priamo, Hyginus. — *Hecubam — pastoribus in Idam tradidisse*) Apollod: *Πρίαμος δὲ — δίδωσιν ἐκθεῖναι οἰκέτῃ κομίσοντι εἰς Ἴδην· ὁ δὲ οἰκέτης Ἀγέλαος ὠνομάζετο.* Auctor *τῶν Τρ.* in B. Uffenb.: *Ἀρχελάῳ* (forte leg. *Ἀγελάῳ*) *τῷ οἰκέτῃ δίδωσι τὸ βρέφος εἰς ὄρον ἐκρίψαι. Ἀρχέλαος* etiam infra apud eundem domesticus ille bis nominatur. Henricus duos servos introducit, qui Priami iussu puerum in silvam portarent necarentque.

adultum) Quomodo adoleverit Paris inter pastores, de rebus in hac vitae conditione gestis, et quomodo postmodum Priamus eum agnoverit; prolixe haec multis paginis tractat Henricus, varios recentiorum plerumque scriptorum fontes secutus, multis de suo admixtis et pro ingenio mutatis.

Oenoni iunctum) Oenone, Cebrenis Troadis regis filia (Conon. narrat. 21; Parthen. Erot. 4.), prior fuit Alexandri uxor. Ovid. Her. V; Apollod. III. 12. 6.

visendi regiones) At canit Ovid. Her. V. 33. *Nec venio Graias veluti spectator ad urbes.* Aliam viae causam tradunt, et ipsi inter se diversi, Malel. p. 116; Cedren. p. 101; Tzetz. Anteh. 89; Const. Manass. p. 20; Auct. *τῶν Τρ.* in Bibl. Uffenb. p. 659; Dares. c. 6; Iscan. III. 155. 343: aliam alii. Causae itineris apud antiquiores nullum esse vestigium, atque hunc mythum recentiori-

bus deberi, monet Iacobs ad Tzetz. loc. Cf. Fuchs Quaest. p. 60 sq.

filium Glaucum) De eo vid. ad I. 3. IV. 7.

XXVII. *tolli Achilles iubet*) Tollunt Antomedon et Alcimus Hom. 572. — *Polyxenam donat*) Automedon et Alcimus relinquunt δύο φάρε', ἐΰννητόν τε χιτῶνα, ὄφρα νέκυν πυκάσας δώῃ οἶκόνδε φέρεσθαι. Hom. 580. cf. not. cr.

OBSERVATIONES HISTORICAE

IN

LIBRUM QUARTUM.

I. *retineri a Graecis*) Cf. Hom. Il. XXIV. 328. 563. *cuncti — accurrentes*) Hom. 707.

tumulo Ili) Tumulus Ili, regis Troiani, notus etiam Homero Il. XXIV. 349. XI. 116, in campo fluminis Simoentis situs erat, teste Theocrito Idyl. XVI. 75. Ipsum quidem locum, quo humatus est Hector, haud nominat Homerus; verum extra urbem fuisse liquet ex v. 783. Tzetzes Hom. 486. *ἐκτὸς τείχους καὶ πτόλιος.* Cedren. p. 105. *ἔξω τοῦ τείχους.* Dares c. 25. *Priamus Hectorem suo more ante portam sepelivit.* Distinctius Malelas p. 159. *ἔξω παρὰ τὸ τεῖχος τοῦ Ἰλίου.* Tzetzes ad Lycophr. 1194. Hectoris ossa sita tradit *ἐν Ὀφρυνῷ, τόπῳ τῆς Τροίας*; hinc, peste in Graecia saeviente, ex oraculo, quod servavit Pausanias IX. 18. Thebas Boeotiae iuxta *Οἰδιποδείαν κρήνην* transportata sunt. — Finxit nescio quis, Hectorem mortuum, convocatis a Priamo artificibus, in pretiosa arca cuiuslibet conspectui esse expositum, unguentis contra putredinem servatum, veste militari indutum, arma gestantem, conversumque versus Graecorum castra, etiam nunc bellum minitantis habitu; atque illam arcam in Apollinis Thymbraei templo, ad portas urbis sito, propter Dei aram collocatam fuisse. v. Henric. Brunsvig. c. 57. fol. 103.

per dies decem) Undecim dies durabunt induciae, duodecimo die renovabitur, εἴπερ ἀνάγκη, certamen; ait Priamus Hom. 664.

II. *domum redire cupiens*) Quintum Smyrnaeum, qui cum Penthesilea sua τὰ μεθ' Ὅμηρον exorditur, abhorrere a recentiorum saepe futilibus figmentis, et cyclicorum plerumque poetarum legere vestigia, eumque quasi succedere in locum deperditorum cyclicorum, inter alios docuit Tychsen. Prolegom. ad Quint. Sic statim hoc loco quae narrantur, Penthesileam cognita Hectoris morte domuitionem paravisse, ad postremum autem Paridis illectam auro remansisse, cum meri speciem figmenti praeferant, tum Quinti silentium indicat, non esse ista cyclicorum. Dictyn Graecum in tota fabula sectati sunt Malelas p. 159. Cedrenus p. 105. et plerumque etiam Tzetzes posth. ab init. cf. v. 21.

seorsum a Troianis) Apud Quint. I. 177. et Tzetz. posth. 43. Amazones mixtae cum Troianis in aciem constituuntur. — *altero peditibus*) Malelas: ἵστανται οἱ μὲν τοξόται τὸ δεξιὸν λαβόντες μέρος, οἱ δὲ ὁπλίται πεζοὶ — τὸ μέσον ἔχοντες τόπον. Lege τὸν λαιὸν ἔχοντες τόπον. Nam Cedrenus: τῷ λαιῷ δὲ μέρει τοὺς ὁπλίτας πεζούς. Tzetzes posth. 46. καὶ γὰρ ὀϊστοφόρους παρὰ δεξιὸν ἕρκος ἔηκεν, ὁπλίτας δ' ἑκάτερθε, σιδήρεον ἔμμεναι ἕρκος. — *peditibus Aiaces duo*) Peditibus Tzetzes posth. 86. opponit Aiacem, Nestorem, Idomeneum, Ialmenum et Agamemnonem. Neglegentiae imputandum, quod Malelas p. 160. *equitibus* opposuit Aiaces, et paulo infra tamen scripsit, ab Aiacibus profligatos esse *pedites*. In cetera acie Tzetzen ante oculos habuisse Dictyn, licet paulo diversa canat, palam est.

cadunt sagittis reginae plurimi) Paucis absolvuntur Penthesileae praeclara facta, quae a Quinto copiose canuntur. Multis a regina occisis, omnes Graeci in fugam coniiciuntur (Quint. I. 335.), quae tanta erat, ut navium incendium metuerent (v. 494.), et saepe ad maris fluctus Graeci pellerentur (Tzetz. posth. 38.). — *Aiaces*) Aiacis et Achillis virtus celebratur a Quint. I. 377; Aiacis et Teucri a Malela.

III. *inter equitum turmas*) Regina obviam it Aiaci et Achilli, atque ab Aiace vulneratur. Mox Aiax missa re-

gina Troianis et Amazonibus se fert obvium, certamen autem cum regina fortiori committit Achilli. Quint. I. 538. — *hasta petit — equo deturbat*) Quint. I. 619; Tzetz. posth. 172. De seqq. vid. not. cr.

foeminis — abstinentes) Malelas: ἀπεχόμενοι τῶν γυναικῶν Ἀμαζόνων· ἅστινας ὁ στρατὸς ἅπας δεσμεύσας ἐμερίσατο. Cf. Cedren.

placitumque, uti) Contumeliosa haec consilia vix sunt Dictye antiquiora; ex quo ea petiere Malel. p. 161; Cedren.; Tzetz. posth. 207.

interfectam eam) Non interfecta ab Achille in pugna est, sed tum demum animam efflavit, cum Diomedes in Scamandrum eam praecipitasset, referentibus Malela, Cedreno et Tzetza, haud dubie ex Graeco Dictye, quem paulo negligenter expressit Septimius, scribens *interfectam eam*. Accuratius Malelas: ὁ δὲ Ἀχιλλεὺς ᾔτει θανοῦσαν αὐτὴν ταφῆναι i. e. si mortua esset. Ab ipso Achille equo deiecta occiditur apud Quintum. — *sepelire sapiens*) Amorem enim Penthesileae luctumque ob eius necem animo conceperat Achilles. Ex Arctin. Aethiop. Quintus I. 671. 718; ex eo Tzetz. posth. 199. Cf. Propert. III. 11. 15; Pausan. V. 11. — *a Diomede prohibitus est*) Post Arctinum Quintus (v. 722.) ita: Achillem Penthesileae fatum miserantem conviciis sectatur Thersites, quem is pugno inflicto necat. Quo facto Diomedes affinis manum contra Achillem sustulit; cumque Achivorum principes in duas factiones divisi eum retinerent, strictis gladiis utraque pars concurrisset, ni amici intercessissent. Tum Atridae, Penthesileam lugentes, reginam Troianis reddiderunt sepeliendam. Narrationem de Thersitae morte Arctinus in Penthesileae fabulam transduxit ex Hom. Il. II.

in Scamandrum praecipitat) Apud Arctinum et Quintum Troiani Penthesileae iusta faciunt. v Iacobs ad Tzetz. posth. 207. Interfectam eam sepultamque esse ab Achille canit Tryphiodorus v. 37. quem hanc in rem citat Tzetzes posth. 209. Cf. Serv. ad Aen. I. 491. — Apud Dion. Chrysost. p. 353. Vol. I.; Daret. 36; Iscan. VI. 634. et Henric. c. 79. fol. 133 sq. Penthesilea cadit a Neoptolemo, Achil-

lis filio. Ptolemaeus Heph. VI. tradit, Achillem a Penthesilea interfectum rogasse Thetidem matrem, ut in vitam ipsum revocaret; quo facto eum, Penthesilea interfecta, ad inferos reversum esse.

IV. *Memnon, Tithoni atque Aurorae*) Idem genus referunt Homerus Od. IV. 188; Arctinus, Hesiodus Theog. 984; Quintus II. 494. et veterum plurimi. Cf. Creuzer. Symb. und Mythol. Thl. I. p. 454. not. 218. Antiquissima Memnonis mentio est Hom. Od. l. l. et XI. 521. Eius ad Troiam adventum pugnamque cum Graecis in primis nobilitavit Arctinus in Aethiopide, et post eum exque eo Quintus lib. II. Cf. Iacobs ad Tzetz. posth. 215.

Indorum atque Aethiopum) Etiam Arabum. Tzetz. posth. 232. 252. Plurimi veteres non nisi Aethiopas nominant ex Aethiopumque terra Memnonem Troiam venisse perhibent, quorum etiam rex fuit. Hesiod. Theog. 985; Quint. II. 32. 101; Philostr. Heroic. III. p. 699; Dio Chrysost. p. 351. Vol. I.; Tzetz. posth. 215. Fuit quidem Aethiopum rex, ait Pausan. X. 31, verum ad Troianum bellum profectus est non ex Aethiopia, sed a Susis, Persarum urbe; quae Memnonis urbs nominatur etiam Herodot. V. 53. VII. 151; Aelian. N. A. V. 1. XIII. 18; Eustath. ad Dionys. Perieg. p. 133. Steph.. Nostro loco recte Vindingius Aethiopes Asiae intelligit. De amplis Aethiopum sedibus fuse disputat Strab. I. p. 20 sqq. Indos in Memnonis exercitum videntur introduxisse recentiores. Const. Manasses p. 24. Indorum regem nominat *Pantanin*, qui Priamo auxiliatum misit ducem Memnonem cum ingentibus copiis. Plures Indorum hisque subiectorum populorum reges in exercitu fuisse, eosque omnes sub auspiciis militasse Memnonis, utpote omnium potentissimi, ditissimi et bellicosissimi, narrant Malelas et Cedrenus. *Teutamum*, potentissimum Troiani belli tempore Assyriorum vasti regni dominum, vigesimum a Nino et Semiramide, cuius opem Priamus bello oppressus, utpote Assyriis subditus, per legatos implorasset, ducem suum Memnonem, Tithoni (praefecti Persarum) filium, aetate florentem atque animi corporisque viribus praestantem, auxilio Troianis misisse cum decem millibus Aethiopum totidemque Susianis et

ducentis curribus: haec in scriptis regiis Persae tradebant contineri, teste Diodor. II. 22. In hoc tempus consentit Manethon Aegyptius, qui regem *Tautamem* vocat, Latino, Aboriginum in Italia regi, aequalem. Metasthenes Persa nuncupat *Tautanium*, eumque vigesimum quintum a Nino recenset.

iugis Caucasi montis) Secutus est Dictys veteres poetas, quibus procul dubio etiam cyclici adnumerandi sunt, quorum nonnulli Caucasum in Indicos montes transtulerunt a montibus, supra Colchidem et Euxinum mare sitis, referente Strab. XI. p. 348. Cf. Olear. ad Philostr. Vit. Apollon. II p. 49. n. 2; Meurs. Cret. II. 4. p. 83. De Memnonis itinere Pausanias X. 31. ita tradit: *Φρύγες δὲ καὶ τὴν ὁδὸν ἔτι ἀποφαίνουσι, δι' ἧς τὴν στρατείαν ἤγαγε, τὰ ἐπίτομα ἐκλεγόμενος τῆς χώρας· τέτμηται δὲ διὰ τῶν μονῶν ἡ ὁδός.* cf. Suidas v. *Μέμνων.*

Phala duce) Polydamantem Phoenicum regem ducemque nominant Malelas, Cedrenus, Tzetzes posth. 335; cui Phoenicem adiungit Tzetzes v. 216. 236. Thalium, Mentem et Pyrrhasidem Aethiopem, *φίλον ἑταῖρον* Memnonis, inter duces exhibet Quint. II. 228. 247. Phalam autem nemo non ignorat, eiusque fata hic et lib. VI. 10. descripta. — De Indorum classe Tzetz. 222. cf. Malel. et Cedren.

Neque multo post Rhodii — ferre cuperet) Ecce Rhodii Sidonem, urbem Phoeniciae, patriam suam appellabant. Meursius Rhod. I. 5. p. 12. Male Meursius retulit verba *patria sua*, quae non ad Rhodios, sed ad Phalam Sidonium spectant. De fama, Phoenices Rhodum tenuisse et postea eiectos esse v. Meurs. et Fuchs Quaest. p. 126. De eversa ab Alexandro Sidone diximus ad lib. I. 5.

V. *simul cum luce)* Quint. II. 183; Tzetz. posth. 230. — *Troiani et qui)* Quint. II. 191; quem ante oculos habuit Tzetzes v. 237.

metu ingentis — hostis) Quint. II. 202.

clamore ingenti) Quint. II. 217. 225; Tzetz. 249. — Certaminis descriptio apud Quintum alia. Quinti et Dictyis descriptionem in unum confundit Tzetzes, ut aliis quoque locis amat.

nisi in fuga) Quint. II. 353. Μέμνων σεύεσκεν ἐπ' ἠόνας Ἑλλησπόντου Ἀργειούς. Cf. Tzetz. 267. — *ni nox*) Nox dirimit proelium etiam apud Malel., Cedren. et Tzetz. 291. Apud Quintum omnis cum Aethiopibus res uno die peragitur.

VI. *sorte eligi*) Silet sortitionem Quintus. Ex Dictye eam expressere Malelas et Cedrenus. Tzetzes v. 309. alios narrare canit, Aiacem Agamemnoni ac principibus Graecorum dixisse: ὑμεῖς μὲν πάντες μετὰ ἔθνεα βαίνετε Ἰνδῶν, αὐτὰρ ἐγὼ κατεναντία Μέμνονος οἶος ἐπέλθω. atque ita scutum quatientem contra Memnonem perrexisse. — Immutasse Dictys videtur ea, quae in Aethiopide narrabantur, Thetin filio Memnonis fata antea aperuisse; dicit Fuchs Quaest. p. 126.

Antilochus — interficitur) Non secundo proelio, neque etiam obvius forte Memnoni cadit Antilochus, sed primo hostium concursu et Nestorem patrem mortis periculo erepturus. Arctin.; Quint. II. 243; Pindar. Pyth. VI. 28; Auson. Epit. Her. VII et VIII; Auctor τῶν Τρ. in Bibl. Uffenb. XII. p. 666; Epigr. in Brunck. Anal. T. I. p. 179. Fundus fabulae est Hom. Od. IV. 199. Antilochum esse ab Hectore interfectum tradunt Ovid. Her. I. 15. (ubi v. Heins.) et Hygin. fab. 113. Non a Memnone, Aethiopum rege, ait Philostr. Her. II. p. 699, occisus est Antilochus, verum a Troiano iuvene eiusdem nominis, in quo Hectore mortuo omnem spem Troiani collocarant.

Moxque Aiax cet.) De Aiacis et Memnonis monomachia nihil Quintus.

curru desilit) Equo vehebatur Memnon, sed cum Achille certavit πεζῇ. Quint. II. 406. Achilles quoque ante singulare certamen currui insederat, sed inita pugna χαμαὶ καββὰς ἀφ' ἁρμάτων cum Memnone congressus est, eumque interfecit. Pindar. Nem. VII. 87. Cf. Welcker. Trilog. p. 433. sq. — *telo foratum*) At Tzetzes v. 330. οὐδ' ἔτορεν κρατερὸν σάκος, ἀλλ' ἄρα Μέμνονα κλῖνεν. — *pergit contra*) A tergo Aiacis adhuc steterat, referentibus ex Dictye Malela, Cedreno et Tzetza. — *nudatum scuto — iugulum*) Tzetzes v. 334. κρύβδην δ' αὐχένι (i. e. εἰς αὐχένα. Iacobs scripsit αὐχένα.) Μέμνονος ἤλασε χάλκεον ἔγχος. Malelas p. 163. τὸ δόρυ

αὐτοῦ βαλὼν εἰς τὸν τράχηλον τοῦ αὐτοῦ Μέμνονος, γυμνωθέντος τοῦ τένοντος. Alia pugnae ratio apud Quintum. A Nestore contra Memnonem excitatus, caedemque Antilochi ulturus, Achilles primum a Memnone vulneratur (v. 400.); sed mox atrocissimo orto certamine *Μέμνονα δῖον ὑπὸ στέρνοιο θέμεθλα Πηλείδης οὔτησε* (v. 542. quae ob oculos habuit Tzetzes v. 306.), cumque humi deiectum spoliavere Myrmidones (v. 545.). — Non occubuisse apud Troiam, et Troiam ne venisse quidem Memnonem, sed in Aethiopia immatura morte e vita ereptum inque nigrum lapidem fuisse transformatum, scivit vanus Philostr. Vit. Apollon. VI. p. 232. Icon. I. 773.

VII. *Polydamas*) Eadem ad verbum Malelas. Cf. Tzetz. v. 335. et Cedren. — *Glaucus*) is, qui Paridem Spartam secutus est (I. 3.), quemque pictum exhibet Pausan. X. 27. A Diomede occiditur Hygin. 112. Sed eum et Eurymanthum fratrem post Troiam captam cum Menelao naufragio in Cretam eiectos, ibi sedem posuisse, narrat Tzetzes apud Meurs. Cret. II. 5.

Ilioneus cum Philenore) Ilioneus Priamides cum Deiphobo memoratur Ovid. Her. XVI. 360; cum aliis Priami filiis in Schol. ad Virgil. Aen III. 6: Ilioneus Dardanides Virgil. Aen. I. 521. Apollodoro III. 12. 5. est *Idomeneus*, Hygino fab. 90. *Proneus*. Ilioneus Troianus a Neoptolemo cadit Quint. XIII. 181. De *Philenore* dixi ad III. 7. not. cr. — De *Agavi* nomine v. Sturz ad Pherecyd. p. 196; Fuchs Quaest. p. 50. — *Agathon atque Glaucus*) De eorum genere Apollod. et Hom. Il XXIV. 249. Glaucus, Hippolochi filius, in pugna circa Achillis cadaver necatur ab Aiace Telamonio Quint. III. 279. — *Asteropaeus*) Priamiden eiusmodi nominis veteres ignorant. Asteropaeus, Pelegonis filius, Paeonum dux, ab Achille cadit Hom. Il. XXI. 140; Quint. IV. 155; Philostr. Heroic. XIX. p. 735. Memoria Dictyn fefellit.

VIII. *in castra recessum*) Troianis in urbem compulsis, Achivi in campo noctem agunt. Quint. II. 631. — Sequentem legationem Quintus ignorat.

suos quisque igni cremant) Tzetz. Posth. 344. *ὄρφνῃ δ' αὖτε ἑοὺς ἑκάτερθε κήαντο ἑταίρους.* Sic ex Dictye scribendum decrevi pro eo, quod edebatur *ἑοὺς ἑκάτερθεν κήαντο*

νεκρούς. Ibid. 350. ἑοὺς γοάασκον ἑταίρους. Iacobsio placuit: ἑκάτερθε νεκροὺς κήαντο.

reliquias — remisere in patrium solum) Qui fuerint necessarii, dicitur lib. VI. 10. Ibidem ossa Memnonis in Phoenicia sepulta feruntur: de qua discrepantia ibi disputavi. Apud Quintum venti, Aurora monente, cadaver Memnonis auferunt, et ad Aesepum flumen portant, ubi ab Aethiopibus sepelitur. Atque fuit ad Aesepi ostia κολωνὸς, ἐφ' ᾧ τάφος δείκνυται Μέμνονος τοῦ Τιθώνου, teste Strab. XIII. p. 404. Ipsa Aurora ossa aufert apud alios. v. Welcker Trilog. p. 432.

cadaver Antilochi) Funus Antilochi Arctinus cecinit post Achillis mortem; noster et Quintus illud ante eius mortem celebrant. Arctinum secutus est Tzetzes. De funere et luctu Quint. III. init.; Philostr. Heroic. III. p. 699.

ad coelum ferunt) Haud inepte comparabis illa Pindari Nem. VI. 81. πέταται δ' ἐπί τε χθόνα καὶ διὰ θαλάσσας τηλόθεν ὄνυμ' αὐτῶν (Aeacidarum). καὶ ἐς Αἰθίοπας, Μέμνονος οὐκ ἀπονοστάσαντος, ἐπᾶλτο.

IX. *Graeci — lacessentes*) Achilles ad pugnam provocat Troianos. Quint. III. 10; Malel. p. 164; Cedren. p. 106.

in flumen praeceps) Quint. 23. νεκύεσσι περιστείνοντο ῥέεθρα Ξάνθου καὶ Σιμόεντος. cf. Tzetz. 355.

Lycaon) Eum forte occupatum ramis abscindendis cepit Achilles, Lemnumque vendidit (post Lyrnessi et Pedasi expugnationem et ante distributionem λαφύρων hoc fit in Cypriis): Iason, qui eum emerat, misit Arisbam; unde cum aufugissit, ad Priamum rediit. Sed postea iterum in Achillis, post Patrocli caedem ad flumen Xanthum ingenti strage adversum Troianos saevientis, manus devenit atque occiditur. Hom Il. XXI. 34—135.

Troilus) Troili, Priami filii (aliis Apollinis. v. Heyn. ad Apollod. p. 762.), mors pertinet ad res ante Iliadis tempora gestas. Interfectus enim ab Achille est eodem tempore, quo Lycaon Lemnum veniit, ut ex Procli Exc. discimus. Post Homerum Il. XXIV. 257, ubi Priamus inter filios ab Achille in pugna occisos refert etiam Troilum, fabulam exornarunt cyclici, in primis Cypriorum scriptor. Sed varie a veteribus

fabula tractata est. v. Heyn. ad Virgil. Aen. I. Exc. XVII; Fuchs Quaest. p. 45. Cum Dictye, ut in Lycaonis, sic in Troili fatis, antiquiorum facit nemo. — De aetate et pulchritudine Troili Iacobs ad Tzetz. Posth. 383. Eius virtutem mire extollunt Dares eiusque sectatores.

X. *solemne Thymbraei Apollinis*) Huius de Achillis morte, ab Homero, Arctino et Quinto (v. Iacobs ad Tzetz. Posth. 385.) multo discrepantis et a posterioribus in singulis vario modo exornatae et amplificatae, a nemine autem quam a Dictye uberius enarratae, fabulae originem in antiquo poeta, tragico putat Iacobsius, fuisse reconditam, apparet ex tot scriptoribus, qui quoad rei summam parum diverse eam celebrant, ut praeter perpetuos fere Dictyis sectatores, Malelam, Cedrenum, Tzetzen v. 391. et ad Lycophr. 269; Const. Manassem p. 24; etiam Hyginus fab. 110; Servius ad Aen. VI. 57; Philostratus Heroic. XIX. p. 737. Vit. Apollon. IV. p. 149. In singulis quibusdam rebus Dictyn hic immutavit Dares c. 34, quem descripsit Henricus c. 73. fol. 126 sq. — Quod fuerit solemne, definiunt Malelas, Cedrenus et Const. Manasses. Malelas ita: *Μετὰ δέ τινας ἡμέρας ἡ τῶν Ἀναθημάτων ἑορτὴ καὶ ἀνοχὴ γέγονε τοῦ πολέμου, θυσιῶν γενομένων, θυόντων τῷ Θυμβραίῳ Ἀπόλλωνι ἐν τῷ ἄλσει, τῷ ἀπὸ μικροῦ ὄντι τῆς πόλεως, τῶν Δαναῶν καὶ τῶν Τρώων.* Quod festum veteres ignorant.

XI. *Alexander — cum Deiphobo*) Hi interfectores Achillis nominantur a Malela, Cedreno, Tzetza, Const. Manasse, Hygino et scriptore Argumenti ad Eurip. Hecub. Interficit Paris Virgil. Aen. VI. 57: Apollo Quint. III. 60: Apollo Paridis specie Hygin. fab. 107: Paris et Apollo Hom. Il. XX. 359; Arctin. in Aethiop.; Ovid. Met. XIII. 501; Horat. Od. IV. 6. 1. et apud veterum plurimos. — *ad aram*) Servius ait, Paridem post Thymbraei Apollinis simulacrum latuisse, et venientem ad foedus Achillem missa sagitta vulnerasse.

gratularique super his, quae) Const. Manasses: *ὁ μὲν Δηΐφοβος προσφὺς ἐφίλει τὸν Πηλέως, φίλης νύμφιον ἀδελφῆς αὐτὸν κατονομάζων.* — *quoad Alexander*) Malelas: *Περιπλακέντος δὲ τοῦ Δηϊφόβου τῷ Ἀχιλλεῖ, καὶ ὁ Πάρις ἀπὸ τῶν πλευρῶν, αὐτοῦ καταφιλοῦντος αὐτὸν, ἐβάπτισεν ὁ ἐπε-*

φέρετο ξίφος. Τοῦ δὲ Δηϊφόβου κατάσχοντος τὸν Ἀχιλλέα, δευτέραν ἐπιφέρεται πληγὴν ὁ Πάρις τῷ Ἀχιλλεῖ, καὶ λοιπὸν ἔκλυτος ἐγένετο καὶ ἔπεσεν. — parte alia) Malelas: *δι' ἄλλης ἐξόδου τοῦ ἄλσους. — non temere est*) Malelas: *οὐκ ἀγαθόν τι εἰσὶν ἐργασάμενοι οὗτοι· εἰσέλθωμεν πρὸς τὸν Ἀχιλλέα. — turbati ac trepidi — prosiluere*) Philostratus Heroic.: *φευγουσῶν ἐκ τοῦ ἱεροῦ τῶν Τρωάδων καὶ τῶν Τρώων ἐσκεδασμένων, οὐδὲ γὰρ τὸ πτῶμα τοῦ Ἀχιλλέως ἀδεῶς ἤνεγκαν. — dolo me atque insidiis*) Malelas et Cedrenus: *δόλῳ εἰργάσαντό με Πάρις καὶ Δηΐφοβος διὰ Πολυξένην.* Alia respondet Achilles Tzetz. posth. 413.

XII. *eripere Achillem nitentes*) Quint. III. 216.: *εἰρῦσαι μεμαῶτες εἰς Ἰλίου ἱερὸν ἄστυ. — illudere cadaveri*) Paridis verba apud Quint. 210.: *τόνδ' ἡμεῖς εἴπερ τε, ποτὶ πτόλιν εἰρύσαντες, θήσομεν οἰωνοῖσι ἀερσιπέτῃσιν ἐδωδήν.* Dares c. 34. *quem Alexander auferri et volucribus proiici iubet.*

certamen brevi adolevit) Pugnam de Achillis cadavere in Scaeis portis exortam acerrimam, cuius prima mentio est apud Hom. Od. V. 310. XXIV. 27. nobilitavit Arctinus in Aethiopide, et post eum fuse canit Quint. III. 212. — *Aiax*) Cuius in hoc certamine summam virtutem celebrat Quintus v. 217. At longe alios apud eum (v. 228.) caedit Aiax, in quibus primo loco Agelaum Maeoniden, non *Asium Dymantis*, qui occiditur Hom. Il. XVI. 717. *Nastes et Amphimachus* in pugna cum Penthesilea a Megete cadunt Quint. I. 281. Amphimachus, Cteati filius, ab Hectore interficitur Il. XIII. 185. — *Aiax Oilei et Sthenelus*) Apud Homerum, Arctinum et Quintum Ulixis potissimum virtus cantatur. — *in muris salutem*) De Troianorum ingenti strage et in urbem fuga Quint. III. 351.

XIII. *Graeci Achillem ad naves referunt*) Apud Quint. 385. *βασιλῆες*; apud Arctin., Ovid. Met. XIII. 284. et Tzetz. 426. Aiax. Homerus Od. XXIV. 43. canit: *αὐτὰρ ἐπεί σ' ἐπὶ νῆας ἐνείκαμεν ἐκ πολέμοιο.* Fuerunt, qui narrarent, Achillis cadaver in Troianorum venisse potestatem, qui *λύτρα Ἕκτορος αὖθις ἑλόντες* Graecis illud reddidissent. v. Tzetz. 429. et ad Lyc. 269.

plurimi militum haud condolere) Non nemo Graecorum

lacrimas fudit (Hom. Od. XXIV. 61.). Prae luctu ad naves currunt Graeci, Troiam relicturi; quos prohibet Nestor (v. 45.). Lugent omnes Musae, et Thetis mater cum deabus marinis flentes ad funus accurrunt (v. 47; Quint. 592. 661; Pindar. Isthm. VIII. 124.). Ipsi Achillis equi summo luctu affecti (Quint. 740.).

ex Ida apportata ligni vis multa) Quint. 674. *ἀάσπετα νηήσαντες δοῦρα, τά οἱ φορέοντες ἀπ' οὔρεος Ἰδαίοιο πάντες ὁμῶς ἐμόγησαν.* De funere Achillis, quod apud Dictyn breviter absolvitur, ut hominis haud ita magni, nobilis locus Od. XXIV. 63.: plura Quint. 665; Philostr. Heroic. XIX. 12 sqq. — *amicissimum et — coniunctum*) Quint. 427. *Αἴας δ' ἐν πρώτοισι, μέγα στενάχων, ἐγεγώνει, πατροκασιγνήτοιο φίλον ποθέων ἅμα παῖδα.* Semper amici erant Aiax et Achilles. Philostr. Heroic. XI. p. 719.

XIV. *Eurypylum — adventare*) Post Paridis mortem *Εὐρύπυλος ὁ Τελέφου ἐπίκουρος τοῖς Τρωσὶ παραγίνεται, καὶ ἀριστεύοντα αὐτὸν ἀποκτείνει Νεοπτόλεμος.* Procl. ex Leschae Mityl. parva Iliade. Quintus Eurypyli adventum nobilitat post *ὅπλων κρίσιν.* Antiquissima fabulae mentio est Hom. Od. XI. 518.

illectum praemiis) Missis a Priamo legatis primum ob matrem Astyochen auxilium recusaverat Eurypylus. Ad postremum tamen mater multis donis a Priamo, qui praeterea unam ex filiabus Eurypylo promiserat, illecta filium auxilio misit. v. Eustath. ad Hom. Od. XI. 520. (*γυναίων εἵνεκα δώρων*). Totam fabulam narravit Acusilaus, teste Schol. Hom. l. l. cf. Accusilai fragm. p. 220 sq. ed. Sturz. — *vitem quandam auro effectam*) Miserat Astyochae *χρυσῆν τινὰ ἄμπελον,* ait Eustath. l. l., quam Iupiter pro rapto Ganymede muneri dederat Troi patri. Cf. Ptolem. Heph. VI. et quae adnotat Obrechtus.

Ceteiisque) Vid. not. cr. *Κήτειοι, Μυσῶν ἔθνος. Ἀλκαῖός φησι τὸν Κήτειον ἀντὶ τοῦ Μυσόν.* Schol. Hom. Od. XI. 520. Cf. Sturz. ad Pherecyd. fragm. p. 191 sq. Inter Ceteios et Mysos discrimen fuisse, quale inter Maeones et Lydos, affirmat Niebuhr Röm. Gesch. Thl. I. p. 241.

XV. *in Sigeo sepelivere*) Hom. Od. XXIV. 82. *ἀκτῇ*

ἐπὶ προὐχούσῃ, ἐπὶ πλατεῖ Ἑλλησπόντῳ. quem versum expressit Quint. 739. *ἀκτῇ ἐπ' ἀκροτάτῃ παρὰ βένθεσι Ἑλλησπόντου.* Tzetz. 465. *Σιγείοιο παρ' ἄκρας.* ubi etiam urbs *Ἀχίλλειον,* teste Steph. Byz. v. *Ἀχίλλειος δρόμος.* Alia ab his longe diversa, quorum videtur in Arctini Aethiopide fons esse (Proclus enim: *καὶ μετὰ ταῦτα ἐκ πυρᾶς ἡ Θέτις ἀναρπάσασα τὸν παῖδα εἰς Λευκὴν νῆσον διακομίζει.*), lege sis apud Tzetz. ad Lyc. 186; Schol. Pind. Nem. IV. 79; Pausan. III. 19; Mel. II. 7. Ad portam Thymbraeam Achillem a Graecis, concedente Priamo, sepultum esse, refert Henric. c. 73. fol. 127. — *adiunctaque simul Patrocli*) Hom. Od. XXIV. 76; Epigr. in Brunck. Anal. T. I. 181. — *mercede locat Aiax*) Omnis exercitus maximo luctu sepulchrum exstruunt apud Hom. et Quint.

Pyrrhus, quem Neoptolemum memorabant) Pausan. X. 27. *Τοῦ δὲ Ἀχιλλέως τῷ παιδὶ Ὅμηρος μὲν Νεοπτόλεμον ὄνομα ἐν ἁπάσῃ οἱ τίθεται τῇ ποιήσει· τὰ δὲ Κύπρια ἔπη φησίν, ὑπὸ Λυκομήδους μὲν Πύῤῥον, Νεοπτόλεμον δὲ ὄνομα ὑπὸ Φοίνικος αὐτῷ τεθῆναι, ὅτι Ἀχιλλεὺς ἡλικίᾳ ἔτι νέος πολεμεῖν ἤρξατο.* A capillorum qualitate Pyrrhum vocitatum scribit Servius ad Aen. II. 263. — *superveniens*) Scil. *ἐξεπέμφθη ὑπὸ Θέτιδος καὶ Πηλέως, ὡς πάππου αὐτοῦ, αἰτηθεὶς ὑπὸ τῶν Ἀχαιῶν, ὡς τοῦ Ἀχιλλέως δόλῳ φονευθέντος, ἐκδικῆσαι τὸ πατρῷον αἷμα.*ut, ex Dictye opinor, retulit Malelas p. 131. etiam ceteris in rebus Dictyn sequutus. Apud Hom. Od. XI. 507. Lesch. et Tzetz. 532. Pyrrhum ex Scyro insula arcessit Ulixes; cui Diomedem adiungit Quint. VI. 64.

tumulum offendit) Longe alium rerum ordinem sequitur Quint. VI. sqq. Scilicet Neoptolemus ad littus Troianum cum appulisset, in summo rerum discrimine Graecos offendens statim arma capit. Iam enim ante eius adventum in proelio inter Graecos Troianosque commisso magnam stragem ediderat Eurypylus. Occisi erant Nireus, Peneleus et Machaon. Ad naves erant repulsi Graeci et obsidione cincti, naviumque timendum incendium. Tandem Graecorum legatis per biduum concessae induciae erant, cum Neoptolemus adveniret summumque periculum animadverteret. Inducia-

rum praetermisso tempore Troiani in eo erant, ut muros Graecorum perfringerent, cum Neoptolemus cum suis contra Eurypylum tenderet. Occiditur Eurypylus, et tum demum, exemtis periculo Graecis, patris tumulum revisit Neoptolemus luctumque incipit. — Dictyis seriem amplexus est praeter Malelam Tzetzes posth. 535.

ad tentoria parentis) ibique patris armis acceptis, statim in certamen descendit. Quint. VII. 435. — *custodem rerum — Hippodamiam*) Addit Malel. p. 131. ἥντινα ἀποδεξάμενος, εἶχεν ἐν πολλῇ τιμῇ, αἰτήσας αὐτὴν φύλακα εἶναι καὶ τῶν ἑαυτοῦ ἐν τῇ πατρῴᾳ σκηνῇ. Καὶ μετ' ὀλίγον καιρὸν τελευτᾷ ἡ Βρισηῒς νόσῳ βληθεῖσα. Respicitur Hom. Il. XIX. 331. quem adumbravit Tzetz. 542. ubi v. Iacobs.

XVII. *biduum interpositum*) Alius bidui in hac belli parte meminit Quint. VII. 152. — *regens medios*) Quint. VII. 352; Tzetz. 547. — *Aiacem*) Telamonium scil.: qui apud Quintum hoc tempore iam defunctus est.

vehementer pavere) In Neoptolemo quippe patris armis instructo ipsum videre Achillem videbantur. Quint. VII. 537; Tzetz. 550. — *Euryp. hortatu*) Quint. VII. 552. — *adiunctis secum regulis*) Quint. VI. 193.

Aeneas) Acie pugnat multosque prosternit Quint. VIII. 93. — Simultatis, quae Aeneae cum Alexandro intercesserit, mentio fit ex Menecrate Xanthio ap. Dionys. Hal. I. p. 38. Sylb. Causa siletur. Respici Hom. Il. XIII. 460. putat Fuchs Quaest. p. 136.

Peneleum — interficit) Quint. VII. 104; Pausan. IX. 6. Apud Tzetz. posth. 648. Peneleus in equo durateo est. — *Nirea obtruncat*) Quint. VI. 372. — Cadere apud Quintum Peneleum et Nireum, cum Pyrrhus necdum e Scyro adesset, supra monui. — *deturbatis*) Quint. VIII. 128.

deiectumque curru) Uterque pedes confligit apud Quintum, qui prolixe de pugna agit lib. VIII. 162. Imago pugnae est apud Philostr. Icon. X. p. 875. — *gladio interficit*) Hom. Od. XI. 515. τὸν Τηλεφίδην κατενήρατο χαλκῷ. — *ablatum — cadaver*) Cf. Philostr. l. l. Quint. VIII. 220. ὁ δ' αὐτίκα τεύχε' ἀπούρας, δῶκε θοοῖς ἑτάροισι φέρειν ποτὶ νῆας Ἀχαιῶν.

ad muros revolant) Ad urbem repelluntur Troiani por-

tasque claudunt. Perfregissent Graeci muros, ni Iupiter nubem urbi offudisset. Quare Graeci ad naves redeunt. Ita Quint. VIII.

XVIII. *patri remittunt*) Apud Quintum (IX. 31.) pactione inter Agamemnonem et Priamum facta mortui sepeliuntur: Eurypylum ipsi Troiani sepeliunt *Δαρδανίης προπάροιθε πύλης.* — Nireus et Peneleus ante Neoptolemi adventum sepeliuntur Quint. VII. 7. 158.

fugientem scelus Alexandri) Helenum, postquam Paride mortuo cum Deiphobo de Helenae nuptiis contenderat, et Deiphobus per vim et potentium ope vicerat, has iniurias fugisse, testantur Conon Narrat. 34. et Tryphiod. 45. — *in templo agere*) In Idam secessisse post iniurias, quas docuimus, ait Conon. — *tradidit sese*) Ultro eum ad Graecos transiisse tradunt etiam Tryphiod. 46; Tzetz. posth. 573; Orpheus apud Tzetz. in schol. ad Posth. l. l. ubi v. Iacobs. Antiqui poetae cecinerunt, Helenum noctu solum Troia exeuntem ab Ulixe ex insidiis captum et ad Graecorum naves deductum esse. v. Lesch. in Procl. Exc.; Sophocl. Phil. 600; Euripid. Phil. apud Dion. Chrysost. p. 304. Vol. I. Reisk. Varias narrationes ponit Tzetz. 571. et ad Lyc. 911.

tempus Troiani excidii) Vaticinatus nempe est, *ὡς ἔστ' ἀνάγκη, τοῦ παρεστῶτος θέρους Τροίαν ἁλῶναι πᾶσαν*, ut canit Sophocl. Phil. 1324. hoc est, decimo expeditionis anno, ex vaticinio Calchantis apud Quint. VI. 61. cf. Tzetz. ad Lyc. 573; Tryphiod. 47. — Praecinerat etiam Helenus, Troiam capi non posse, priusquam Philoctetes Lemno adductus esset (Sophocl. Phil. 608.); priusquam Achivi e Troia abstulissent Palladium (Conon Narrat. 34.); ligneo equo Troiam capiendam fato destinatum esse (Conon l. l.); atque alia. Vid. Tzetz. posth. 575. ibique Iacobs.

XIX. *spatium certaminis*) Ex Hom. Il. III. 344. ubi Paris et Menelaus certant *διαμετρητῷ ἐνὶ χώρῳ.*

Alex. incassum sag. contendit) Quint. X. 212. Tria quae sequuntur vulnera sunt commentum recentiorum, in primis Dictyis, quem expressere Malelas p. 140; Cedrenus p. 107; Tzetzes posth. 585. et ad Lyc. 911. 64. Apud Quintum (Leschen secutum), ubi Paris primus iaculum incas-

sum misit, Philoctetae unum iaculum παρέθρισε φωτὸς (Alexandri) ἐπιγράβδην χρόα καλὸν (X. 238.), alterum eum vulnerat βουβῶνος ὕπερθε (v. 240.). — *interficit*) Non in ipsa pugna occisus est, sed vulneratus proelio excessit; et cum ex vaticinio Oenone tantum mederi ei posset, pristinam uxorem adiit: qua medelam recusante, decessit. Sic Quint. X. 241; Apollod. III. 12. 6; Conon Narrat. 34; Parthen. Erot. 4. A Dictye diversi abeunt ipsi Malelas et Cedrenus; quorum ille p. 140.: καὶ πίπτει ὁ Πάρις. i. e. Philoctetes ῥίπτει Πάριν εἰς γῆν, ut ait Cedrenus p. 107. — Interficitur Paris ab Aiace apud Daret. c. 35. et Henric. c. 75. fol. 129.

XX. *caesa vis multa*) Quint. XI. 298.

super muros siti) Quint. XI. 336. οἱ δ' ἀπὸ πύργων μάρναντ' Ἀργείοισι. — *saxa — volvere*) Ulixes suis auctor est, ut testudine facta ad muros subeant: quae tamen Aeneae virtute ingenti immisso saxo dissolvitur. Quint. XI. 358. — Pervenimus ad nobilissimam Troiae obsidionem, quam post Leschen (Procl. Exc. καὶ οἱ Τρῶες πολιορκοῦνται) exque eo fuse depingit Quintus lib. XI. inde a v. 330. Verum Lesches post Eurypyli caedem, Quintus et Dictys post Paridis mortem eam celebrant.

sagittis proturbat) Aiax Locrus missilibus de muro pellit Troianos. Quint. XI. 440. — *ni nox*) Aliter Quint. XII. init.

XXI. *initium lugendi*) Luctum Neoptolemi ad Achillis tumulum ante Paridis mortem narrat Quint IX. 46. Phoenicem et Myrmidones adfuisse testatur etiam Quint. 63. — *comas — deponit*) Tzetz. posth. 536. κειράμενος δ' ἀνέθηκεν ἑὴν χρυσότριχα χαιτήν. Tzetzes ob oculos habuit Hom. Il. XXIII. 141. De comis abscissis et pernoctatione ad tumulum nihil Quintus, apud quem Neptolemus oratione habita tumulum osculat, lacrimas fundens.

filii Antimachi) Hippomachus, unus ex Antimachi filiis, a Leonteo in proelio occiditur Hom. Il. XII. 188; Pisander et Hippolochus ab Agamemnone Il. XI. 122. — Episodium hoc ex aliquo poeta descriptum videtur.

viso cadavere) Antiquorum narrationem cap. 19. paucis reddidi. Oenone, quae prius medelam recusaverat, post Pa-

ridis mortem mutata mente remedia allatura, audita morte et ipsa vitam finivit. — *per moerorem deficiente animo concideret)* Varia Oenonae mortis ratio a veteribes tradita est. In rogum Paridis se iniecit secundum Quint. X. 466.; a turri se praecipitavit secundum Lycophr. Cass. 65; suspendio periit secundum Apollod. III. 12. 6. (*ἑαυτὴν ἀνήρτησεν*), Conon. Narrat. 23. (*ἑαυτὴν ἀνήρτησε τῇ ζώνῃ*), Malel. p. 141. (*ἑαυτῇ ἀπεχρήσατο ἀγχόνῃ*) et Cedren. p. 107. (qui Malelae verba repetit). In diversitate narrationis Dictyis et Malelae non est, quod tantopere offendas. Quemadmodum enim Malelas, qui in Paridis et Philoctetae certamine Graecum Dictyn descripsit et fere ad verbum cum Septimii versione conspirat, in eventu tamen pugnae eum plane deseruit, alios secutus auctores, qui tradidere, Parin telo Philoctetae (non interfectum esse, sed modo) in terram ruisse, atque vulneratum (non interfectum) in civitatem reportatum esse: eodem modo etiam hic loci *voluit* aliter narrare Malelas, spretoque Dictyis figmento, quod nullo antiquioris scriptoris testimonio nititur, amplexus est notiorem fabulam, quam retulere Apollodorus et Conon. Difficilior quaestio versatur in eo, quod Tzetzes posth. 598. Oenonem secundum Dictyn interiisse testis est *βρόχον ἀψαμένην*, et ad Lycophr. 62. *βρόχοις ἀπαγχθεῖσαν*. Perizonius Diss. §. XIII. Graecum Dictyn abhibuisse statuit verbum ambigui sensus *ἀπήγξατο*, quo simpliciter posito frequentissime notatur suspendium, ut erat id genus voluntariae et per moerorem quaesitae mortis usitatissimum, sed tamen etiam alia qualiscunque mors ex tristitia et angore animi nimio orta; Tzetzen autem de suspendio interpretatum, de suo addidisse *βρόχον*. Doctae huic et sagaci opinioni liceat adiungere aliam. Cum scil. certum sit, Tzetzen saepe exscripsisse Malelam, quod multis locis monuit Iacobsius et mihi quoque indicandi passim fuit occasio, potest et nostro loco Tzetzes secutus esse Malelam, quem in suis narrationibus cum Dictyn sequi sciret, Dictyi, quem istic loci non inspexerit, inconsulte tribuit, quae ex scriptore antiquiore repetit Malelas. — *uno eodemque funere)* Quint. X. 484. *Οἰνώνην τε Πάριν τε μίῃ δ' ὑποκάββαλε τέφρῃ.*

XXII. *seditionem extollunt)* Similem seditionem legimus apud Quint. II. init. Scil. Troianis post Penthesileae necem

metu et moerore perculsis cum Tymoetes suasisset, ut urbem desererent, Priamus Memnonis auxilia exspectari iubet. Polydamas Helenam cum opibus et muneribus Graecis reddere suadet, obnitente Paride, unde magna lis inter Troianos exorta Memnonis demum adventu sedata est.

traductam ad se Helenam) Vi et invitis Phrygibus sibi adiunxisse canit Euripid. Troad. 959. Post Paridis mortem eum cum Heleno de Helenae nuptiis contendentem vicisse mulieremque obtinuisse narrant Tryphiod. 45. et Conon. 34. cf. Schol. Hom. Il. XXIV. 351. Eum Helenam duxisse, quia post Paridis necem optimus Priamidarum fuisset, ait Dio Chrysost. p. 355. Vol. I. Varia congessit Tzetzes ad Lyc. 168. 143. cf. Tzetz. posth. 600; Serv. ad Aen. II. 310. Fundus fabulae de his nuptiis est Hom. Od. IV. 276. VIII. 517. quam exornavit deinde Lesches in Parva Iliade. Procl. Exc. *Μετὰ δὲ ταῦτα Δηΐφοβος Ἑλένην γαμεῖ.*

ad Graecos — ire Antenorem) Legationis deliberationumque loco, quae per omnem de Troiae excidio narrationem continuantur, a quibusque et Palladii raptus ligneique equi exstructio pendet, apud veteres agitur de consiliis, quae ceperunt Graeci ad Troianos, quos armis subiicere posse desperabant, fraude opprimendos; quod ut efficerent, equum aedificandum decreverunt, Minervae donum. v. Quint. II. init. In causa legationis ut ipsi Dictyis sectatores discrepare videantur, hinc factum videtur, quod Dictyis copiosas narrationes nimis contraxerint. v. Malel. p. 142; Cedren. p. 108; Tzetz. posth. 605. Occasio ad hanc legationem Antenorisque proditionem effingendam capta esse videtur ex Hom. Il. III. 205. ubi Graecorum legatos hospitio excipit Antenor; praecipue autem ex Hom. Il. VII. 345. ubi in concione Troianorum Antenor suadet, ut Helena cum abreptis opibus Graecis restituatur, itaque finis bello imponatur: sed Paris solas opes, non ipsam Helenam, redditurus est (v. 362.). Quod quum Idaeus praeco ad Graecos retulisset, Diomedes auctor erat suis, ut neque Helenam neque opes acciperent (v. 400.). Loco Idaei Dictys substituit Antenorem: magna redemtionis pretia ex v. 364. sunt adumbrata: Diomedis repulsa (lib. V. 6.) ex v. 400. Sed non Dictyn primum ex

Homero hanc proditionem adornasse, cum ex initio historiarum Livii liqueat atque Virgil. Aen. I. 242. ubi cf. Serv.; tum vero Antenor et Aeneas ipsis verbis proditores Troiae nominantur a Lycophr.' Cass. 340. et a Menecrate Xanthio apud Dionys. Hal. I. p. 38 sq. Sylb. Cf. Ovid. Fast IV. 75. *suasorem Antenora pacis.* ubi Dict. Cret. V. conferri iubet Neapol. Atque etiam unum ex cyclicis poetis proditionis fabulam celebrasse non dubitat Heynius ad Virgil. loc. Exc. VII. Proditionem Troiae varie narrari, omnes autem dicere, Aeneam et Antenorem urbem Graecis tradidisse, refert Henricus Brunsvig. c. 91. fol. 170. fin.

longam — orationem) Alia est apud Malelam et Cedrenum oratio.

parcum in suo cet.) Priamum regem *non avarum* vocat Seneca Tro. 484. Vir *iustus et amicus* est Diodoro Sic. IV. 3. ubi etiam *probitatis* eius exemplum.

Hesionam quippe cet.) Diximus de his ad I. 9. Duas praeterea Dardanus habuit uxores: ex Chryse, Palantis filia, genuit Idaeum et Dymantem; ex Batea, Teucri filia, Erichthonium et Zacynthum. v. Dionys. Hal. I. p. 40. et p. 49. sq. — *Cleomestra*) Cleopatram una cum Ilo, Ganymede et Assaraco nominat Apollod. III. 12. 2. — *Capys*) Assaraci ex Hieromnema filius: Capyis ex Themide Anchises. Apollod. I. l.; Dionys. Hal. I. p. 50.; Diodor. IV. 12. — *Tithonum*) Hunc non Ili, sed Laomedontis filium perhibent Apollod. III. 12. 3; Diodor. IV. 12; Hygin. fab. 270; Schol. Hom. Il. III. 151. — *Hicetaonem, Clytium* cet.) Hom. Il. III. 146; Apollod. l. l. — *se genitum*) Aesyetae filius Antenor. Eustath. ad Hom. Il. II. 693. Verum de matre Antenoris veteres silent omnes: Dictyi est Cleomestra, quae Apollodoro Cleopatra audit. Si recte Dictys retulit, neque figmentum prodit (qualia in genealogiis accepimus lib. I. 9.), tum certe ex eo obscurum Antenoris genus eiusque cum Priamo necessitudo illustraretur. Sed valde dubito de Cleomestra: per eam enim Tros esset maternus Antenoris avus, Antenor consobrinus Laomedontis et Capyis, vetustiorque Priamo et Anchise; atque statuere deberemus, Antenorem recentissimum fuisse Cleomestrae filium, et admodum prove-

cta matris aetate natum, ipsumque Antenorem hoc Troiani belli tempore summam senectutem tetigisse. Haec autem sunt contra veterum poetarum testimonia.

regnumque uni filiorum) Tzetz. ad Lyc. 340. *φασὶ τὸν Ἀντήνορα προδοῦναι τὴν Τροίαν τοῖς Ἕλλησι ἐπὶ μισθῷ τῆς μετὰ ταῦτα βασιλείας.* Splendidorum Antenori oblatorum munerum meminit Auctor *τῶν Τρ.* in Bibl. Uffenb. VI. p. 661.

OBSERVATIONES HISTORICAE

IN

LIBRUM QUINTUM.

IV. *ac pro se deprecaretur*) se reconciliaret Menelai gratiae, ait Henricus Brunsvig. c. 80. fol. 138. Henricus ab hoc inde loco Daretem deserit, et Dictyn plerumque sequitur. — *invisa — omnia desideratusque ad suos reditus*) Hom. Od. IV. 260. *αὐτὰρ ἐμὸν κῆρ χαῖρ', ἐπεὶ ἤδη μοι κραδίη τέτραπτο νέεσθαι ἄψ οἶκόνδ'*. cf. Il. III. 172. 400. 428; Quint. X. 392; Eurip. Troad. 953.

non secus quam Achillem) Soli Achilli virtute cedebat. Vid. Scholion Carcini ap. Athen. XV. p. 695. et in Brunck. Anal. T. I. p. 157. cf Horat. Serm. II. 3. 193.

Antimachum — exsulandum) Quod quum Ulixes postulasset, itemque, ut Troiani belli sumtum Graecis restituerent, illi magno murmure exorto Ulixi et Diomedi exitium minati sunt. Sed mox tumultu sedato Ulixes privato colloquio Antenorem rogavit, quando rem ad finem perducere posset. Tum Antenor de Palladio auferendo praecepta ei dedit. Henric. fol. 138.

V. *Bunomus, Corythus atque Idaeus*) Bunimum et Corythum et Idaeum nominant ex Dictye Malelas p. 140. et Cedrenus p. 107. Quatuor, Bunicum, Corythum, Aganum et Idaeum, novit Tzetzes posth. 440. et ad Lyc. 851. Hos filios non invenio commemoratos a scriptore, qui Dictye est antiquior. Corythum tamen, Alexandri et Helenae filium,

nominant etiam Hellanicus et Cephalon Gergithius ap. Parthen. Erot. 34. et Schol. Hom. Od. IV. 12.: quem ex Alexandro et Oenone natum dicit Conon. Narrat. 23. Cf. Fuchs Quaest. p. 59. et 144. Casu camerae illos filios esse exstinctos, non nisi Dictys auctor est. Corythum ab ipso Paride occisum perhibent Conon et Parthenius. Fortasse ex antiquo poeta fabulam suam desumsit Dictys.

editum — oraculum) Servavit oraculum Dardano datum Dionys. Hal. I. p. 55. Cf. Iacobs ad Tzetz. posth. 511. — *maximo exitio*) Plaut. Bacchid. 4. 9. 29. *Ilio tria fuisse audivi fata, quae illi forent exitio: Signum ex arce si perisset; alterum* etc. Pausan. II. 23. de Palladio: τὸ ἐκκομισθὲν ἐξ Ἰλίου, καὶ ἁλῶναι ποιῆσαν Ἴλιον. Cf. Ovid. Fast. VI. 527. — A nemine loco potuisse moveri, nisi a sacerdote custode; et intra moenia dum versaretur, Troiam nequisse capi; ideoque sine cura fuisse Troianos, refert Henricus l. l.

coelo sublapsum) Pausan. I. 26. φήμη δὲ εἰς αὐτὸ ἔχει πεσεῖν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. *Διϊπετές*, seu διοπετές vocatur ab Apollod. III. 12. 3; Conon. 34; Clem. Alexandr. Admon. p. 30. D. Sylb. Cf. Iacobs ad Tzetz. posth. 511. — *ibique — sedem sui occupavisse*) Vi quadam divina ad murum apud altare magnum sponte se affixit, ait Henric. l. l. At Ilo, Troiam condenti, illud πρὸ τῆς σκηνῆς κείμενον inventum, ab eoque in templo Minervae esse repositum, testis est Apollod. l. l.: Troi illud, Troiae urbis fundamenta iacturo, Asium philosophum dono attulisse, Malelas p. 137; Cedrenus p. 107; Suidas v. *Παλλάδιον*: Dardano ab Iove donatum, Aratinus poeta ap. Dionys. Hal. I. p. 56. Ibidem de pluribus Palladiis ex variis scriptoribus longus sermo. cf Sylburg. ad Clem. Alexandr. Admon. p. 31. A. in Adnot. p. 19; Sturz. ad Pherecyd. fragm. p. 195. — *ligno fabrefactum*) Erat ξύλινον *Ἀθηνᾶς* ξόανον, ἐκτύπωμα, aiunt veteres. Factum illud ex ossibus Pelopis fuisse, refert ex Dionysio Clemens Alex. l. l. De forma Palladii loquitur Apollodorus, cui adde, quae produxit Iacobs ad Tzetz. posth. 511.

VI. *quinque millia*) Binis millibus talentorum auri atque argenti rem decisam esse, infra cap. 8. audiemus. Hen-

ricus fol. 139. ita narrat: convocata concione dixisse Antenorem, inter se et Graecos convenisse, ut Troiani viginti millia selibrarum auri totidemque argenti, atque centum millia quadrantium frumenti darent. Hoc eum dixisse, ut, dum Troiani his rebus comparandis occupati essent, ipse de Palladio rapiendo ageret, nec ulla oriretur suspicio. Tum Antenorem ad sacerdotem perrexisse, Palladii custodem.

VII. *portentum ingens*) Quint. XII. 503. *Ἱερὰ δ' οὐ καίοντο, πυρὸς δ' ἐσβέννυτ' ἀϋτμή, Καπνὸς δ' αἱματόεις ἀνεκήκει· μηρὰ δὲ πάντα Πίπτε χαμαὶ τρομέοντα· κατηρείποντο δὲ βωμοί. Σπονδαὶ δ' αἷμα γένοντο κ. τ. λ.* Sed factum hoc Quintus canit, quo tempore Troiani ligneum equum in urbem iam protraxerant. Dictyn secuti sunt et expressere Malelas et Cedrenus, qui adiiciunt, accidisse hoc portentum *κατὰ τὸν καιρὸν τῶν Ἀναθημάτων* (de quibus v. ad IV. 10.). Cf. Tzetz. posth. 605. ubique Iacobs. — *sacrorum consueta*) Nempe *βοῶν τε κρέα καὶ αἰγῶν*. Tzetz. 606.

subito avis aquila) Hoc monstrum ex Hom. Il. II. 303. et Il. XII. 200. adumbratum esse, vel ex fine huius cap. apparet, ubi Calchas Graecos, mala ex portento sibi eventura putantes, uti bonum animum gerant, hortatur; quae exhortatio sumta ex Il. II. 322. cui compara Auct. *τῶν Τρ.* in Bibl. Uffenb. XXIV. p. 674. qui Homericam narrationem sectatus est. Aquilam autem inseruit Dictys loco immissorum a Minerva, cum equus ligneus in urbem inductus esset, duorum draconum, qui Laocoontem, cuius tela equum foedaverant, cum filiis perdiderunt. De qua fabula Heyn. ad Virgil. Aen. II. 199. Exc. V. De aquila, itemque de sacris Hecubae et Cassandrae iussu (cap. 8.) silent Malelas, Cedrenus et Tzetzes. In utroque portento Dictyn expressit Henricus fol. 140; sed factis pordigiis ita pergit: Territi sunt Troiani ob portenta, et Cassandram adierunt consultum. Quae effatur: prius portentum significat, Apollinem ob templum per scelus sanguine Achillis pollutum irasci. Oportere eos ad sepulchrum ire Achillis ibique accendere lumen; de quo lumine faciendum sacrificio peragendo ignem, qui nunquam exstingueretur. Quod factum. Posterius prodigium significare proditionem cum Graecis compositam Cassandra pronuntiat.

Deinde Graeci interrogarunt Calchantem; qui respondit: portentis significari, Troiam mox captum iri. Tumque Calchas et Crisis (i. q. Chryses) sacerdos suasere Graecis, ut et ipsi Apollini sacrificarent: quod fecerunt fausto eventu.

VIII. *eadem nocte Antenor* cet.) Nexus narrationis hic est: Prodidit Palladium Theano, Minervae templi sacerdos, Antenoris uxor (Hom. Il. VI. 298.), instigata a marito, cui raptum illud tradidit: Antenor Graecis commisit. Quae cuncta gesta sunt opera et insinuatione (cap. 14.) Diomedis et Ulixis, quibus fraudum agendarum partes a Graecis demandatae erant. Totius narrationis fons et origo videtur esse Dictys, unde hausere Malelas p. 138; Cedrenus p. 107; Tzetzes posth. 514; Suidas v. *Παλλάδιον*. Post Leschen Mitylenaeum raptum Palladii veteres ipsis assignant Ulixi et Diomedi. v. Heyn. ad Virgil. Aen. II. 162. Exc. IV et IX. Narrationis antiquissimorum poetarum nexum exponit Fuchs Quaest. p. 141 sq.

magna — praemia) Magna vi auri aliisque promissis Antenor persuasit sacerdoti, nomine Tencas, ut Palladium sibi traderet, clam et nemine conscio, utque diceret, Ulixem illud abstulisse. Eadem nocte Antenor Ulixi Palladium tradidit; et in Graecorum castris dictum est, Ulixem illud fraude rapuisse. Henric. fol. 139 sq.

binis millibus) Malelas p. 143. *χρυσίου τάλαντα β' χίλια, καὶ πρὸς τούτοις ἴσα ἀργύρου.* Cedren. p. 108. *χρυσίου τάλαντα δισχίλια καὶ ἀργύρου τάλαντα δισχίλια.* At Tzetzes in schol. ad Posth. 619. *ἑξακισχίλιά τε τάλαντα χρυσίου καὶ ἀργύρου ἑξακισχίλια.* — Dionis Chrysostomi narrationem posui in Praefat. p. XXXI.

IX. *donum Minervae — equum*) Heleni consilio equus exstruitur etiam ap. Conon. 34. et Tryphiod. 44: suadente Ulixe Quint. XII. 25; Schol. Hom. Il. II. 278; Tzetz. 631; Malel. p. 143; Cedren. p. 108: Calchantis iussu Virgil. Aen. II. 176: Crisis sacerdotis iussu Henric. c. 81. fol. 141: instigante et hortante Minerva Hom. Il. XV. 71. Od. VIII. 593; Lesch. Mityl.; Hygin. fab. 108; Antiphil. Byz. in Brunck. Anal. T. II. p. 171. — *multa materies — advecta*) Nempe

ex Ida monte. Tryphiod. 59; Quint. XII. 122; Tzetz. 634. Memorabilis locus Pausaniae lib. III. 13.

X. *Antenor in eadem verba placitum confirmat)* Iuravit Priamus cum populo suo, ait Henricus c. 81. fol. 142, et rogavit praeterea, ne Helenam punirent: quod Graeci hilariter adnuere.

XI. *tabulatis)* Virgil. Aen. II. 186. *roboribus textis.* ibid. 16. *sectaque intexunt abiete costas.* — *fabricatorem eius operis)* Virgil. Aen. II. 264. *doli fabricator Epeos.* — *rotis interpositis)* Virgil Aen. II. 235. *pedibusque rotarum subiiciunt lapsus.* Tryphiod. 100. *κύκλον ἐΰκνήμιδα ποδῶν ὑπεθῆκεν ἑκάστῳ.* — *quo attractu motus facilius foret)* Tryphiod. 101. *ὅπως πειθήνιος εἴη, μηδὲ βιαζομένοισι δυσέμβατον οἶμον ὁδεύῃ.*

donum Minervae) Incriptum fuit: *Danai Minervae dono dant.* Hygin. fab. 108. Scholiastes Eurip. Hecub. 523. ait: Graecos equum dedicasse *τῷ Οὐλυμπίῳ Διΐ, τῷ τὴν Τροίαν φυλάσσοντι.* de quo Heyn. ad Virgil. Aen. II. Exc. III. et in Not. ad v. 183. — Rogarunt Graeci Priamum, narrat Henricus l. l., num equum Minervae, cui dicatum donum, in templo eius sacrificare licitum esset, ut compensarent raptum Palladii, Deamque redeuntibus in patriam propitiam sibi redderent. Displicuere preces: Antenore autem et Aenea equum magnificentissimum urbis decus praedicantibus, Priamus concessit tandem, licet invitus.

praenunciato Troianis, ut) Cum permultis in fabulis Dictys, si singula spectas, cum antiquitate conveniat, in summa narrationis mirum quantum differt. Secundum antiquorum poetarum fabulam, quam cyclicis praeeuntibus fuse expeditam legimus apud Quintum et Virgilium, usque ad hoc tempus nemo Graecorum in hostilem Troianorum urbem amicum pedem intulerat: quare aliis artibus opus erat, ut persuaderent hostibus, in equo, quo urbem armorum vi inexpugnabilem dolo capere sperabant, nihil subesse fraudis. Crematis igitur tentoriis cum Tenedon navigarent, reditum simulantes, Sinonem, Aesimi filium, apud equum reliquere, ad fraudis et persuasionis munera delectum. Atque Sinonis artes, dracones Laocoonti immissi aliaque portenta post multas

difficultates tandem id effecere, quod apud Dictyn, pacto cum Troianis foedere conciliataque tot artibus amicitia, Graecorum principum persuasio, quae barbarorum credulitati stultitiaeque imposuit, ut equum donum Minervae haberent, eumque dissolutis muris effusa laetitia, pacem somniantes, in urbem exciperent.

magna vis hom. portis egressa) Euripid. Troad. 531. *πᾶσα δὲ γέννα Φρυγῶν πρὸς πύλας ὡρμάθη.* Cf. Virgil. Aen. II. 26; Quint. XII. 353. — *summa laetitia sacrificioque)* De laetitia Quint. XII. 421; Tryphiod. 305. De sacrificio silent veteres. Ex Dictye autem Henric. Brunsv. c. 81. fol. 142. „Sie gingen alle zusammen und geberdeten sich andächtig mit ihren Priestern." Virgilii Aen. II. 239. verba *sacra canunt* non ad sacrificium spectant, sed ad sacra carmina, hymnos. Fiunt sacrificia apud Tryphiod. 446. et Tzetz. 716. sed cum in urbem inductus atque ad templum Minervae equus positus esset.

destruendorum desuper murorum) Quia porta humilior et angustior erat, ait Henric. l. l. Tryphiod. 338. *Ποσειδάων δ' ἀπὸ πύργων σταθμὸν ἀνοιγομένων πυλέων ἀνέκοπτε τριαίνῃ.* Cf. Gloss. — *dissolvuntur)* Virgil. Aen. II. 234. *Dividimus muros, et moenia pandimus urbis.* Quint. XII. 440. *μεγάλης κρήδεμνα πόληος λυσάμενοι.*

ioco — lascivia — feminis ac viris) Virgil. Aen. II. 238; Tryphiod. 340. Ad quem urbis locum equum traxerint, non dicit Dictys. v. Heyn. ad Aen. II. 240.

certatim attrahere festinantibus) Quum plurima huius libri pars typographi curas iam superasset, Osannus, evocatus publice facto Dictyis editionis indicio, ad Welckerum nonnulla dedit de Dictye Cretensi scripta, quae, ut in Museo Rhenano locum caperent quum destinata essent, Welckerus humanissime mecum communicavit, curis meis Dictyacis inserenda. Duo autem praesertim sunt, de quibus agitur: quorum unum ad hunc locum pertinet, alterum ad lib. VI. 1. Igitur ipsa viri celeberrimi verba accipe: „Bei Suidas v. ὁλκεῦσι wird folgende Beweisstelle eines ungenannten Verfassers angeführt: *οἱ δὲ Τρῶες ὁλκεῦσι πολλοῖς καὶ ἀρτήμασιν ἀνάψαντες ὑπότροχον ὄντα εἷλκον εἰς τὴν πόλιν.* Augenschein-

lich ist hier vom troianischen Pferde die Rede, und es verlohnte sich wohl der Mühe zu untersuchen, ob die Worte nicht aus der griechischen Ephemeris des Dictys entnommen seyen. In der lateinischen Ephemeris V. 11. heisst es: *Itaque destructa murorum parte, cum ioco lasciviaque induxere equum, feminis inter se atque viris certatim attrahere festinantibus.* Von Rädern oder Zugrollen ist hier absichtlich keine Rede, weil dieses im Anfang des Abschnittes berührt war: *ima quae sub pedibus erant, rotis interpositis suspenderat.*" Quaeritur, quid significent Suidae verba: ὁλκεῦσι πολλοῖς καὶ ἀρτήμασιν ἀνάψαντες. Cetera enim non possunt ullius in hac disputatione esse momenti. Ὁλκεὺς est *qui trahit.* Ἀρτήματα significant omnia, quae dependent alligata, ut iis aliquid protrahatur, funes, catenae. Ὁλκεῦσι πολλοῖς i. q. ὁλκούντων (vel ἑλκόντων) πολλῶν, *multis trahentibus*, vel etiam *attrahentibus*, a quo nihil differt Septimii *certatim attrahere festinantibus.* Καὶ ἀρτήμασιν ἀνάψαντες i. e. *et funibus* (vel *catenis*), *postquam tales alligaverant*, vel *funibus alligatis.* Ita singula bene se habent, sed integri loci syntaxis sordem trahit, etiam ob repetitionem ὁλκεῦσι — εἷλκον. Verum haec res non obstat, quo minus Suidae verba ex Dictye desumta esse statuas; nam graecam Dictyis orationem saepe hispidam fuisse, vel Malelae declarat expilatio. Quo pacto cum Suidae et Septimiani loci similitudo sit exigua, tum vero inter utrumque prorsus nihil convenit, si cum Kustero scribis ὁλκοῖσι πολλοῖς καὶ ἀρτήμασιν ἀνάψαντες, i. e. *multis funibus* (*loris*) *et catenis alligatis.* Egregie Kusteri emendatio sustentatur prorsus simili loco Tryphiodori, qui v. 306. ita canit: τοὶ δὲ, βοείαις Δησάμενοι σειρῇσιν ἐϋπλέκτοις τε κάλοισιν, Εἷλκον ὑπὲρ πεδίοιο θοῶν ἐπιβήτορα κύκλων Ἵππον. Utram scripturam genuinam iudices, Kusteri verior videtur, si Septimius Dictyis narrationem ad verbum retulit, Osanni coniecturam frustra esse propositam manifestum est. Sed Septimii fidem saepius in dubium vocavimus, id quod hic quoque facere cogimur. Quid enim, quod Henricus Brunsvig. cap. 81. fol. 142. ex Guidone, Dictyis sectatore, ita narret: „Jetzt gingen sie alle zusammen und geberdeten sich andächtig mit den Priestern, und führten ihr Ross und zogen es

an Seilen und wie sie konnten, dass sie es in die Stadt brächten.“ Scilicet priora esse ex Dictye, paullo supra indicavimus. Ex graeco Dictye sunt etiam: „und sie zogen es an Seilen und wie sie konnten,“ i. e. funibus et quibuscunque trahendi aptis instrumentis, veluti loris et catenis. Latinus contra interpres Septimius ad compendium narrationem retulit, et memoratu digna hic, ut aliis locis, latine vertere omisit. Nullus hic dubitationi locus: atque cum Suidas etiam alia ex Dictye petierit, et Tryphiodorus quoque multa habeat singularia, quae Tryphiodoro et Septimio solis sunt communia, ut ad verbum paene Tryphiodorum ex Dictye ea descripsisse existimaveris, his ex causis et Suidae verba ad Dictyis graecam Ephemeridem reducenda esse contenderim, atque etiam Tryphiodorum loco descripto et alibi passim ad graecum Dictyn respexisse (quod in Praefat. p. XXVI. cum aliqua dubitatione affirmavi), ingenue et aperte edixerim.

XII. *ad Sigeum*) *Tenedum* Graecos, incensis tentoriis, concessisse, uno ore tradunt Lesches, Virgil. Aen. II. 21; Quint. XII. 366; Tryphiod. 217; Hygin. 108; Tzetz. 680; Malel. p. 143; Cedren. p. 108.

multo silentio) Virgil. Aen. II. 255. *tacitae per amica silentia lunae.* — *intravere moenia*) Qui ex equo ligneo a Sinone aperto proruperant, interfectis custodibus portas aperuere et socia arma iunxere. Virgil. Aen. II. 259. Ne mirum tibi videatur, quod Dictys heroes in equo durateo latentes silentio praetermiserit; quippe qui persuasum habuerit, tot homines in equi alvo locum habere non potuisse. Eludit fabulam ab Homero inde tam decantatam Dio Chrysost. p. 556. Vol. I. eamque interpretari molitur Palaephatus cap. 17. — *signum datum*) Quum appropinquarent ex Tenedo Graeci, non postquam urbem iam intraverant et singula loca occupaverant, facem sublatam fuisse, consona est poetarum vox.

divisis — locis) Adumbratum hoc videtur ex Virgil. Aen. II. 332. — *per domos atque vias, loca sacra profanaque*) Virgil. Aen. II. 364. *plurima perque vias sternuntur inertia passim corpora, perque domos et religiosa deorum limina.* — *priusquam armare se*) Cum armata Troianorum manu Aeneas per mediam urbem incedebat, et fortissime pu-

gnatum est, potissimum ad acropolin. Virgil. II. 370; Quint. XIII. 143. — *nulla requies stragis*) Viginti hominum millia periisse, scit Henricus c. 82. fol. 144. — *liberi parentesque — moxque ipsi*) Cf. Eurip. Troad. 557; Quint. XIV. 15; Tryphiod. 603. 556. Talia et similia multa recentiores excogitarunt, ut misericordiam moverent. In historicos, qui in eandem rationem abripiuntur, ut mendaces plerumque invehit Polybius lib. II. 56. Luctus, caedis et incendiorum fons est Hom. Od. VIII. 513.

positis — defensoribus) Pantherae pellem foribus Antenoris domus affixam, ut inde significaretur, intactam eam relinquendam esse, docuit Sophocles in Ilii Halosi teste Strab. XIII. 418. ed. Casaub, pingiturque in Polygnoti tabula apud Pausan. X. 27. Plura Heyn. ad Virgil. Aen. I. 242. Exc. VII; Iacobs ad Tzetz. posth. 743. Ut ab Aenea, quem inter proditores fuisse lib. IV. 22. audivimus, manus Graeci abstineant, suadet Calchas ap. Quint. XIII. 334. Prima Aeneae proditionis semina sparsisse videtur Homerus Il. XX. 180. XIII. 459. v. Heyn. ad Aen. II. Exc. XVII. p. 433.

Priamus — ad aram Iovis anteaed. confugit) Infra: *Priamum Neoptolemus — retinentem utraque manu, ad aram iugulat.* Ex Arctino Proclus: *καὶ Νεοπτόλεμος μὲν ἀποκτείνει Πρίαμον ἐπὶ τὸν τοῦ Διὸς τοῦ Ἑρκείου βωμὸν καταφυγόντα.* Cf. Virgil. Aen. II. 550; Eurip. Troad. 16; Quint. XIII. 222; Tryphiod. 635. *Πρίαμον δὲ οὐκ ἀποθανεῖν ἔφη Λέσχεως*, teste Pausan. X. 27., *ἐπὶ τῇ ἐσχάρᾳ τοῦ Ἑρκείου, ἀλλὰ ἀποσπασθέντα ἀπὸ τοῦ βωμοῦ πάρεργον τῷ Νεοπτολέμῳ πρὸς τῆς οἰκίας γενέσθαι θύραις.* De nece Priami pluribus disputat Heyn. ad Virgil. Aen. II. Exc. XI. — Priamum in Apollinis templum confugisse, et ad dei aram a Pyrrho caesum esse, refert Henricus Brunsvig. c. 82. fol. 144.

domum, in qua Helena erat) Domum Deiphobi. Cf. Hom. Od. VIII. 517. — *Deiphobum — necat*) Expressit Virgilii Aen. VI. 494. *Atque hic Priamiden laniatum corpore toto Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora, Ora manusque ambas, populataque tempora raptis Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares.* Ex Hom. l. l. foedam Deiphobi mortem exornavit Arctinus, ex eo Quintus XIII. 354. alii.

Cassandram Aiax — abstrahit) Virgil. Aen. II. 403. *Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae.* ubi v. Heyn. Exc. X.

XIII. *studium inquirendi*) Tryphiod. 672. *πάντοσε παπταίνεσκον ἀνὰ πτόλιν, εἴ τινες ἄλλοι κευθόμενοι φεύγουσι φόνον πανδήμιον ἄτην.*

ad coacervandum) Videtur hoc descriptum ex Virgil. Aen. II. 760. ubi Phoenix et Ulixes praedam collectam asservant.

incendiis complanata) Aeschyl. Agam. 27. *βωμοὶ δ' ἄϊστοι καὶ θεῶν ἱδρύματα, καὶ σπέρμα πάσης ἐξαπόλλυται χθονός.* Eurip. Helen. 107. *ἤδη γὰρ ἧπται καὶ κατείργασται πυρί; ὥστ' οὐδ' ἴχνος γε τειχέων εἶναι σαφές.* Pinxit Polygnotus Epeum, Troiae muros solo aequantem; prominet inter ruinas solum equi duratei caput. Pausan. X. 26.

Helena sine sorte) Senec. Tro. 915. *me meus traxit statim sine sorte dominus.* De mulierum sortitione nobilis locus Eurip. Troad. 240. Cf. Quint. XIV. 17; Pausan. X. 25 sq.

Achilli inferias missa) Nota Polyxenae fata ex Eurip. Hecub.; Ovid. Met. XIII. 441; Quint. XIV. 179. Varias narrationes digessere Heynius ad Virgil. Aen. III. Exc. XI. et Iacobs ad Tzetz. posth. 498. Nusquam autem lego, mactatam eam esse suadente Ulixe. Achillis imago super tumulum apparens hoc postulaverat. Fit Calchantis suasu apud Henric. c. 83. fol. 147. Troiae rem gestam, ait Dictys cum Virgil. Aen. III. 322; in Thraciae littore Euripides et Ovidius. Tabulas, in quibus Polyxenae fata picta erant, Athenis et Pergami vidit Pausanias, cuius cf. lib. X. 25.

Aethram et Clymenam) Lesches carminibus prodidit, Ilio capto elapsam Aethram in Graecorum castra venisse, ibique a Thesei filiis agnitam Demophoontem ab Agamemnone repetiisse et accepisse. Pausan. X. 25. Quae sunt his contraria et ad Perizonii Diss. §. XXIII. opinionem faciunt, attulit Fuchs Quaest. p. 41. 62 sq. 71. Clymenam inter captivas recenset Stesichorus in Ilii Perside ap. Pausan. X. 26.

adiunctis — filiis) In Polygnoti pictura inter alias lugentes Troianas captivas conspiciebatur etiam Andromacha, cui ad-

haerebat parvulus filius ab ubere abstractus. Hunc e turri deiectum cecinit Lesches, et post eum poetae uno ore. v. Fuchs Quaest. p. 152 sq. De *filiis* Hectoris dixi ad III. 20. Pyrrhum Andromacham cum duobus filiis Thessaliam abduxisse, refert etiam Henric. c. 89. fol. 165.

ut quemque sors cont.) Quint. XIV. 29.

XIV. *super Palladio ingens certamen*) Dissidium Aiacis de possidendo Palladio ex Dictye, primo opinor fonte, hausere Malelas p. 138; Cedrenus p. 109; Henricus cap. 84. fol. 149 sq.; Suidas v. *Παλλάδιον*. Antiquiores ad unum omnes ob arma Achillis certatum fuisse tradunt. Ipsum dissidium ex armorum iudicio adumbratum.

Aiace — expostulante) Funebribus ludis in Achillis honorem institutis, Thetis arma filii fortissimo Graecorum praemio exposuit. Hom. Od. XI. 542.; Quint. V. init. Ceteros principes concessisse Aiaci, praeter Ulixem et Diomedem, nusquam invenio. In armorum iudicio solus Ulixes contra Aiacis postulationem insurgit, et ob merita arma sibi vindicat. Tydiden postulasse negat Ovidius Met. XII. 622. Meritorum utriusque recensionem fuse scripsit, Dictyn opinor secutus, Malelas p. 138; in armorum iudicio Ovidius Met. XIII. init.

adnitentibus Ulixi) Agamemnon, Diomedes eorumque exercitus ab Ulixe, Neoptolemus cum suis ab Aiace steterunt, secundum Malel. p. 144. In armorum iudicio ap. Quint. V. 134. uterque competitor ad Idomenei, Nestoris et Agamemnonis iudicium provocat; qui Nestoris consilio iudicii invidiam declinantes, captivos Troianos iudices constituunt. Apud Ovid. Met. XII. 627. Agamemnon Graecos duces in mediis castris considere iubet, et arbitrium litis traiicit in omnes.

interfici eam iusserat) Manum Helenae illaturus *Aeneas*, interventu prohibetur *Veneris* Virgil. Aen. II. 567. *Menelao* hoc tribuitur ap. Eurip. Troad. 860 sqq.; Quint. XIII. 385; Pausan. V. 18. De servata Helena pluribus disserit Heynius ad Aen. II. Exc. XII.

Ulixi Palladium tradunt) Scil. Agamemnon et Menelaus. Iidem Ulixi Achillis arma adiudicant ap. Hygin. fab. 107: quod ap. Ovid. Met. XIII. 382. faciunt proceres Achivorum; ap. Philostr. Her. XI. 3. et Quint. V. 317. capti Troiani;

ap. Hom. Od. XI. 546. παῖδες Τρώων et Minerva. Minervae ope Ulixem victoriam adeptum esse cecinit Lesches. De his consulendus est Welcker Rhein. Mus. T. III. p. 54 sqq.

XV. *studio in partes discedunt*) Ni omnia me fallunt, Septimius partim nimio brevitatis studio, partim negligentia rerum seriem, quas Dictys prolixe exposuit, non satis caute secutus est. Dictys ita narravit, opinor: „Cum multis verbis inter utrumque competitorem iudicesque res acta esset, et vesperare coepisset, tandem visum est iudicibus, Palladium apud Diomedem deponere: utrique interim quiescendum, donec proximo mane decerneretur, cui pro meritis Palladium tribueretur. Itaque offensus Ulixi, Agamemnoni et Diomedi Aiax in tentorium suum se recepit: ubi per noctem occisus est. Suspicione per exercitum orta, ab Ulixe clam eum cecidisse, Aiacis et Pyrrhi exercitus adversum Ulixem insurrexerunt, eum interfecturi. Tum Ulixes, offensi exercitus vim veritus, clam Ismarum aufugit.‟ Malelae, Cedreni et Suidae, qui in tota fabula Dictyis vestigia presse secuti sunt, consensus veri simillimam efficiunt meam opinionem; quae ex ipso Septimio confirmatur, ponente ad calcem huius cap. verba: *atque ita Palladium apud Diomedem manet*. Nexus scil. desideratur, qui ex Malela, Cedreno et Suida adiuvatur, dicentibus, noctis interventu iudicio diremto Palladium apud Diomedem depositum esse. Ita statuere me coactum vidi, licet cum Septimio plane conveniat Henricus Brunsvig. — Cyclicorum nobilissimam de Aiacis morte fabulam, quae post Leschen fuse canitur a Quinto lib. V. maximamque celebritatem Sophoclis tragoedia nacta est, prorsus deseruit Dictys, silens insaniam ob virtutis iactationem a Minerva Aiaci immissam iraeque a ducibus in ovium gregem conversionem, atque caedem Aiacis in Ulixem conferens. Insaniam quidem gregisque vastationem ignorant etiam alii antiquissimi. v. Welcker l. l. p. 57. cf. 51. Atque ab Ulixe Aiacem interfectum esse praeter nostrum lib. VI. 5. dicit etiam Philostr. Her. XI. p. 720. rhetoris exemplum uterque pariter sectatus. v. Welcker l. l. p. 59. not. 52. — *in medio exanimem*) in lecto suo interfectum et valde concisum. Henric. l. l.

Neoptolemus) Qui scil. ob Aiacis caedem maxime om-

nium Graecorum iratus erat, testibus Malel. p. 144; Henric. c. 84. fol. 150; Quint. V. 487. Apud Sophoclem Teucer invitis Menelao et Agamemnone, apud Quint. V. 611. Graeci Nestore monente Aiacem sepeliunt.

Aiacem cremat) Aiacis ossa cremata esse, canit etiam Quintus. Cap. 16. noster etiam narrat, funus Aiacis per triduum publice susceptum esse, cunctosque reges comam tumulo esse deposuisse. Duas igitur fabulas Dictys confudisse videtur. v. Welcker l. l. p. 74 sq. et 250.

in Rhoeteo sepeliendas) Quint. V. 655; Tzetz. posth. 491; Antipater Sidon. in Brunck. Anal. T. II. p. 23. Ibique ostendebatur monumentum et statua Aiacis, et a Rhodiis conditum est Aeantium. Strab. XIII. p. 595; Mel. I. 17; Solin. 40. 18; Plin. V. 30. Pyrrhum eius cineres urna reconditos sepelivisse prope tumulum Achillis *εἰς τόπον λεγόμενον Σίγριν*, ait Malelas p. 155.

clam Ismarum aufugit) Ventis Ulixem ab Ilio Ismarum delatum esse, ab Homero inde (Od. IX. 39.) poetae cecinerunt. Occultam Ulixis fugam nemo agnoscit praeter Dictyn, quem sequitur Malelas p. 144.

Palladium ap. Diomedem manet) Tradit illud Diomedi amico, ait Henricus, qui adiicit: Post Ulixis fugam ceteros dissidentes duces Antenor reconciliavit, et honesta parata coena ad se invitavit. Etiam in patriam suam Palladium secum duxit Diomedes. Malel. p. 155. In Italia Aeneae illud dono dedit. Cedren. p. 111. extr.; Solin 2. 14. Post captum Ilium in patriam rediens Diomedes cum per noctem ad Phalerum appulisset, et Argivi, qui cum eo erant, in agrum tanquam hostilem populabundi excurrerent, nescientes ob tenebras Atticum agrum esse, Demophoontem aiunt, et ipsum ignorantem Argivorum eam classem esse, ad propulsandos hostes accurrisse, et aliquot interfectis Argivis Palladium eripuisse, domumque abiisse. Pausan. I. 28. Dionysius in quinta Cycli parte tradidit, Palladium, a Diomede et Ulixe Troia ablatum, apud Demophoontem depositum fuisse. Clem. Alexandr. Admon. p. 30. D. Sylb.

XVI. *quo servitium morte solveret*) Quia, poenas ob Polydori caedem expetens, Polymestorem dolo et insidiis ocu-

lorum lumine privaverat, eam ob causam lapidibus Hecubam ab iratis Thracibus obrutam esse, nota fabula ex Eurip. Hec. et Ovid. Met. XIII. 549. Dolorem ob Polyxenae filiae immolationem eius contra Graecos excitase iram, ait Heinricus c. 83. fol. 148. — *multa ingerere maledicta*) Plautus Men. V. 1. 17. *omnia male ingerebat, quemque aspexerat.* Iuvenal. Sat. X. 266. *torva canina latravit rictu.* Σκύλαξ vocatur Lycophr. Cass. 315. Saeviit ut vesanus canis, momordit quemque obvium, lapidibusque petiit, ait Henric. l. l. — *imprecarique infausta omina*) Cedren. p. 109. τὴν Ἑκάβην καταρωμένην τῷ στρατῷ. Tzetz. ad Lyc. 315. ὕβριζε καὶ κατηρᾶτο τοὺς Ἕλληνας.

sepulchrumque ap. Abydum) Unde etiam promontorio supra Abydum positum nomen Κυνὸς σῆμα. — *ob linguae proterviam*) Plaut. l. l. *Non tu scis, mulier, Hecubam quapropter canem Graii esse praedicabant? — Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis: omnia mala ingerebat, quemque aspexerat. Itaque adeo iure coepta appellari est Canis.* Antiquissima fabula, quam habent Euripides Hec., Ovidius et Quintus XIV. 347. est: Hecubam lapidibus obrutam in canem esse conversam. Plura de Hecubae fatis Fuchs Quaest. p. 152.

Antenor — orare) Menelaus Graecos reditus iubet esse memores Hom. Od. III. 140. Nestor ad reditum in patriam hortatur Quint. XIV. 331. — *urgente nav. tempore*) Hiems enim instabat. v. ad. c. 17. init.

Graeci Aeneae suadent) Prorsus contrarium huic cohortationi est, quod canit Lesches in Parva Il. apud Tzetz. ad Lyc. 1263. scil. Aeneam una cum Andromacha captivum a Neoptolemo in Pharsaliam abductum esse. Alii aliter de Aeneae fatis retulere. v. Heyn. ad Aen. II. Exc. XVII. p. 432 sq.

filios Hectoris Heleno concedit) *Andromachen* matrem veterum alii vivente Neoptolemo, cum domum reversus Hermionen peteret, alii post Neoptolemi caedem Heleno concessam tradunt. v. ad lib. VI. 13.

comam tumulo eius deponunt) Tzetzes in schol. ad Posth. 491. Pepli in Aiacem Tel. Troiae sepultum epigramma affert hoc:

Ἁδ' ἐγὼ ἁ τλάμων Ἀρετὰ παρὰ τῷδε κάθημαι
Αἴαντος τύμβῳ, κειραμένα πλοκάμους,
θυμὸν ἄχει μεγάλῳ βεβαρημένα, οὕνεκ' Ἀχαιοῖς
ἁ δολόφρων Ἀπάτα κρείσσον ἐμοῦ κέκριται.

In Brunck. Anal. T. I. p. 178. legitur: *θυμὸν ἄχει μεγάλῳ βεβολημένα, ὡς παρ' Ἀχαιοῖς.* Rectiuś videtur edidisse Iacobsius ad Tzetzen, si quidem respicis ad simillimum Antipatri Sidonii in eundem Aiacem epigramma in Brunck. Anal. T. II. p. 23 sq.

Σῆμα παρ' Αἰάντειον ἐπὶ Ῥοιτηΐσιν ἀκταῖς
θυμοβαρὴς Ἀρετὰ μύρομαι ἑζομένα,
ἀπλόκαμος, πινόεσσα, διὰ κρίσιν ὅττι Πελασγῶν
οὐκ Ἀρετὰ νικᾷν ἔλλαχεν, ἀλλὰ Δόλος.

deturbati expulsique ab ducibus) Adumbratum hoc et immutatum ex Hom. Od. III. 136. ubi Minerva lites inter Agamemnonem et Menelaum excitat. Menelaus omnes Graecos una redire cum iuberet, Agamemnon populum voluit detinere, facturus sacras hecatombas ad Minervae iram placandam. Qui cum asperis dictis altercarentur, Graeci ingenti clamore insurrexerunt: quo factum, ut pars cum Menelao navigaret, pars apud Agamemnonem remaneret. Homerum secutus hoc dissidium pluribus celebraverat Augias Troezenius in Nostis.

Aeantides Glauca genitus) Notus Eurysaces, Aiacis ex Tecmessa filius: ignotus *Aeantides* i. e. Aiacis filius. Malelas p. 167. dicit: Aeantidem esse Aiacis ex Glauca, priore uxore, filium; Eurysacem ex Tecmessa. Philaeum et Eurysacen, Aiacis filios, nominat Plutarch. Solon. c. 10; Banaurum Stephan. Byz. s. v.; Philaean Herodot. VI. 35. et Pherecydes teste Didymo apud Marcellinum de Thucydidis vita, in Pherecyd. fragm. p. 84. ed. Sturz. Glauca soror erat Cycni, de qua lib. II. 13. Glaucam, Telamonis uxorem, Aiacis novercam, novit Diodor. Sic. IV. 10.

XVII. *hiems quae ingruebat*) Igitur ante hiemem capta Troia est, et Graeci in patriam reversi. Media hieme captam Troiam tradit Tzetzes posth. 704; hieme Graecos rediisse Dio Chrysost. p. 358. Vol. I. et Henric. c. 86. fol. 154; undecimo vere Troiam reliquisse Propert. III. 9. 40; prima

aestate Virgil. Aen. III. 8. ubi de tempore disputantem vide Heyn. Exc. II.

Aeneas apud Troiam manet, qui cet.) De hoc loco diximus in Praefat. p. XXVII. — Singularem partim ex Darete, partim ex Dictye adumbratam Henrici c. 85. fol. 151 sqq. narrationem brevi hic exprimendam putavi. Igitur Aeneas ob male servatum iusiurandum, quod Graecis dederat (c. 82. fol. 145 et c. 83. fol. 147; Dares c. 43.), Troiam in perpetuum relinquere iussus est, concessis duabus et viginti navibus, et quatuor mensium tempore, quo ad profectionem se accingeret. Cum interea Antenor multis cum navibus comitibusque armatis Troade excederet, eique redeundi quolibet tempore facultas esset, id aegre ferens Aeneas etiam Antenori perpetuum exilium parare molitus est; atque multis criminationibus tandem perfecit, uti Antenor quoque in exilium a Troianis mitteretur. Relicta Troia tempestatibus iactatus, amissisque multis sociis et opibus vi maritimorum praedonum, in quorum manus devenerat, appulit ad terram, cui nomen *Gerbendia*. (Sequentia, quae sunt ex Dictye descripta, paulo infra referam. Adnecto hic, quae narrat Henricus c. 87. fol. 157.). Interea Aeneae adhuc Troiae versanti profectionemque paranti magnus labor erat, quomodo Troianos contra finitimos populos tueretur, qui incursionibus Troianorum fines vexabant. Ipse exul, ut Diomedem vocarent, suasit. Quo facto Diomedes post octo dierum pugnam vicit, multos hostes occidit, multos cepit. Captos ad unum omnes in patibulo suspendit. Atque ab hoc inde tempore nihil Troiani passi sunt mali, et vitam in pace transegerunt. Mox Aeneas Troiam reliquit et post longos errores Italiam venit.

ex Dardano) urbe septuaginta stadiis ab Abydo distante. v. Strab. XIII. p. 409; Steph. Byz. s. v.; Scylax v. *Τρῳάς*. Aeneas erat Dardanus Troianorumque apud Homerum dux. — *Peninsula* i. e. Chersonesus Thraciae, e regione sita.

Corcyram Melaenam) Praeternavigavit Aeneas Dulichium, Ithacam, Samen, Ambraciam, Chaoniam; petiit proxima Phaeacum rura navesque appulit ad Epirum et Buthrotum, ubi ab

Heleno futura cum cognovisset, Sicaniam inde navigat. v. Ovid. Met. XIII. 711; Dionys. Hal. I. p. 40. Sylb. Appulsum ad Corcyram veteres ignorant omnes. Certe nullum equidem potui invenire testimonium, nullumque attulit Heynius, qui de Aeneae erroribus prolixe agit ad Virgil. Aen. III. Exc. I. p. 560 sqq. Forte intelligit Dictys Corcyram, quae Epiro proxima eique opposita est, confundens hanc insulam cum altera eiusdem nominis; quam quidem confusionem etiam in aliis scriptoribus reprehendere viri docti. v. Kanne ad Conon. Narrat. 3. p. 71 et 75. Erant scil. duae *Κόρκυραι*, ait Eustathius ad Dionys. Perieg. p. 70. Steph. *ἥ τε Φαιακὶς, πρὸς τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ, ἡ καὶ Φαιακία καλουμένη, καὶ Σχερία, καὶ Δρέπανον, καὶ Ἄργος· ἡτέρα δὲ Κέρκυρα ἐντὸς τοῦ Ἰονίου, διὰ τοῦ ō μάλιστα λεγομένη Κόρκυρα, καὶ ἡ Μέλαινα καλουμένη.* Cf. Schol. Apollon. Argon. IV. 983. Utram iusulam significaverit Dictys, illamne, quae ad Acroceraunia in Epiro adiacet, an quae prope Pharum est; quod insulam Corcyram nominat, eo antiquitatem, quam iactat, suo ipse iudicio refellit. Nam Corcyrae nomen longe post Troiani belli tempus his insulis positum. v. Perizon. Diss. §. XXVI. Praeterea in Corcyra Melaena urbs Corcyra non ab Aenea, ut Dictys tradit, sed a Cnidiis condita est, clarissimis testibus Strab. VII. p. 218. et Plin. III. 26. Nonnullorum veterum testimonia, a quibus in Macedonia urbem suo nomine inditam Aeneas condidisse fertur, forte eversurus, aliamque nos veritatem docturus, suam civitatem in Corcyra finxit, imperitus autem geographiae coloniarumque deductarum historiae in magnum errorem abreptus est. Regnasse Aeneam per aliquod tempus in urbe Corcyra, posteaque Italiam navigasse, ex Dictye narrat Ios. Iscan. VI. 891. *Aeneas — in Hadriacas exsul delabitur undas. Hinc urbi Corcyrae novae, quam struxerat ipse, Nomen, et exiguo regnat contentus agello, Romanis olim praemissus moenibus auctor.* Nihil istic tentandum in voce *novae*. Explica: ab hoc itinere novae urbi, quam ipse struxerat Aeneas, obvenit nomen Corcyrae, i. e. ab Aenea in illa insula nova urbs condita est, quam appellavit Corcyram.

Antenorem regno potitum) Antenorem in Troade novum

regnum condidisse, commentum est recentiorum, in primis Dictyis, quod amplexi sunt Dares c. 43 et Ios. Iscan. VI. 883. Inter *τὰ τεθρυλλουμένα* refert Strabo XIII. p. 905, Antenorem Ilio capto Henetos in Italiam duxisse. Varia attulit Heyn. ad Aen. I. 142. Exc. VII. Aeneam in Troade mansisse, Primidarum exstincto genere regnasse, et Aeneadas multos deinceps in regno successisse, antiquissimus testis est Hom. Il. XX. 360. et hymn. in Aphrodit. 197. quibus locis *ipsa res* vaticinii specie involvitur.

rex Cebrenorum Oenideus) Ios. Iscan. VI. 883. *urbe potitur Antenor, regnique decus rex lectus adauget, Adstrictus sociis in foedera laeta Gabinus.* Pro *Gabinus* lege *Cebrenis.* Vid. not. cr. Regem Oenideum ignoro: atque mirum, quod in toto bello, cum proxime Troiae regnarit, ne nominetur quidem, neque sit inter Priami socios. Ab Henrico c. 85. fol. 152. extr. vocatur *Titides*, eiusque terra *Gerbendia* (i. e. Gebrenia, Cebrenia). Henrici autem narratio haec est: Ubi Antenor paucis comitantibus Gerbendiam, ubi iustus erat et pacificus rex Titides, appulit, in planitie prope montem condidit urbem, muris munitam, quam vocavit *Menelon.* Quod quum Troiani, qui in urbe sua remanserant, accepissent, ad eum confluxerunt, et nova urbs facta est magna et potens. Antenor cum Titide, qui propitie eum susceperat, amicitia iuncta, princeps evasit post regem.

OBSERVATIONES HISTORICAE

IN

LIBRUM SEXTUM.

I. *secundante vento*) Hom. Od. III. 158; Quint. XIV. 403. Fausta fuit navigatio per quatuor dies, quinto erupit tempestas, ait Henricus c. 86. fol. 154. — *ad Aegaeum mare*) Recte distinguit partes maris, quod est inter Asiam minorem et Graeciam, partemque occidentalem nomine maris Aegaei nuncupat. Cf. Strab. VII. p. 223; Eustath. ad Dionys. Perieg. 131. p. 22. Steph. — *saeviente mari — dispalantur*) Graecorum prope Euboeam naufragium admodum decantatum est. Cf. Hom. Od. I. 326. III. 134. IV. 495: Augias Troezen. in Nostis; Asechyl. Agam. 650; Eurip. Troad. 77; Virgil. Aen. I. 39; Ovid. Met. XIV. 469; Quint. XIV. 449. Immissa a Minerva tempestas ob Aiacis Oilei commissum in Cassandram facinus. Cf. Fuchs Quaest. p. 160 sq. — *turbatis — officiis*) Quint. XIV. 497 sq.

rex Locrorum Aiax) Aiacem ad Gyras petras adduxit Neptunus servavitque e mari: effugit mortem, invita Minerva, ni impium verbum protulisset. In eum igitur iactantem, se vel invitis diis effugere fluctus, Neptunus saxum abscissum iaculatus est, quo Aiax iterum in mare delatus periit. Hom. Od. IV. 499. Aiacis fata post Homerum tractavit Augias Troezenius, et fuse persequitur Quint. XIV. 530. *Αἴας Λόκρος* inscripsit tragoediam Sophocles. v. Welcker Trilog. p. 441.

Choeradibus scopulis) Inclyti Nauplii face Euboeae promontorii vulgare nomen erat *Καφηρεύς*. Lycophroni Cass. 373. nominatur *Ζάραξ*; ad quem locum Tzetzes scribit: *ὁ δὲ αὐτὸς Ζάραξ κατὰ Φάλαριν καὶ ἑτέρους Καφηρεὺς λέγεται. νῦν δὲ ὁ Καφηρεὺς ἰδιωτικωτέρως Ξυλόφαγος καλεῖται.* Continuatos ex illo promontorio et in mare protensos scopulos super aequora eminentes, Augias Troezenius et post hunc Euripides Helen. 1129. et Seneca Herc. Oet. 802. adpellant *Καφηρίδας πέτρας*, *Capharides petras*; Crinagoras Mitylenaeus in Brunck. Anal. T. II. p. 140. Propertius III. 7. 37. et alii *Καφηρείας πέτρας*, *Capharea saxa*; Quintus XIV. 572. *κρημνοὺς Καφηρέος*; et sic similiterve alii plurimi. Antiquius autem horum scopulorum nomen est *Γυραὶ πέτραι* apud Hom. Od. IV. 500. Lycophr. Cass. 390. Philostr. Heroic. VIII. p. 707. Dictys denique et Lollius Bassus in Brunck. Anal. T. II. p. 161. aliorum opinor exemplo, iis *Χοιράδων πετρῶν* posuere nomen: adde Lycophr. Cass. 367. 373. 389. quibus locis famosa Nauplii fraude saxa *χοιράδες* adpellantur. Quae posteriorum denominatio, si quidem scholiastarum respicis interpretationem, nihil tibi ab Homerica differre videatur. Etenim Philostr. Imag. II. p. 830. *αἱ δὲ Γυραὶ πέτραι εἰσὶν, ὑπερεκφαίνουσαι τοῦ Αἰγαίου κόλπου*: atque Tzetzes ad Lycophr. 367. *Χοιράδες — ὕφαλοι λέγονται πέτραι.* Idem Tzetzes *Choerades* saxa esse ait sub mari latentia et aliquantulum eminentia, ut *porco* (*χοίρῳ*) nanti similia videantur. Simili sorte ab *ἐχίνοις* insulae *Echinades*, et a *σηπίᾳ* littus *Sepiadum* nominata sunt. v. Obrecht. in not. cr. ad VI. 8. itemque a crebris insulis, quae *caprarum* (*αἰγῶν*) similitudinem praebent, *Aegaeum* mare nomen quaesivit. v. Varro L. L. V. et Festus v. *Aegaeum*. — Sic fere scripseram, cum Osanni (v. Obss. ad. V. 11.) mihi traderentur disputata haec: „Dass die Erwähnung der Chöradischen Klippen hier an unrechter Stelle sey, braucht nicht ausgeführt zu werden (man vergl. nur ein ad Philemon. p. 298. mitgetheiltes Scholion): ausserdem fand nach der Sage schon bei Hom. Od. δ. 500. womit Philostratos Imag. II. 13. zu vergleichen, dieser Schiffbruch bei Euboea an den Felsen statt, welche *Γυραὶ* heissen. Leicht wäre hier zu

helfen, wenn wir *Gyradibus* lesen dürften: aber weder *Gyras*, noch *Γυράς* kommt irgendwo vor, sondern immer *Γυραὶ πέτραι*: vgl. noch Philostr. l. c. II. 16. Von selbst wird man aber hier an das Euboeische Vorgebirge *Kaphareus* erinnert, von welchem die *Γυραὶ* nur als eine Fortsetzung erscheinen, und welches wegen seiner Gefahr für Schiffende ebenso gefürchtet als berühmt war: vgl. Lucian. p. 686. C. ed. Bourdelot. Bei diesen Umständen brauchen wir es fast nicht einmal für eine Abweichung von der Sage zu halten, wenn bei diesem Schiffbruch nicht mehr die *Γυραὶ*, sondern das in späterer Zeit weit bekanntere Vorgebirge *Kaphareus* genannt wird, und in der That wird dasselbe in dieser Fabel in einigen der unsrigen ganz ähnlichen Beziehungen ausdrücklich angeführt. Ammian Marcell. XXII. 8. *Caphareus Euboicus scopulus, ubi Nauplius Palamedis pater classem concidit Argivam.* Ein Scholion von Olearius zu Philostr. Vit. Apoll. I. 24. angeführt: *οὗτος ὁ Καφηρεὺς ἐστιν ἀκρωτήριον τῆς Εὐβοίας, ξυλοφάγος νῦν λέγεται, Καφηρεὺς δὲ διὰ τὰς τῶν ἀνέμων ἀντιπνοίας, παρὰ τὸ κάπος, ὃ σημαίνει τὸ πνεῦμα. ὅπου καὶ ὁ Ναύπλιος τοὺς φρυκτοὺς ἐνάψας ἔσφηλε τὸ πνεῦμα (πλεῦμα?) Ἕλληνας.* Noch ausführlicher die beiden Mythographen in Maii Auct. Class. T. III. p. 52. 370. Doch wozu diese spätern Gewährsmänner? Dasselbe Zeugniss gab schon Virgil. Aen. XI. 260. wo die Erklärung des Servius selbst den Worten nach unserer Stelle ähnlich ist. Weiter Valerius Maximus I. 370. Propertius, Ovidius u. a. Darauf bezieht sich auch Dio Chrysostomos Orat. VII. p. 231. ed. Reiske: *βλέπων αὐτόν, μικροῦ δέδοικα, ὥσπερ, οἶμαι, τὸν Ναύπλιον ὁρῶν ἀπὸ τοῦ Καφηρέως ἥκοντα. καὶ γὰρ οἶμαι πυρσεύειν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ἄκρων πλέουσιν, ὅπως ἐκπίπτωσιν εἰς τὰς πέτρας.* Nach allem diesem kann wohl kaum mehr ein Zweifel seyn, dass man *Capharidibus scopulis* lesen müsse, ganz wie Seneca Hercul. Oet. 802. *petrae Caphurides* sagt. Auch bei Dion l. c. steht *Καφηρηΐδες*." Scholion, quod conferri iubet vir celeberrimus, sic orditur: *Χοιράδες πέτραι παρὰ τὸν Ἑλλήσποντον, αἳ καὶ Συμπληγάδες λέγονται. Symplegades* ab aliis vocantur *Συνορμάδες*, ab aliis *Πλαγκταί*; verum *Χοιράδας*

πέτρας nuncupari, non memini. Recte tamen potest retulisse scholiastes, cum *Choeradum* nomen ad omnes ubique gentium scopulos, eadem, qua supra diximus, natura praeditos, potuerit transferri. — Ceterum de Nauplii fraude omnia pervulgata sunt. Palamedis morte cognita ipse Ilium profectus est, vindictam interfecti filii exacturus; sed contemtui a ducibus habitus renavigavit, et odio incensus Graecos in insidias illexit. Cf. Fuchs Quaest. p. 161 sq.

II. *Oeax*) Vid. not. cr.

Aegiale — Diomedem) Veneris odio hoc factum, quae ob vulneratam a Diomede in bello Troiano manum Aegialeam ad adulterium cum Cometa, Stheneli filio, instigaverat. Ovid. Met. XV. 476; Eustath. ad Dionys. Perieg. p. 69. Steph.; Lycophr. Cass. 592. ibique Schol.; Antonin. Lib. c. 37.

Erigonem ex eo edit) Cf. Cynaethon ap. Pausan. II. 18; Hygin. fab. 122; Etymol. M. v. *Αἰώρα*; Schol. Lycophr. 1374; Malel. p. 168; Henric. c. 87. fol. 156. Helenam filiam vocat Ptolem. Heph. IV.

Talthybius Oresten — Idomeneo — tradit) Tam qui servarint Orestem, quam quibus traditus fuerit, alii nominantur ab antiquis. v. Fuchs Quaest. p. 172. Malelas p. 169. et Cedrenus p. 110. narrant, Agamemnonem in bellum Troianum profecturum, Orestem *Schoeneo* tradidisse enutriendum atque instituendum.

Eo — conveniunt) Hunc conventum, aeque ac conatum regum regna sua recipiendi Nestorisque dissuasionem ignorant veteres. Ex Dictye versibus haec celebrat Iscanus VI. 934. *Ergo ubi Graiugenae pulsi civilibus armis Cessere exsiilis, et devenere Corinthum, Singula collatis ultum convicia bellis Ire parant: prohibet Nestor, pacemque suorum Consultu potiore petit: prece flectere cives, Non armis tentare monet; ne publica damna Et regno pariat lis intestina ruinam.*

Teucrus) De conditione Aiaci et Teucro, ut ne alter sine altero in patriam rediret, a patre Telamone proposita, de Teucri exilio et nova Salamine in Cypro condita, per-

vulgata sunt omnia. v. Meurs. Cypr. I. 20. Teucri posteri in Cypro regnabant usque ad Euagoram, qui huius stirpis ultimus erat. Cf. Pausan. II. 4.

Mnestheus — recipitur) Occisum Mnestheum ad Troiam fuisse refert Plutarch. Thes. 35; Troia capta usque ad Mimantem navigasse, Melum autem cum venisset, huius insulae imperium occupasse, rege Polyanacte defuncto, Tzetz. ad Lyc. 911; in Melo mortuum esse, et Demophoontem regnum Athenarum recepisse, Euseb. Chron. p. 18; in patriam reversum, a Thesei filiis expulsum Iberiam venisse, Schol. ad Thucyd. I. 12. — Clymenam Aethrae fuisse filiam, ut hic loci scribitur, nullo veterum testimonio nititur. Affinem eam Aethrae et Menelao fuisse, lib. I. 3. audivimus, ubi vide.

Demophoon — foris manent) At Thesei filios post captam Troiam regnum recepisse testatur Plutarch l. l. (cf. Euseb. l. l.); in cuius sententiam conspirant Pausan. I. 28. cuius verba descripsimus ad lib. V. 15, Tzetzes et Athenaeus, qui sub Demophoonte Orestem iudicatum scribunt, ut audiemus ad c. 4, atque Schol. Thucyd. l. l. Cf. Fuchs Quaest. p. 188.

Oeneum) Oeneum, regem Calydonis in Aetolia, regno ab Agrii filiis expulsum, Diomedis auxilium implorasse, atque ab eo, exercitu Argis ducto, filiisque Agrii interfectis aut fugatis, vindicatum esse, pluribus narrant Pausan. II. 25. et Apollod. I. 8. 6. Verum gesta haec ante Troicum bellum, diserte dicit Apollodorus. Cf. Fuchs Quaest. p. 163.

receptus est) Immo expulsum Italiam venisse, inter omnes veteres constat. Henricus c. 87. narrat: Oeace instigante Diomedem ab Aegialea patria expulsum (fol. 156.), ab Aenea Troiam vocatum esse, ut Troianos contra finitimorum invasiones tueretur (fol. 157.): quod quum fausto eventu fecisset, Aegialeam, metuentem ne maritus magnis copiis ipsam odoriretur vindictamque sumeret, misso nuntio rogasse, ut secure domum rediret. Quo nuntio gavisum patriam repetivisse Diomedem et magno honore a suis esse receptum (fol. 158.).

suos quisque reges accipiunt) Hoc est contra historiae fidem. Lege modo Thucyd. I. 12.

III. *responsumque fert*) v. Sophocl. Electr. 32; Aeschyl. Coeph. 267. Eumen. 465. 594; Eurip. Elect. 87. Or. 285.

in matrimonium Aegisthi) Non memini me legisse alibi, Strophium Aegisthi socerum fuisse. Daceria. Cf. Fuchs Quaest. p. 173.

cum magna manu) Solus Orestes vindictam sumit Hom. Od. I. 40. 298. III. 197. 307; Orestes una cum Pylade apud Augiam Troezen., quem sequuntur Aeschylus, Sophocles, Euripides. Forte Dictys in contrarium vertit locum Sophocl. Electr. 36. ubi oraculum iubet Orestem, *ἄσκευον αὐτὸν ἀσπίδων τε καὶ στρατοῦ, δόλοισι κλέψαι χειρὸς ἐνδίκους σφαγάς*. Vel in Pindari Pyth. XI. 55. verbis: *σὺν Ἄρει πέφνεν τε ματέρα, θῆκέ τ' Αἴγισθον ἐν φοναῖς*, armatorum copiae intelligi existimavit. Attamen obtinuisse famam, Agamemnonis interfectores militum exercitu oppressos fuisse, probabile est ex Philostr. Heroic. VI. p. 705. ubi narratur: Orestem, patris mortem ulturum et Argis periclitantem, impetum in hostes fecisse cum Phocensibus foedere sibi iunctis, pessumque illos dedisse, atque patrium imperium vel invito Menelao recuperavisse.

quod Aegisthus aberat) Sophocl. Electr. 305. 507. 1300. 1360. Apud Euripidem primum Aegisthus in agro sacris occupatus, deinde Clytemnestra insidiis Electrae circumventa per Orestem necatur.

dissensio animorum) Indignantibus enim Tyndaro et Menelao concione habita alii Orestem lapidibus obruendum, alii servandum atque exornandum ob ultionem censuerunt. Eurip. Or. 866.

appulsus Cretam) Menelaus certior factus est de Agamemnonis fato in insula Pharo, Aegypto opposita, teste Hom. Od. IV. 512; ad promontorium Maleam secundum Eurip. Or. 360.

IV. *miranda*) Intellige Protei metamorphoses ex Hom. Od. IV. 456. — *Canopi — monumentum*) Eandem fabulam ex Nicandri Theriacis exhibet Aelian. H. A. XIV. 13; item

Conon Narrat. 8. Ab hoc Amyclaeo gubernatore nomen quaesivit Canopus, quae urbs centum et viginti stadiis ab Alexandria abest. Strab. XVII. 551; Eustath. ad Dionys. Perieg. 13. Scribi *Canopus* et *Canobus* ibidem docet Eustathius.

multa — molitur) Menelai scil. et Tyndari auctoritate Orestes in concione, qua causam diceret, a magna populi parte lapidationis damnatus erat, ut dixi ad cap. 3. — *multitudine popul. prohibitus*) Hygin. fab. 119. *Quem Tyndareus cum accusaret, Oresti a Megarensibus fuga data est.* In Euripidis Or. Pyladis amici consilio atque ope Apollinis Orestes mortem effugit.

Erigona — laqueo interiit) Malel. p. 168; Auctor Etymol. M. v. *Αἰώρα*. Sed Cynaethon apud Pausan. II. 18. et Tzetzes ad Lyc. 1374. referunt, Orestem Erigonen, Clytemnestrae et Aegisthi filiam, uxorem duxisse et ex ea Penthilum genuisse.

Mnestheus liberatum Orestem parricidii crimine) Plenam Dictyis, a Septimio nimis contracti, narrationem servavit Malelas p. 170 sqq. qui peracta fabula adiicit: *ταῦτα Δίκτυς ἐν τῇ ἕκτῃ αὐτοῦ ῥαψωδίᾳ ἐξέθετο.* Constantia postulabat, ut Dictys Mnestheo iudice, quem cap. 2. in regnum Athenarum receptum dixit, Orestem in Areopago obsolutum scriberet. Sed hoc contra historiae fidem est; ex qua Thesei filios Troia capta Athenarum imperium recepisse ad cap. 2. docuimus. Rectius igitur sub rege Demophoonte Oresti iudicium factum tradidere Eusebius, Athenaeus, Tzetzes, alii. Vid. Meurs. de Areopag. c. 10. et de Regn. Athen. lib. III. c. 8. — *purgatumque — cunctis remediis, quae*) Pluribus procul dubio persecutus erat Dictys, quae tangit paucis Malelas p. 171: *οἱ ἱερεῖς ἁγνεύσαντες τὸν Ὀρέστην καὶ ἀποκαθαρίσαντες, ἐξιλεώσαντο αὐτὸν τοῦ μητρῴου φόνου.* Et similia forte remedia extulit iis, quae intelliguntur loco Pausan. II. 31. — Insaniam Orestis pervulgatamque apud veteres Tauricam profectionem, qua insania deponeretur, silentio haud praeteriisse Dictyn, veri simile est ex Malela et Cedreno, qui rem fuse tractant.

Hermionam in matrim. Oresti despondit) Ante bellum Troianum Hermionen Oresti desponderat: postea Neoptolemo

promisit, si Troiam expugnaret. Eurip. Androm. 966; Ovid. Her. VIII. Troia capta cum eam Neoptolemus duxisset, hunc Orestes iratus interfecit, et Hermionen amore captam in matrimonium suscepit. Virgil. Aen. III. 327; Pausan. I. 33; Tzetz. ad Lyc. 1374; noster infra. Paulo aliter tradit Hygin. fab. 123.

V. *per idem tempus Ulixes Cretam appulsus* cet.) Haud ita multo post Ulixes cum duabus navibus, mercede conductis, Cretam appulit, ademtaque ei, quae ex Troia habebat, a maritimis praedonibus erant omnia. Atque praeterea *ab Aiacis comitibus* captus et in carcerem coniectus, abreptis omnibus, quae secum ducebat, mortisque damnatus, suspendium destinatum dolis effugit. Tum in *Manli* (i. e. Nauplii) regis, vitam Ulixis ob caedem filii Palamedis magno studio appetentis, manus cum devenisset, etiam istius consiliis fraude se eripuit. Atque ita exsul et egenus ad Idomeneum venit, a quo cum laetitia et admiratione exceptus, interrogatusque, quomodo tantam paupertatem incurrisset, ita narravit Ulixes (vid. infra). Henric. c. 88. fol. 159. — Ulixis ad Cretam appulsum videtur sumsisse Dictys ex ficta narratione apud Hom. Od. XIV. ubi comminiscitur Ulixes Cretam se venisse (v. 299.), ibique vidisse Menelaum apud Idomeneum naves reficientem (v. 382.).

multa — per bellum quaesita praeda) Hom. Od. IX. 39. Pretiosa dona aurea et argentea commemorat Henric. fol. 162.

ad Lotophagos) Bellaque cum iis gessit, teste Malela p. 145; quod est contra Hom. Od. IX. 83. Intelliguntur Lotophagi, qui Meningem incolunt, alteram insularum, quae Syrti minori opponuntur. v. Strab. III. p. 108; Polyb. I. 39. 2; Plin. V. 4. In qua insula βωμὸς Ὀδυσσέως. v. Eustath. ad Dionys. Perieg. p. 68.

per Cyclopa et Laestrygona fratres) Quorum filii Antiphates et Polyphemus, ut infra scribitur. At ex Dictye Malelas p. 145 sqq. qui Laestrygona ignorat, fratres vocat Cyclopa, Antiphantem et Polyphemum, Sicani Siciliae regis filios: quorum Antiphantes Laestrygonibus, Cyclops illi regioni, ubi Cyclopii montes, tertiae Sicani regis imperii parti

Polyphemus imperitavit: in quorum deinceps ditionem incidit Ulixes. Henrico fol. 160. insula vocatur *Silicie* (i. e. Sicilia), reges *Strigora* et *Cicilopa*, eorumque filii praepollentes *Alfax* et *Polison.* — Ut a Septimio Cyclops et Laestrygon, Siciliae reges, coniunguntur, sic Cyclopes et Laestrygones, Siciliae populi, quibus antiquiores Sicani, a Thucydide VI. 2, qui autem Laestrygonum genus et originem ignorat. Cf. Steph. Byz. v. *Λαιστρυγόνες*; Strab. I. p. 14. *Λαιστρυγόνες οἱ νῦν Λεοντῖνοι*, ait Tzetzes ad Lycophr. 662. 956, Hesychium secutus. Eos *τὴν περὶ Σικελίαν χώραν τῶν Λεοντίνων* tenuisse, testis est Eustath. ad Hom. Od. X. 82. Ab his differunt Hom. Od. X. 81; Hygin. fab. 125; Schol. Lycophr. 818. apud quos Ulixes a Cyclopibus ex Sicilia navigat ad insulas Vulcanias, inde ad Laestrygonas; quorum antiqua sedes erat Italiae oppidum *Formiae*, teste Plin. III. 5. cf. Solin. 2. 23; Mitscherl. ad Horat. Od. III. 17. init.: eorumque rex Antiphates, teste Hygin fab. 125. — *plurimos sociorum amiserit*) Filii regum, centum occisis sociis, ipsum Ulixem et Alphenorem comitem in vincula coniecerunt; et post sex mensium captivitatem, multis amissis opibus, cum ceteris sociis liberatus est Ulixes. Henric. fol. 160. — *multa indigna*) Quae, discas ex Malela; qui tamen multo abit ab Homero, quique Homeri atque Euripidis de unoculo Polyphemo increpans fabulam, Dictyis, Sisyphi Coi et Phidalii Corinthii narrationes laudibus effert. — *filiam regis Arenen*) Eadem fabula, quae Dictye vix antiquior, a Sisypho Coo narratur apud Malel. p. 148. et in Tzetzae Chiliad. Apud utrumque autem Polyphemi filia vocatur *Ἔλπη*, Ulixis socius *Λεΐων*; in eo etiam discrepantes, quod ille Ulixis socium cum abrepta regis filia a Sicilia solvisse, hic postea Laestrygonas filiam regis Ulixi iterum ademisse, patrique Polyphemo restituisse perhibent. Ulixis socius Elpenor nominatur Homero, de quo autem longe alia referuntur. De Alphenore, praeter eius Ulixisque captivitatem, nihil memorat Henricus.

ad Circen atque inde ad Calypso) Quomodo Dictys fabulam tractaverit, discimus ex Malel. p. 149 sqq. qui etiam hic, Homerum ludibrio habens, Dictyn, Sisyphum et Phi-

dalium laudibus prosequitur. De sede Circes v. ad c. 15. Calypsus Munck. ad Hygin. fab. 125. p. 189. — *inde liberatus*) scil. multis artibus et dolis multoque labore, postquam totum annum cum Circe vitam egerat, filiumque ex ea sustulerat. Henric. l. I.

ad eum locum, in quo cet.) Locum Malelas p. 153. adpellat *Νεκυόπομπον*, ubi *οἰκοῦντες ἄνδρες μάντεις ἔξεῖπον αὐτῷ* (Ulixi)*πάντα τὰ συμβάντα καὶ τὰ μέλλοντα.* Cedrenus p. 109. vocat *Νεκύοπον*, in quo Ulixes *διὰ φασμάτων ἔγνω τὰ μέλλοντα συμβαίνειν αὐτῷ.* Henricus fol. 161. *insulam* memorat, in qua imago fuit, quae, Deo propitio, ad omnes quaestiones certa dedit et vera responsa. Varia interrogavit Ulixes, omniaque vere et recte respondit: interroganti autem, quid fieret de anima nostra, si a corpore secerneretur, responsum imago detrectavit. — Describit locum, in Cimmeriorum civitate situm, Homerus Od. XI. 14. cuius nobilissimam fabulam et ad inferos Ulixis descensum solita libertate immutavit Dictys. Apud Hom. Circe Ulixi viam ad inferos praedicat (Od. X. 490.), et apud inferos Tiresiae umbra itineris successum ei praesagit (Od. XI. 99.). — De adhibitis sacris Hom. Od. X. 516. XI. 23.

Sirenarum scopulis) Quorum situm docet Servius ad Aen. V. 864. Per industriąm Ulixem liberatum ait Dictys: proelio coorto et Sirenarum plus mille occisis, Henric. fol. 161. Sociis cerà obturavit aures, seque ad arborem malum constringi iussit, et sic praetervectus est, ut utar verbis Hygini fab. 125. Nota res ex Homero.

Scyllam et Charybdim) A Syrenis appropinquat Scyllae et Charybdi, et a Scylla sex socios amittit (Hom. Od. XII. 245.): inde Trinącriam ad Solis pecus pervenit (v. 261.): inde in Charybdin (v. 428.) delatus, omnes perdit socios, et novem dies per mare agitatus, decimo ad Ogygiam, Calypsus insulam, venit (v. 448.): atque hinc solvens, multa mala mari perpessus, nudus ad Alcinoum defertur (Od. V. 263.). Eundem servat ordinem Hygin. fab. 125. De Scylla et Charybdi cf. Virgil. Aen. III. 420. — *illata sorbere*) Unde *mare sorbens* vocatur ab Henrico fol. 161. duorum milliarium longitudinem habens. — *plurimas navium cum sociis*) Di-

midiam absorptam navium partem. Henric. l. l. Immo naves omnes, testibus Homero et Hygino, itemque Prisco apud Suidam (vid. Praefat. p. XXVI.), Malela p. 154. et Cedreno p. 109.

Ita se cum residuis in manus Ph. cet.) „Cum dimidia navium parte *Peneciam* (i. e. Phoeniciam, ad Phoenices, in Phoenicum manus) veni; ubi maligni praedones sociorum multos interfecerunt, ut pauci in vita remanerent. Tum me reliquosque socios ceperunt, et dura captivitate tenuerunt; omnibusque, quae habebam, ademtis, nos quidem ipsos libertati restituerunt, opes autem retinuerunt. Atque ita navigavi, donec huc veni; et sum exsul et egenus." Haec verba facit Ulixes apud Henric. l. l. Igitur haud ita magna erat latronum misericordia, licet duas naves Ulixem pacta mercede accepisse supra retulerit Henricus: quem quidem hic, sive semet sive Guidone auctore, Dictyn expressisse est quod iure dubites; nam Malelas (qui se Dictyn in sua narratione sequi disertis verbis fatetur), Cedrenus et Priscus (ap. Suid.) unanimiter sic tradiderunt: Navibus sociisque a Scylla et Charybdi amissis, Ulixem navis tabulae insidentem pelago fluctuasse, mortem miseram nunquam non exspectantem. Eum vero praeternavigantes Phoenices, marinis undis agitatum conspicatos, per misericordiam fluctibus eripuisse, et in Cretam insulam adductum Idomeneo tradidisse. — Emensis autem Ulixis erroribus, iterum advertamus animum ad ea, quae post initium huius cap. ante ipsam Ulixis orationem retulit Septimius, et errorum adtendamus filum et nexum. Scilicet collatis, quae post initium huius cap. et fine Ulixis orationis dicta sunt, hunc habes rerum ordinem: Ex Scylla et Charybdi, *plurimis amissis navibus*, liberatus Ulixes, cum residuis in Phoenicum manus incurrit. Ab his per misericordiam servatus, et duas naves pacta mercede nactus — *suas enim naves cum sociis atque omnibus, quae ex Troia habuerat*, per vim Telamonis amiserat — Cretam adpellit. Nonne confusa haec rerum series? et aeque confusa, atque Henrici, ad sententiam fideliter a me latino ore expressa? Etenim Telamonis vis, vel secundum Henricum, Aiacis et Nauplii insidiae, ubi quaeso paratae sunt, et quo rerum or-

dine? Silent tale facinus Malelas et Cedrenus, silent Homerus, Hyginus fab. 125. et Tzetzes ad Lyc. 818; silent etiam Tibullus IV. 1. 52. et Propertius III. 12. 25; atque omnes, qui de Ulixis erroribus scripserunt. Malelas et Cedrenus illud omiserunt, quia non nisi orationem Dictyis respexerunt, neglectis, quae quasi praefando Dictys praemiserat; retinuere autem Septimius et Henricus, Dictyisque exemplo ea, quae praemissa erant, in ipsa oratione non repetiverunt; unde factum, ut in Ulixis oratione ex Scylla et Charybdi liberatus in Phoenicum manus devenisse Ulixes videatur, cum contra, ut vel ex Henrico patet, ex Scylla et Charybdi, plurimis amissis navibus cum sociis, cum residuis Telamonis (vel Aiacis comitum Naupliique) insidias incurrerit, et huius quoque e manibus liberatus, omnibusque deperditis, in Phoenicum manus pervenerit, qui eum, duabus donatum navibus, ad Idomeneum dimiserunt. Atque haec videtur fuisse mens Dictyis, quam autem et ipse in oratione Ulixis animo non retinuit; unde factum, ut sectatores quoque malum rerum ordinem secuti sint, quorum alii ex more nihil non admiscuisse videntur alieni. — Vis Telamonis, patris Aiacis, videtur deformata esse ex nota fabula, qua Achillis arma, quae Ulixi adiudicata fuerant, in huius erroribus naufragio perdita, ad sepulchrum Aiacis, legitimi quasi possessoris, a maris fluctibus delata feruntur.

ad Alcinoum) *Achtnor* vocatur ab Henrico l. l., ad quem regem, Ulixem videre cupientem, ut hic navigaret, petiit Idomeneus. — Nomine *Achtnor* alibi in Henrici MS. significatur *Antenor.*

VI. *cognoscit*) Ab Eumaeo haec comperit, cum iam, novo naufragio ira Neptuni facto, Ithacam venisset. Hom. Od. XV. 346; Hygin. 126. — *ab triginta — viris*) Ambiebant Penelopen ex Dulichio viri quinquaginta, ex Same viginti quatuor, ex Zacyntho viginti, duodecim ex Ithaca. Hom. Od. XVI. 245. — *in matrimonium postulari*) nonnullosque procorum, invita Penelope, partem tenere Ulixis terrae; adiicit Henricus. — *Zacyntho*, *Echinadibus*, *Leucata*, *Ithaca*) Dulichium, Samen, Zacynthum, Ithacam, exhibent Hom. Od. I. 245. et Ovid. Her. I. 87.

persuadet regi) Aedificavit Alcinous naves, sociosque Ulixem comitari iussit. Hom. Od. XIII. init. Sed Ithacam cum venisset, socii reversi sunt, et Ulixes solus relictus. v. 125. — *uti secum — navigaret*) Achtnor cum equitibus suis, addit Henricus: obtemperavit Achtnor, et nocte Ulixis urbem introiverunt. Pergit Henricus: Tum domos, quae fidem ruperant, ingressi, dormientes ad unum omnes morte multarunt. Quo facto Achtnorem in palatium suum duxit, et Penelope supra modum laetata est, cum Ulixem videret, eumque multo honore egregiisque donis excepit.

occultato) Apud Eumaeum. Hom. Od. XIV. — *Telemachum — edocuere*) Non aderat secundum Homerum Telemachus, cum Ulixes Ithacam appulisset, sed Spartae versabatur apud Menelaum, patrem quaesiturus: Minerva Spartam venit, eum revocatura. — *rem quae parabatur*) Caedem procorum. Respicitur ad Hom. Od. XVI. 267. — *clam veniunt*) Ut mendicus domum accesserat Ulixes, baculo nisus. Od XVII. 10. 201. — *interficiunt*) Interficit Ulixes apud Hom., adiutus a Telemacho et Minerva. — *Ulixem adventasse — cognitum*) Od. XXIV. 412. — *suppliciis afficit*) Od. XXII. 465.

praeclara fama) Catull. LVIII. 226; Propert. II. 9. init. Aliter de Penelopae pudicitia sentit Lycophron Cass. 771. Vid. Dresem. ad Ios. Iscan. VI. 948.

Nausica Telemacho denubit) et nuptiis celebratis Achtnor in regnum suum reversus est. Henric. Telemachus Henrico vocatur *Thelomotus*. — Alcinous Ulixem optat sibi generum. Hom. Od. VII. 311. Ulixes hoc perfectum iri cupit. v. 331. Duxisse Telemachum Nausicaam, Alcinoi filiam, atque ex ea sustulisse Perseptolin, testantur Aristoteles in Ithacensium Politia et Hellanicus ap. Eustath. ad Hom. Il. II. p. 1796. T. III. ed. Rom. cf. Suidas. v. Ἀνδροκίδης. Eodem Eustathii loco Hesiodus tradit, Telemachum ex Polycaste, Nestoris filia, genuisse Perseptolin; atque postea Circen eum duxisse, ex Colophonio, qui νόστους fecit, refert Eustathius. Verum Eugammonem Cyrenaeum, Telegoniae scriptorem, hoc cecinisse, discimus ex Proclo.

Idomeneus — apud Cretam interiit) Cretam redux Ido-

meneus, patria prohibitus, Corinthi degit: postea tamen receptus est (cap. 2.), atque in Creta obiit. Varias in his veterum narrationes Dictys confundit. Idomeneum Troia capta insontem Cretam rediisse canit Hom. Od. III. 191; cui addit Diodorus Sic. VI. 15. Idomeneum itemque Merionem in patria sua mortuos esse et sepultos, illustre illis sepulchrum positum, et divinos honores a Cretensibus tributos esse, qui eis sacrificassent, eorumque in bellorum discriminibus opem implorassent. Alii Idomeneum Cretam reversum seditione facta expulsum esse et errasse scribunt (Virgil. Aen. III. 120. ibique Serv.): alii in patriam eum rediisse negant, et Colophone sepultum affirmant (Schol. Hom. Od. XIII. 295; Lycophron Cass. 424.). Pluribus disputat Meursius Cret. IV. 4. Cf. Fuchs Quaest. p. 169 sq. — *tradito* — *Merioni regno*) Desidero alium eiusdem rei testem. Una cum Idomeneo eum sepultum esse, modo ex Diodoro audivimus. Atque in Idomeneo et Merione stirpe regia intercepta, Cretae regnum reipublicae formam accepit. v. Meurs. Cret. IV. 5. Cressam civitatem in Paphlagonia Merionem condidisse, tradit Stephan. Byz. v. *Κρῆσσα*.

VII. *apud Molossos naves — reficit*) Facit Dictys cum iis, qui maritimo itinere Neoptolemum errasse tradiderunt, ut Hom. Od. XI. 533. et post eum vel plurimi. Pedibus instituisse viam cecinit Augias Troezen. in Nostis, et qui eum secutus est Apollodorus apud Tzetz. ad Lycophr. 902. Argumentum fabulae Augiae in Procli Exc. hoc est: *Νεοπτόλεμος δὲ Θέτιδος ὑποθεμένης πεζῇ ποιεῖται τὴν πορείαν, καὶ παραγενόμενος εἰς Θρᾳκὴν Ὀδυσσέα καταλαμβάνει ἐν Μαρωνείᾳ, καὶ τὸ λοιπὸν ἀνύει τῆς ὁδοῦ. καὶ τελευτήσαντα Φοίνικα θάπτει· αὐτὸς δὲ εἰς Μολόσσους ἀφικόμενος ἀναγνωρίζεται Πηλεῖ.* Post *septem dies* ad Molossos venisse, ex Augia adiicit Apollodorus. Augiam intellexisse Molossos Thessaliae, ex adiunctis, praecipue ex temporis spatio, quo confectum iter, manifestum est. Eosdem significare Dictyn, cum ex sequentibus et cap. 13 extr. confirmetur, tum vel ex eo, quod cap. 8. scribit: Neoptolemum, cum a Molossis solvisset, hiemis saevitia multum mari vexatum ad Sepiadum littus appulisse. Sepias autem promontorium est ad Magnesiam, haud

procul Phthia in Thessalia. Praeterea in Dictyis sententiam Euripides (quem etiam in seqq. nostrum ante oculos habuisse videbimus) Troad. 1125. ita canit: *μέλλει πρὸς ἀκτὰς ναυστολεῖν Φθιώτιδας· αὐτὸς δ' ἀνῆκται Νεοπτόλεμος κ. τ. λ.* Haec disputavi contra Obrechtum, qui *Molossos Epiri* nostro loco intelligi multis contendit, provocans testimonium Pausaniae, qui lib. I. 11 init. scribit: *πρῶτος γὰρ οὗτος* (Neoptolemus) *ἁλούσης Ἰλίου τὴν μὲν ἐς Θεσσαλίαν ὑπερεῖδεν ἀναχώρησιν, εἰς δὲ τὴν Ἤπειραν κατάρας, ἐνταῦθα ἐκ τῶν Ἑλένου χρησμῶν ᾤκησεν.* Cui addere potuit Pindar. Nem. VII. 55; Iustin. XVII. 3.

ab Acasto expulsum regno Pelea) Pelei, Neoptolemi avi, cum Acasto, Peliae Iolci regis filio, ante bellum Troianum inimicitiae notae sunt ex Apollod. III. 13; Pindar. Nem. IV. 88; aliis. v. Sturz ad Pherecyd. fragm. p. 80. Achille ad Troiam mortuo Neoptolemus, aviti regni haeres, ad bellum profectus, Peleum iam senem domi (in Phthia) reliquerat (Eurip. Androm. 18.): quem per absentiam Neoptolemi Acastus regno exuit, cuius rei nuntium accepit Neoptolemus, cum redux e bello Troiano factus ad Phthiam appulisset, ut ex Eurip. Troad. 1126. scribit Dictys. Huc referendum etiam quod Iustinus (XVII. 3.) narrat, Neoptolemum per absentiam paternum regnum amisisse. Fundus rei est in Hom. Il. XXIV. 488. ubi in redemtione Hectoris cadaveris Priamus, Achilli excitans memoriam patris, ita loquitur: *καί μέν που κεῖνον περιναιέται ἀμφὶς ἐόντες τείρουσ', οὐδέ τίς ἐστιν ἀρὴν καὶ λοιγὸν ἀμῦναι.* Hinc videtur cyclicorum unus (Augias opinor) rem pluribus celebrasse, quem et Euripides respexerit, et Dictys adumbraverit in iis, quae de Neoptolemi et Acasti simultatibus copiose enarrat.

Thessaliam mittit) Ad Thessaliae littus appulerat; iam fidos mittit in ipsam Thessaliam.

§ *originem — nuptiarum Pelei cum Thetide)* Antiquam fabulam, a poetis varie enarratam (v. Sturz ad Pherecyd. fragm. p. 80.), solito more interpretari conatur Dictys. Vid. Fuchs Quaest. p. 82. — *parentem eius Chirona appellantes Nerea)* Atque Nerei filiam fuisse, antiqui consentiunt. Chironis filiam eam nominat lib. I. 14. — *convivium — deo-*

rum) Coluthus v. 45. nuptias has vocat *θεῶν δαῖτας*. Cf. Gloss.

VIII. *Sepiadum littus, quod* cet.) Schol. Apollon. Argon. I. 582. *Σηπιὰς ἀκρωτήριον Μαγνησίας οὕτω κληθὲν, ὅτι ἡ Θέτις ἐκεῖ εἰς σηπίαν μετεμορφώθη, διωκουμένη ὑπὸ τοῦ Πηλέως*. Cf. not. cr.

Ibi Pelea — reperit occultatum spelunca) Ex Eurip. Androm. 1265. ubi Thetis ad Peleum: *παλαιᾶς χοιράδος κοῖλον μυχὸν Σηπιάδος ἵζου*. Obrecht. Ex Augiae Nostis hoc esse, veri simile est ex ultimis Procli verbis, quae ad cap. 7. descripsimus.

IX. *Mestor, qui captivus*) At lib. II. 43. hunc occisum narravit Dictys, cuius rei hic loci immemor est.

X. *materno nomine Hemeram*) Auroram matrem nominat IV. 4. Hic Hemeram vocat, aeque ac Tzetzes ad Lycophr. 18; de quo parvo loquendi, quin tamen ipsa differat notio, discrimine vid. Creuzer Symb. und Mythol. Thl. I. p. 454. not. 218. Himera seu Hemera soror ficta ex matre Aurora, ex qua scil. oritur dies, Graece *ἡμέρα*.

ad investigandum cadaver — profecta) Haec legenti cui in mentem non venerit fabula de Iside Aegyptiaca, quae Osiridis sui cadaver arcae inclusum et in mare abiectum investigat, illudque ad Byblum Phoeniciae delatum a regina huius urbis recipit? Fabula est ap. Plutarch. de Isid. et Osir. T. VII. p. 404. Reisk. Similitudinem hanc iam notarunt Iacobs loco in not. cr. laudato p. 4. not. 3. et Creuzer Mythol. und Symb. Thl. II. p. 456.

ad regionem eius Palliochin nomine) Ignorant geographi talem Phoeniciae regionem. Tzetzes in schol. ad Posth. 345. de Memnone sic scribit: *ἀποκομισθεὶς οἴκαδε ἐτάφη παρὰ Βήλαιον ποταμὸν Συρίας, καὶ ἐπιγέγραπται αὐτῷ τάδε.*

Μέμνων Τιθώνου τε καὶ Ἠοῦς ἔνθαδε κεῖμαι
Ἐν Συρίῃ Βήλου παρ' ποταμοῦ προχοαῖσιν.

Sic versus exhibentur in Anthol. Palatin. Simonides, teste Strab. XV. p. 500, Memnonem sepultum cecinit circa *Πάλτον τῆς Συρίας παρὰ Βαδᾶν* (Al. MSS. *Βαδὰν*, *Βανδᾶν*, *Βανδῶν*) *ποταμόν*. Iosephus B. Iud. II. 10. scribit: *Τοῦ δὲ ἄστεως* (Ptolemaidis) *ἀπὸ δύο σταδίων ὁ καλούμενος Βήλαι-*

ος (sic Rig. et Rhed., teste Aldrichio: vulgo *Βήλεος.*) *ποταμὸς παραῤῥεῖ παντάπασιν ὀλίγος, παρ' ᾧ τὸ Μέμνονος μνημεῖόν ἐστιν.* Stephan. Byz. v. *Ἄκη.* vocat *Βῆλον*, ut Plin. V. 19. et Tacit. Hist. V. 7. *Belum*; illumque amnem Iudaico mari inlabi testatur Tacitus. Ex his efficitur, bene Spanhemium et Aldrichium ad Ioseph. scribendum loco Strab. existimasse *παρὰ Βῆλον ποταμόν*: possit et *Βήλαιον.* Regionem, qua Memnon iacet sepultus, Simonides vocat *Paltum*, Iosephus *Ptolemaidem*, Dictys *Palliochin.* Eandem regionem eundemve locum his nominibus significari, atque Iosephum, Dictyn, itemque Tzetzen, ex eodem fonte hausisse, vix dubitem: sed corrigendi periculum subeat alius. Aldrichii ad Ioseph. audacia, pro *Πάλτον* Simonidis coniectantis *Πτολεμαΐδα*, in Septimio ob antiquitatem, quam Dictys affectat, locum habere minime potest. — Sita igitur Memnonis ossa sunt non procul a Ptolemaide ad Belaeum seu Belum, amnem Syriae (i. e. Phoeniciae, Syriae partis), qui mari Iudaico inlabitur. Iam vero lib. IV. 8. refert Septimius, Memnonis ossa *per necessarios eius* sepulta esse: qui fuerint, nostro loco docet, nempe Hemera, soror Memnonis, cum sociis opinor. Eodem lib. IV. loco ossa *in patrium solum* remissa feruntur: hic in Phoenicia sepeliuntur. Eadem difficultas est in loco Tzetzae, quem supra adscripsi. Syria enim vel Phoenicia non fuit Memnonis patria; certe nemo hoc tradidit. Aethiopum regem alii vocant, Malelas et Cedrenus (forte Dictye praeeunte) Indorum. Vid. ad lib. IV. Susa fuisse Memnonis patriam, dicit praeter alios (v. ad. lib. IV.) Aelianus Nat. Anim. V. 1. ubi scribit, Memnonis cadaver *ἐς τὰ Σοῦσα Μεμνόνεια ὑπὸ τῆς μητρὸς κομισθέντα μετέωρον ἐκ τῶν φόνων, τυχεῖν κηδεύσεως τῆς προσηκούσης αὐτῷ.* Forte verbis *patrium solum* intellexit sive Septimius sive Dictys non urbem patriam, sed universim vastum Memnonis regnum, de quo lege quae attulit Fuchs Quaest. p. 126.

opinio exorta triplex) Henricus c. 92. fol. 172. ita narrat: Ad Memnonis, Troiae sepulti, tumulum venit soror eius, sumtumque cinerem aureae arcae inclusit. Quo facto ex hominum conspectu evanuit, ut nusquam comparuerit: unde dictum, eam esse Deam.

XI. *tanta vis locustarum*) Quarum magna copia in regionibus illis, ut ex litteris sacris. DACERIA. Magna variis in regionibus locustarum multitudo: atque Parthos aliasque nationes ipsosque Iudaeos locustarum esu victitasse, ex litteris sacris cognitum mihi. Etiam ad Aethiopiae populum verno tempore ventis infinitum locustarum numerum tanquam nubem ex locis desertis deferri, et loco cibi esse, unde hos homines Acridophagos esse nominatos, scimus ex Diodor. III. 3. Cf. Strab. XVI. p. 531. De immensa per totam Africam (circa Gracchorum tempora) coalita locustarum multitudine, quae fruges arboresque perdiderunt, mox repentino arreptae vento Africano mari immersae sunt; quarum tum in littore maris peremtarum ingentes acervi pestifero odore, tabe et putredine, saevam pestilentiam creaverunt: de his multa narrat Orosius lib. V. 11. Sed τὴν Κρήτην ἄγονον εἶναι θηρίων ὀλεθρίων, ex Theodoto refert Clemens Alexandr. p. 805. C. Sylb. Et teste Diodoro (IV. 2.) Hercules Cretam a feris iat purgavit, ut nullum agreste animal in ea deinceps, neque ursus, neque lupus, neque serpens, neque aliud quid simile in ea reperiretur. Meursius, qui (Cret. II. 7 et 8.) de Cretae animalibus ex officio agit, locustarum ne meminit quidem, atque unicum docet perniciosum animal in Creta fuisse phalangium. Dictys autem locustarum invasionem huc traduxisse videtur ex fame et peste, quam, reversis ex bello Troiano Cretensibus, Cretam vastasse narrat Herodotus lib. VII. 171. Cf. Meurs. Cret. IV. 4.

XII. *gratulatum, quod in auctorem* cet.) Immutatum hoc ex Euripid. Androm. 51. ubi Andromacha ait: Delphos Pyrrhum abiisse, ut solveret Apollini poenas furoris, quo eum paternae caedis postularat; et priora mala deprecans, in posterum Apollinis gratiam sibi conciliaret. Ab aliis aliae causae traditae sunt. v. Dacer. ad h. l. et Sturz. ad Pherecyd. fragm. p. 212. — *filio Laodamante*) Immo Molosso, Neoptolemi ex Andromacha filio. Atque Molossum (non Hectoris filium, ut infra Dictys scribit) Hermione necare animum induxerat. Nota res ex Eurip. Androm.

periculi vim subterfugit) Ipsa Andromacha in Thetidis templum fugit; filium Molossum in aliam domum ablegavit.

Eurip. Androm. — *auxilio popularium liberata*) Molossus et Andromacha inventi et protracti Peleo interveniente a mortis periculo vindicati sunt: et magna contentione inter Peleum et Menelaum exorta, tandem cessit Menelaus, et Spartam rediit: Hermione, ad poenitentiam reversa, Neoptolemi reditum et iram timuit. Eurip. Androm.

XIII. *Orestes adveniens*) Orestes, ad Iovis oraculum Dodonaeum pergere simulans, advenit, percontans Hermionen, quam mox cognoscit. Hermione ad paternas aedes vult ab Oreste reduci, verita redeuntis Neoptolemi vindictam. Cuius precibus cedit Orestes, postquam nuptias flagitaverat. Eurip. Androm. inde a v. 885. — *advenienti*) i. e. Delphis Phthiam redeunti Neoptolemo.

Neopt. Delphis esse negant) Igitur non Delphis occisus est Neoptolemus, sed Delphis Phthiam redux in via Orestis insidiis circumventus. Contra pervulgata antiqua fabula est, Delphis eum atque in ipso templo Delphico esse interfectum, v. Heyn. ad Virgil. Aen. III. 332. Exc. XII. Omnino veterum poetarum fabulam prorsus deformavit Dictys, apud quos scil. nihil legimus de viris Delphos praemissis, nihil de clandestina Neoptolemi morte, nihil de arcana et clam Peleo instituta sepultura. Palam interficitur: multum lamentanti de Neoptolemi caede Peleo suadet Thetis, ut eum sepeliat: obtemperat Peleus, iustaque persolvit. Cf. Eurip. Androm. — Singularis est Henrici c. 89. fol. 165. narratio: Menelai filia nupserat regi Oresti, filio Idomenei, regis Cretensis. Pyrrhus, viribus praepollens, amore Hermionae captus, Orestis regnum ingressus est, eius uxorem furto ablatam Thessaliam abduxit, sibique matrimonio iunxit. Quod aegre ferens Orestes, viribus autem inferior, ultionem cogitabat. Cumque Pyrrhus insulam, Delphin nomine, profectus esset gratulatum Apollini pro victoria de Troianis reportata, idque Orestes rescivisset, magno exercitu insulam ingressus, Pyrrhum sua manu obtruncavit, atque ita recepta Hermiona in regnum reversus est.

Delphis sepultum) Pindar. Nem. VII. 50. *ἐν Πυθίοισι δὲ δαπέδοις κεῖται.* ubi ad v. 62. scholiastes ita: *ταφῆναι δὲ τὸ μὲν πρῶτον ὑπὸ τὸν οὐδὸν τοῦ νεὼ* (cf. Schol. Eurip. Or.

1657.), μετὰ δὲ ταῦτα Μενέλαον ἐλθόντα ἀνελεῖν, καὶ τὸν τάφον ποιῆσαι ἐν τῷ τεμένει. Pausan. X. 24. Ἐξελθόντι δὲ τοῦ ναοῦ καὶ τραπέντι ἐς ἀριστερὰ, περιβολός ἐστι καὶ Νεοπτολέμου τοῦ Ἀχιλλέως ἐν αὐτῷ τάφος· καί οἱ κατὰ ἔτος ἐναγίζουσιν οἱ Δελφοί.

partu gravidam) Iam enixam hoc tempore Molossum, supra ex Eurip. audivimus. Schol. Eurip. Androm. 24. ἰδέως δὲ ἕνα φησὶ (Euripides) παῖδα γενέσθαι τῷ Νεοπτολέμῳ, ἄλλων τριῶν (leg. τρεῖς) λεγόντων, Πύῤῥον, Μολοσσὸν, Αἰακίδην. Pausan. I. 11. nominat *Molossum*, *Pielum* et natu minimum *Pergamum*. Loco *Pieli* ap. Iustin. XVII. 3. est *Pilades*. — Eo tempore Andromacha gravida ex Pyrrho enixa est *Achiliden* filium. Hic Thessaliam venit, et maximum patris sui, omnium Graecorum potentissimi et ditissimi, regnum hereditavit; edixitque, ut Troiani, qui per cunctam Graeciam capti tenerentur, libertati omnes redderentur. Ita Henric. fol. 166.

Molossos mittit) Quae hucusque de Andromacha audivimus, gesta sunt in Molossia Thessaliae, in Phthia. Iam autem Andromacha ad Molossos mittitur in Epiro. Sumta haec sunt ex Eurip. Androm. 1243. ubi Thetis alloquitur Peleum ita: γυναῖκα δ' αἰχμάλωτον, Ἀνδρομάχην λέγω, Μολοσσίαν γῆν χρὴ κατοικῆσαι, γέρον, Ἑλένῳ ξυναλλαχθεῖσαν εὐναίοις γάμοις, καὶ παῖδα τόνδε, τῶν ἀπ' Αἰακοῦ μόνον λελειμμένον δή. Igitur ad Helenum missa est Andromacha secundum Euripidem. De Heleno postremus apud Dictyn sermo lib. V. 9. 16. Silentio praetermittitur a Septimio celebratus Heleni in Epirum adventus, eius cum Andromacha nuptiae, et qui post Pyrrhi caedem Molossorum imperium susceperit. Dictyn tacuisse vix putem. Alii in captivitatem abductum (Virgil. Aen. III. 329; Pausan. X. 24.), alii amica Graecorum classe Epirum advectum (Steph. Byz. et Etymol. M. v. βουθρωτός) Helenum tradunt. Apud Dictyn, si Epirum venit, non captivus, sed, quia sponte ad Graecas partes transierat et multa prospera vaticinatus erat, advectus est amicus, ibique diu feliciterque vitam transegit, si quidem Pyrrhi promissum (v. lib. V. 9.) est completum. Vivo Neoptolemo Helenum nactum esse Chaoniam et Androma-

chen, caeso eo regnasse Piladen filium, narrat Iustin. XVII. 3. Vivo Neoptolemo Andromachen, interfecto eo Chaoniam accepisse, canit Virgil. Aen. III. 327. Utut erat, Heleno Chaoniae imperium obtigit. Ex Theopompo apud Strab. VII. p. 324. discimus, Chaones olim toti Epiro imperitasse, post hos Molossos; hoc est: caeso Neoptolemo in Helenum, Chaoniae imperatorem, ceterum quoque Neoptolemi regnum translatum est, quasi tutorem Molossi; Heleno autem mortuo totum patris regnum hereditavit Molossus. Explicantur haec ex Pausania, apud quem (lib. I. 11.) Helenus omne Neoptolemi regnum obtinet, moriens illud relinquit Molosso. Molossus breviter vixisse videtur; nam eius frater Pielus, quem Piladen vocat Iustinus, ei in regno successit: ad quem magis, quam ad Molossum, posteriores reges originem retulerunt, teste Pausania: atque ab hoc inde Aeacidae, post patres filii, perpetua successione Epiro imperitarunt. v. Iustin. l. l.; Eurip. Androm. 1247; Pindar. Nem. VII. 56.

XIV. *Ulixes territus crebris auguriis somniisque adversis*) Ex inclyto Tiresiae de Ulixis morte vaticinio apud Hom. Od. XI. 133. Dictys fecit somnium. Vaticinii speciem nacta est Ulixis mors etiam in versibus, quos ex perdita Aeschyli tragoedia, *Ψυχαγωγοί* inscripta, servavit Schol. Hom. l. l. Explicuit Aeschyli fragmentum solita subtilitate, rimavitque de extrema Ulixis vita fabulam admiranda sagacitate Welcker Trilog. p. 458 sqq.; qua quidem ea de re disputatione nihil hoc tempore legitur praestantius. Expressit Dictyn Ios. Iscan. VI. 950. *At fati praesaga quies horrendaque visa Telegoni gladios cognataque tela minantur.* Primo simulacro, inter humanum divinumque vultum formae perlaudabilis, significatur Telegonus, quippe ex Circe dea ab Ulixe, mortali homine, genitus. Quod simulacrum Ulixi, illud amplecti cupienti, ob necessitudinem mortem minitatur. Alterum signum iaculum est Telegoni, ex mari editum, quippe os marinae turturis. Illud os mittitur in Ulixem Telegoni iussu, Ulixemque et Telegonum disiungit. Disiunctio significat Ulixis mortem.

visum — simulacrum) Pulcherrimam feminam per quietem vidisse, ait Henricus c. 88. fol. 162, quam porrectis

manibus amplecti cupiebat. Quid vis? dixit femina. Desiderium me capit, ut una pernoctantes cum amore coniungamur, respondit Ulixes. Tum vero femina: infelix esset * * * — Deficit hic (malum!) Codicis folium 163, in quo Ulixis mors enarrata erat.

XV. *Aeaeam insulam*) De qua Munck. ad Hygin. fab. 127. p. 194. et Dacer. ad h. l.

ad inquisitionem patris prof. Ithacam venit) Hygin. l. l. *Telegonus, Ulyssis et Circes filius, missus a matre, ut genitorem quaereret, tempestate in Ithacam est delatus.* Ex Telegonia Proclus: *Τηλέγονος εἰς ζήτησιν τοῦ πατρὸς πλέων, ἀποβὰς εἰς τὴν Ἰθάκην.*

summitas marinae turturis osse armabatur) De marina turture multa a veteribus memorantur. *Τρυγών* Graecis vocatur, et est *ἰχθὺς θαλάσσιος, ἧς τὸ κέντρον δηλητήριον,* ut ait Hesychius. *Trygon pestiferum est animal,* scribit Plin. IX. 48. *cui radius supra caudam eminens admodum exsecrabilis est.* Multa de hac exitiali vi habet Oppian. Halieut. II. 480. ibique Rittershus. Cf. Philostr. Vit. Apollon. VI. p. 271. ibique Olear. Huius piscis radio cuspidem Telegoni fuisse armatum, praeter Dictyn ait Eustath. ad Hom. loc. Atque hoc *κέντρῳ τρυγόνος* (Schol. Hom. l. l.; Tzetz. ad Lyc. 795. 818.), *κέντρῳ δυσαλθὴς ἔλλοπος Σαρδονικῆς* (Lycophron Cass. 795.), *ἀκάνθῃ θαλασσίας τρυγόνος* (Parthen. Erot. 3.), *αἰχμῇ τῆς τρυγόνος* (Philostr. l. l.), *ἀκάνθᾳ ποντίου βοσκήματος* (Aeschyl. fragm.), interfectus est Ulixes. *Ὀδυσσεὺς ἀκανθοπλήξ* inscripsit tragoediam Sophocles.

per custodes agri — cohibitus) In Ithacam delatus, fame coatus agros depopulari coepit, ait Hygin. fab. 127. Oppian. Hal. II. 101. *αὐτὰρ ὁ νήσῳ αἰγιβότῳ προσέκελσε, καὶ οὐ μάθε πώεα πέρθων πατρὸς ἑοῦ.* Ex Telegonia Proclus: *ἀποβὰς εἰς τὴν Ἰθάκην, τέμνει τὴν νῆσον.*

cognito parentem esse) Scil. Ulysses et Telemachus *ignari* cum Telegono arma contulerant, scribit Hygin. l. l. Ex Telegonia Proclus: *ἐκβοηθήσας δ' Ὀδυσσεὺς ὑπὸ τοῦ παιδὸς ἀναιρεῖται. Τηλέγονος δὲ ἐπιγνοὺς τὴν ἁμαρτίαν κ. τ. λ.*

senior iam provectaeque aetatis) Hom. l. l. *γήρᾳ ὑπὸ λιπαρῷ.* Aeschyl. fragm. *παλαιὸν δέρμα καὶ τριχοῤῥυές.* Ceterum sunt,

qui istud mortis genus negent, Ulixemque senectute confectum morbo decessisse dicant; ut praeter Ptolem. Heph. IV. qui apud Circen senio confectum obiisse scribit, Lucianus ἐν Τραγοποδάγρᾳ.

Ἰθάκης ἄνακτα Λαερτιάδην Ὀδυσσέα
Ἐγὼ κατέπεφνον, οὐκ ἄκανθα τρυγόνος.

INDEX LATINITATIS.

B.

D.

E.

F.

G.

Q.

Z.

INDEX HISTORICUS.

D.

II.

DARES PHRYGIUS.

PRAEFATIO.

Ἦν δέ τις ἐν Τρώεσσι Δάρης, ἀφνειὸς, ἀμύμων, Ἱρεὺς Ἡφαίστοιο. Hom. Il. V. 9. Antiquissima *Daretis Phrygii*, rerum Troianarum scriptoris, qui ab Homerico illo nomen quaesivisse videtur, mentio fit apud Ptolemaeum Hephaest. lib. I. sic referentem: Ἀντίπατρος δέ φησιν ὁ Ἀκάνθιος, Δάρητα, πρὸ Ὁμήρου γράψαντα τὴν Ἰλιάδα, μνήμονα γενέσθαι Ἕκτορος, ὑπὲρ τοῦ μὴ ἀνελεῖν Πάτροκλον, ἑταῖρον Ἀχιλλέως. Idem testatur Eustathius ad Hom. Od. XI. 521. verbis fere iisdem: Ἀντίπατρος δὲ ὁ Ἀκάνθιός φησι, καὶ τῷ Ἕκτορι Δάρητα Φρύγα δοθῆναι μνήμονα, μὴ ἀνελεῖν φίλον τοῦ Ἀχιλλέως, Ἀπόλλωνος τοῦ Θυμβραίου τοῦτο χρήσαντος· τὸν δὲ αὐτομολήσαντα ὑπὸ Ὀδυσσέως ἀναιρεθῆναι.

Quod apud Eustathium adstruitur, *Daretem transfugam ab Ulixe fuisse occisum*, falsum est, si recte retulit latinus Daretis interpres cap. 12: *Dares Phrygius, qui hanc historiam scripsit, ait, se militasse usque dum Troia capta est.* et cap. 44: *Dares ibidem* (Troiae) *cum Antenoris factione remansit.* Rectius autem interpretem retulisse, sole lucidius est: occisus enim (in urbis expugnatione) Dares bellum usque ad Graecorum in patriam regressum persequi non potuit; quod conscripsisse eum probabile est post Troiam expugnatam, Antenore, quocum in patria remansit, regnante vitam tranquillam degentem.

Alterum testimonium, *Daretem Hectori datum esse monitorem, ne Patroclum occideret*, in ipso Darete, quem nunc legimus, ne verbo quidem attingitur. Attamen Daretem Graecum, cuius nunc epitome tantum latina relicta esse videtur, hanc rem commemorasse non est quod abnuas. Nam Achilli quoque, ut Dictyn Cretensem Idomenei

socium praetermittam, a veteribus Phoenix adiungitur moderator et consultor. Cf. Gloss. ad Dict. Cret. II, 34 et Obss. ad I. 14.

Ἰλιάδα denique Ptolemaeus et Aelianus, cuius verba infra ponam, Daretem scripsisse ferunt, non alium Daretis librum intelligentes, sed universim, opinor, locuti.

Quidquid de his rebus statuas, ut ad id quod maximum est perveniam, *Antipatrum Acanthium* Daretis Phrygii historiam novisse, ex Ptolemaei et Eustathii auctoritate verum iudicari debet. Plures autem quum fuerint Antipatri, Acanthius quis fuerit, quando vixerit, nescitur. Accensetur scriptorum generi, quos fabula ante Homerum bellum Troianum litteris mandasse fert. v. Fabric. Bibl. Gr. I. 2, 5. Novimus Antipatrum Thessalonicensem, eiusdem terrae, cuius est Acanthius, Macedoniae, qui tempore Christi nati vixit. Nonne unus idemque homo designatur? Quinquaginta certe annos et amplius Antipatrum nostrum ante Ptolemaeum scripsisse accipi potest, totidemque Daretem ante Antipatrum. Utcunque est: scriptorum, qui ante Homerum belli Troiani historiam conscripsisse falso traduntur, Dares videtur adnumerandus esse antiquissimis, antiquiorque fortasse habendus ipso Dicty Cretensi.

Antiquum de Darete testimonium est etiam Aeliani V. H. XI. 2: *Ὅτι ἦν Ὀροιβαντίου Τροιζηνίου ἔπη πρὸ Ὁμήρου, ὥς φασιν οἱ Τροιζήνιοι λόγοι, καὶ τὸν Φρύγα δὲ Δάρητα, οὗ Φρυγίαν Ἰλιάδα ἔτι καὶ νῦν ἀποσωζομένην οἶδα· πρὸ Ὁμήρου καὶ τοῦτον γενέσθαι λέγουσιν.* Atque ex certissimis his Ptolemaei et Aeliani monumentis, exque ea ipsa caussa, quod Dictys ab his silentio praetermittitur, veri saltem est simillimum, a Darete superari antiquitate Dictyn, cuius aetas ultra Neronem reponi omnino nequit, simulque, licet certi quid affirmari hoc in genere vix possit, errasse me in Praefat. ad Dict. Cret. p. XXVII sq., contendentem, Dictyn antiquiorem esse Darete, huncque multis in rebus Dictyis vestigia legisse.

Posteriorum adiungo testimonia. Isidor. Orig. I. 41: *Apud Gentiles* (Troianos) *vero primus Dares Phrygius de Graecis et Troianis historiam edidit: quam in foliis palmarum ab eo conscriptam esse ferunt.* Ioseph. Iscan. B. Troi. I. 24:

Mira quidem dictu, sed vera, advertite, pandam:
Nam vati Phrygio [1]) Martem certissimus index
Explicuit praesens oculus, quem fabula nescit.
Hunc ubi combiberit avidae spes ardua mentis,
Quos superos in vota vocem? Mens conscia veri
Proscripsit longe ludentem ficta poetam [2]):
Quin te Cecropii mentita licentia pagi [3]),
Et laedant figmenta, pater, quo praeside [4]) floret
Cantia, et in priscas respirat libera leges.

Albertus Abbas Stadensis in Troilo suo, ad fin.

Nulla poetarum posuit (Albertus) figmenta, Daretis
Historiam, soliti scribere vera, tenens.
Et Phrygius fuit iste Dares, et tempore belli
Ipse quidem miles proelia visa refert.

Alberti carmen versibus elegiacis scriptum cognitum mihi est per Heusingerum, qui multos descripsit ex cod. Guelpherbytano versus in Defens. Fragm. Cornelii Nepotis, expressos in Cornel. Nep. ed. Bardil. T. II. p. 385 sqq. — De Guidone, Henrico Brunsvigensi, aliisque Daretis sectatoribus diximus ad Dict. Cret. Praefat. p. XXI sqq. Adiicio Guidonis *) de Darete verba adhuc mihi incognita: *Et quia Phry-*

---

1) i. e. Dareti. *Vatem* vocat Iscanus minus accurate, fortasse ob iactatam hominis antiquitatem.

2) Homerum; qui, ut Aristoteles Poet. c. 24 ait, δεδίδαχε μάλιστα καὶ τοὺς ἄλλους ψευδῆ λέγειν, ὡς δεῖ. Varro scribit, Sibyllam Erythraeam Graiis Ilium petentibus vaticinatam, perituram Troiam et Homerum mendacia scripturum. Noster respexisse videtur ad illam Platonis ἐξορίαν, qua e republica eiicitur, quae nunquam fuit. *Dresem.*

3) *Cecropii pagi* i. e. Athenarum, i. e. Graeciae, i. e. Graecorum poetarum. Athenas Athenaeus V. p. 187. Ἑλλάδος μουσεῖον, Thucydides πρυτανεῖον Ἑλλήνων vocant, καὶ Ἑλλάδος Ἑλλάδα. v. Dresem.

4) Intellige Thomam Cantuarensem Episcopum, cui Iscanus poema suum dicavit; quem ludicris fabularum incestari non concedit. v. Dresem.

*) Forte fortuna factum est, ut nuper unus ex meis discipulis quatuor scripti libri folia, ex incustodito oppidi nostri ipsisque pueris patenti tabulario depromta, mihi offerret, memorabile, ut illi quidem videbatur, scribendi genus monstraturus. Dum oculis folia perlustro, mihi videbar cognoscere codicem Guidonis de Columna satis perspicua manu scriptum; nec me fefellisse arbitror. Perscribuntur autem in illis foliis haec: Mors Castoris et

gius Dares voluit in hoc loco quorundam Graecorum et Troianorum describere colores et formas, qui, etsi non omnium, saltim describere voluit formosorum. Asseruit enim in codice sui operis, g r a e c a l i n g u a composito, *omnes illos suis oculis inspexisse. Nam saepius inter treugas habitas inter exercitus ipse se ad Graecorum tentoria conferebat, uniuscuiusque maioris formam aspiciens et contemplans, ut ipsorum in suo opere sciret describere qualitates.*

Daretis fabulae graecae conscriptae non nullas videntur habuisse illecebras, quae multos imitatores et expilatores evocaverint. Latinus libellus, qui nunc in manibus est, excerpta continet hominis indocti. Quis hodie non miratur, fuisse, qui mendaci Epistolae Dareti nostro praefixae fidem adiunxerint, quosque tenuerit opinio, versionem a Cornelio Nepote, eodem, cuius Vitae excellentium Impp. manibus teruntur, esse confectam? Iure merito viri elegantioris eruditionis Nepotem a culpa tam foedae latinitatis vindicarunt, credulosque illos castigatos summae inscitiae infamarunt. „Haud vidi magis," ait Scioppius Parad. Litt. Epist. V. „cum, qui vel primoribus labris bonos latinitatis auctores attigit, historiam tam lutulentam non nisi ab homine indoctissimo, qui nec minimum latini sermonis gustum unquam hauserit, scribi potuisse statim agnoscat. Ita in omnibus pagellis ea se offerunt, quae *τῶν κοινοβίων* claustra resipiant, aut Actuariorum cancellos nuper admodum refregisse videantur." Atque credulis illis exclamat Dresemius in Praefat. ad Iscan.: „*ὦ Βοιωτοὶ, ὡς σφόδρα ἐστὲ Βοιωτοί!* Credant illi et fruantur suo errore: mihi talia campae Solis et Naevii Buttubata." Fuere etiam, qui Iosephi Iscani Devonii carmen Cornelio Nepoti adscriberent: contra quos lege acriter disputantem Dresemium.

Qui primus Pseudo-Cornelii mentionem facit, est saeculo quarto decimo Henricus Brunsvigensis. v. Praefat. ad Dict. p. XXI. Commemoratio antiquior mihi ignoratur. Quam ob rem et propter sordi-

---

Pollucis, statura Graecorum et Troianorum, navium numerus, consilium Graecorum et legatio Delphos missa Apollinem consultum, imago Apollinis. Ex inconditarum chartarum tabularii sordida farragine nihil amplius eruere potui; integer codex incuria et inscitia hominum Linciensium intercidisse videtur.

dum excerptoris sermonem, viri docti Dareti dignitatem scriptoris *Romani* abiudicarunt; et Artopoeus in Praefat. ad Dict. Cret. hanc Daretis prosam ex Iosephi Iscani carmine heroico esse consarcinatam contendit. Possunt afferri, quae Artopoei sententiam confirmare videantur: saepe enim Iscanus et Dares ipsis verbis conveniunt. Enotabo pauca. Dares c. 4: *minime moram fecit.* et Iscan. I. 475: *Nec mora, diffusam spatiis maioribus urbem Integrat.* Dar. 10: *conscius formae suae.* et Iscan. III. 224: *ac formae fidens et conscius oris.* Dar. 12: *cupidum imperii.* et Iscan. IV. 65: *imperii cupidus.* Dar. 13: *acceptum, gratum.* et Iscan. IV. 107: *acceptus noto gratusque merenti.* Dar. 24: *femur sauciat.* et Iscan. V. 496: *femur ferit.* Dar. 27: *Achilles vulgo queritur.* et Iscan. VI. 102: *grave frustra discrimen passos queritur.* Dar. 28: *in proelium non prodit.* et Iscan. VI. 117: *solus non prodit in arma Aeacides, solus non militat.* Ibid. *Eo facto laetus.* et Iscan. VI. 131: *His hilaris.* Conferas velim in Adnott. Iscani verba ad Daretis descripta locos hos: cap. 24: *muliebria verba; prosiliit in pugnam; colliditur proelium.* 28: *dissimulat.* 37: *mitibus verbis.* 41: *ad patrem abscondit.* cett. Sed res longe superant singula verba, atque multo gravioribus argumentis, ex narrationibus petitis, Artopaei opinio destruitur. Primum enim Dares noster nonnullas res aliter enarrat atque Iscanus. Cf. vel cap. 3. Tum vero permulta Dares prolixe persequitur et accurate exponit, quae in Iscani carmine omnino desiderantur: v. c. navium catalogus; bellum in triginta certamina divisum; temporum rationes, quot dies quodque certamen et quamdiu duraverint factae induciae: ea omnia Iscanus ignorat; in temporum autem rationibus inter Daretem et Henricum Brunsvigensem accurate convenit, ita ut nihil certius esse possit, quam Daretem et Henricum pariter secutos esse non Iscanum, sed antiquum Daretem graecum. His argumentis simul infirmatur etiam Fabricii Bibl. Gr. I. ubi de Darete agit, suspicio, Iscanum ex latino, quem nunc legimus, Darete poema suum conscripsisse; nam Iscanum quoque Daretem graecum ob oculos habuisse mihi persuasum est.

Quid autem caussae est, quaeret hic aliquis, quod hi scriptores, quum Daretem omnes sint secuti, tamen saepe numero diverse narrent? Latinum interpretem quod attinet, omnium, qui graeca latine tradiderunt, commune est vitium, ut negligentiae et licentiae culpam

contraxerint; quod iam ad Dict. Praefat. p. XXV. observavimus. Plectimus nostrum hanc ob causam in Adnott. ad cap. 3. 11. 15. 19. Iosephus Iscanus poeta erat; cui generi non id est consilium, ut anxie omnibus in rebus exempli sui vestigia legant, sed animo indulgere lubet, aliena passim admiscere et in fabulis tractandis omnino pro ingenio suo versari. Henricus denique Brunsvigensis (vel potius is, quem in vernaculam linguam transtulit) non Daretem solum sequitur, sed Dictyn quoque, et utriusque narrationem saepe in unum confundit vel iuxta ponit. Duplex narratio est de Menelao, quum Paris Cytheram venisset (v. Adnott. ad c. 9), de Castore et Polluce (v. ad c. 11), de Aiacis morte (v. ad c. 35); Antenori tribuuntur, quae alibi rectius Polydamanti (v. ad c. 39); in Troiae proditione modo Daretis modo Dictyis narrationem sectatur. Permulta Henricus immiscet a bello Troiano prorsus aliena, v. c. facta Herculis, fuse cap. 47. 48. 49. perscripta. De eius novandi cupiditate aliisque rebus, quae huc pertinent, disputavimus ad Dict. Praefat. p. XXII.

Redeo ad Daretis interpretem: „in quo", ut ait Mercerus in Praefat. ad Dict. Cret., „neque eruditionem, neque iudicium, neque ullam elocutionis elegantiam observamus, ut nimis impudenter fecisse videatur, qui Cornelii Nepotis nomen mentitus est, quasi inficetae versionis auctoris." Sermo latinus pessimus est, ut peiore vix unquam quisquam Romanus usus sit. Panduntur phrases natura diversissima, bonae malae, optimae pessimae, ex antiquioribus scriptoribus poetisque mire mixtae; non desunt etiam formulae novae, quarum fons nunc quidem desideratur, malae plerumque, nonnullae tamen haud spernendae. Suum cuique hoc in genere sit iudicium: equidem animo meo depellere non possum opinionem, esse Daretem nostrum scriptorem vere Romanum. Si qui operae pretium habuerit, libellum sine ira et studio pervolvere measque Adnotationes animum advertere, fortasse in eandem sententiam mecum inclinabit. Quo autem tempore rudis ille scriptor Romanus epitomen suam coustruxerit, definire non ausim. Quinto, sexto, an posteriore saeculo scripserit, nescio: eum ultimum latinitatis senium resipiscere, nemo est quin sentiat.

Fabulas Daretis quod attinet, vel obiter instituta comparatione apparet, ex iis ad cyclum Troicum locupletandum, quod sit paullo

gravioris momenti, repeti nihil. „In enarratione totius historiae," ait Mercerus l. c., „Dares fere ubique diversus abit ab omni antiquitate; pauca similia vero de suo adstruit, absurda, inconsequentia plurima: nec quicquam in toto libello singulare, praeter Thesidarum mentionem, quos una cum Anio (v. c. 19.) rem frumentariam curasse scribit." Qua re singulas fabulas cum antiquitate conferre, operamque in earum vel similitudine vel discrepantia demonstranda perdere, futilis labor est: eam tantummodo rationem sequi placuit, ut, quantas corruptiones Darete auctore fabulae Troicae deinceps perpessae essent, ostenderem, et multa hoc in genere cognitu digna, adhuc autem incognita vel minus cognita, in lucem proferrem doctisque viris proponerem.

Dares, ut in vulgatis editionibus textus fertur, mutilus apparet et admodum corruptus, atque in diversis MSS. et edd. admodum diversus. Emendatiorem Daretem, Dictyi adiectum, primus edidit Iosias Mercerus Paris. 1618, 12. ope duorum dissimillimorum codd. e bibliotheca St. Victoris Parisiensis; repetitam Amstelaedami 1631, 16. editionem Orellius, vir celeberrimus, mihi tradidit. Mercerianam deinceps secutae sunt aliae: Annae Daceriae in usum Delphini Paris. 1680, repetita Amstel. 1702, 4; et Ulrici Obrechti, a Samuele Artopoeo curata Argentorat. 1691, 8: utraque Dictyi suffixa: in quibus, paucis modo mutatis, ed. Merceriana denuo exprimitur. Diversissima ab his edd. est ed. Cratandrina, quae prodiit Basil. 1529, 8. Orellii humanitate mihi permissa. Haec nondum collata ed., quae locis longe plerisque non textum Daretis reddere, sed periphrasin saepe confusam continere videtur, quum in universum tenuis sit pretii, multis tamen locis ex ea Dareti genuina lectio restituitur. Paullo maioris auctoritatis est, quam Orellius paravit, collatio codicis Sangallensis saec. IX. Praestantissimum esse hunc codicem, ad Dictyn vidimus; sed Dares, Dictyi in eo suffixus, maximam partem est periphrasis manus longe posterioris. Codex Sangallensis et editio Cratandrina affinitate quadam sunt coniuncta, et permultis locis, quibus lectio vulgata multum abit, in genuinam scripturam conspirant, multasque lacunas probe explent. — Ex his libris varias lectiones perpetua serie enotare nolui; potissimas tantum, quae ad corruptelas emendandas non nullius videbantur momenti, lectoribus proponere non

praetermittendum putavi. In rebus levioribus, ubi parum dubitationis relinquebatur, iudicio meo inserviens, tacitis rationibus crisin exercui.

Signa, quibus brevitatis causa usus sum, haec sunt:

Sg. = codex Sangallensis.
C. = editio Cratandrina.
M. = editio Merceriana.
O. = editio Obrechti.
D. = editio Dacceriana.

Scrib. Lincii ad Rhenum mense Octobr. 1834.

DARETIS PHRYGII

DE

EXCIDIO TROIAE

HISTORIA.

CORNELIUS NEPOS
SALLUSTIO CRISPO
S.

Quum multa Athenis studiosissime agerem, inveni historiam Daretis Phrygii, ipsius manu scriptam, ut titulus indicat, quam de Graecis et Troianis memoriae commendavit. Quam ego summo amore complexus, continuo transtuli. Cui nihil adiciendum vel diminuendum reformandi causa putavi, alioquin mea posset videri. Optimum ergo duxi, ut, ita ut fuit vere et simpliciter perscripta, sic eam in latinitatem transverterem, ut legentes cognoscere possent, quomodo hae res gestae essent: utrum magis vera esse existiment, quae Dares Phrygius memoriae commendavit, qui per id tempus vixit et militavit, quo Graeci Troianos oppugnarent; anne Homero credendum, qui post multos annos natus est, quam hoc bellum gestum fuisset. de qua re Athenis iudicium fuit, quum pro insano Homerus haberetur, quod Deos cum hominibus belligerasse descripserit. Sed hactenus ista. Nunc ad pollicitum revertamur.

DARETIS PHRYGII DE EXCIDIO TROIAE HISTORIA.

Cap. I.

Pelias rex Aesonem fratrem habuit. Aesonis filius erat Iason, virtute praestans: et qui sub eius regno erant, omnes

eos hospites habebat, et ab eis validissime amabatur. Pelias rex ut vidit Iasonem acceptum esse omnibus, veritus est, ne sibi iniurias faceret, et se regno eiceret. Dicit Iasoni, Colchis pellem arietis inauratam esse, dignam eius virtute: ut eam inde auferret, omnia se ei daturum pollicetur. Iason ubi audivit, ut erat animi fortissimi, et qui loca omnia nosse volebat, atque clariorem se existimabat futurum, si pellem inauratam Colchis abstulisset, dicit Peliae regi, se velle eo ire, si vires sociique non deessent. Pelias rex Argum architectum vocari iussit, et ei imperat, ut navim aedificaret quam pulcerrimam, ad voluntatem Iasonis. Per totam Graeciam rumor cucurrit, navem aedificari, in qua Colchos eat Iason, pellem auream petiturus. Amici et hospites ad Iasonem venerunt, et pollicentur se una ituros. Iason illis gratias agit, et rogavit, ut parati essent, quum tempus supervenisset. Iason quum tempus supervenit, litteras ad eos misit, qui erant polliciti sese una ituros: et illico convenerunt ad navem, cuius nomen erat Argo. Pelias rex, quae opus fuerant, in navim imponi iussit, et hortatus est Iasonem et qui cum eo ituri erant, ut animo forti ad perficiendum irent, quae conati essent. Ea res claritatem Graeciae et ipsis factura videbatur. Demonstrare eos, qui cum Iasone profecti sunt, non nostrum est: sed qui vult eos cognoscere, Argonautas legat.

Cap. II.

Iason ut ad Phrygiam venit, navem admovit ad portam Simoenta. Deinde omnes de navi exierunt ad terram. Laomedonti regi Troianorum nuntiatum est, mirandam navim in portum Simoenta intrasse, et in ea multos iuvenes de Graecia advectos esse. Ubi audivit Laomedon rex, commotus est, et consideravit, commune periculum esse, si consuescerent Graeci ad sua littora navibus adventare. Mittit itaque ad portum, qui dicant, ut Graeci de finibus eius discedant: sin dicto non obaudientes essent, sese armis eos de finibus eiecturum. Iason et qui cum eo venerant, graviter tulerunt crudelitatem Laomedontis, sic se ab eo tractari, quum nulla ab eis iniuria facta esset: simul et timebant multitudinem barbarorum, si contra

imperium conarentur permanere, ne opprimerentur: quum ipsi non essent parati ad proeliandum, navim conscenderunt, a terra recesserunt, Colchos profecti sunt, pellem abstulerunt, domum reversi sunt.

Cap. III.

Hercules graviter tulit, a rege Laomedonte contumeliose se tractatum, et eos, qui una profecti erant Colchos cum Iasone. Spartam ad Castorem et Pollucem venit. Agit cum his, ut secum suas iniurias defendant, ne Laomedon impune ferat, quod illos a terra et portu prohibuisset. Multos adiutores futuros, si se accommodassent. Castor et Pollux omnia promiserunt se facturos, quae Hercules vellet. Ab his Salaminam profectus, ad Telamonem venit, rogatque eum, ut secum ad Troiam eat, et ut suas iniurias secum defendat. Telamon promisit, omnibus se paratum, quae Hercules vellet. Inde ad Phthiam profectus est ad Peleum, rogatque eum, ut secum eat ad Troiam: pollicitusque est ei Peleus, se iturum. Inde Pylum ad Nestorem profectus est, rogatque eum Nestor, quid venerit. Hercules dicit, quod dolore commotus sit, velle se exercitum in Phrygiam ducere. Nestor Herculem conlaudavit, operamque suam pollicitus est. Hercules, ubi omnium voluntates intellexit, naves quindecim parat, milites eligit. Ubi tempus datum est proficiscendi, litteras ad eos, quos rogaverat, misit; qui cum suis hominibus quum venissent, profecti sunt in Phrygiam, et ad Sigeum noctu accesserunt. Inde Hercules, Telamon et Peleus exercitum eduxerunt; et navibus qui praesidio essent, Castorem, Pollucem et Nestorem reliquerunt. Laomedonti regi nuntiatum est, classim Graecorum ad Sigeum accessisse. Laomedon cum equestri copia ad mare venit, coepitque proeliari. Hercules ad Ilium ierat, et imprudentes qui erant in oppido oppugnare coepit. Quod ubi Laomedonti nuntiatum est, oppidum ab hostibus oppugnari, Ilium illico revertitur; et in itinere obvius Graecis factus, ab Hercule occiditur. Telamon primus oppidum Ilium intravit: cui Hercules virtutis caussa Hesionam, Laomedontis regis filiam, dono dedit. Laomedontis filii, qui cum eo fuerant, occiduntur, Hypsipilus, Vol-

contis, Anyritus. Priamus in Phrygia erat, ubi eum Laomedon, eius pater, exercitui praefecerat. Hercules et qui cum eo venerant, praedam magnam fecerunt, et ad naves deportaverunt. Inde domum proficisci decreverunt. Telamon Hesionam secum convexit.

Cap. IV.

Hoc ubi Priamo nuntiatum est, patrem occisum, cives direptos, praedam evectam, Hesionam sororem dono datam, graviter tulit, tam contumeliose Phrygiam tractatam esse a Graiis. Ilium petit cum Hecuba uxore et liberis Hectore, Alexandro, Deiphobo, Heleno, Troilo, Andromacha, Cassandra, Polyxena. Nam erant ei etiam alii filii ex concubinis nati; sed nemo ex regio genere dixit esse, nisi eos, qui essent ex legitimis uxoribus. Priamus ut Ilium venit, minime moram fecit, ampliora moenia exstruxit, civitatem munitissimam reddidit, et militum multitudinem ibi esse fecit, ne per ignorantiam opprimeretur, ita ut Laomedon pater eius oppressus est. Regiam quoque aedificavit, et ibi Iovi Statori aram consecravit. Hectorem in Paeoniam misit, Ilio portas fecit, quarum haec sunt nomina: Antenorea, Dardania, Ilia, Scaea, Thymbraea, Troiana. Deinde postquam Ilium stabilitum vidit, tempus exspectavit. Ut visum est ei, patris iniurias ulcisci, Antenorem vocari iubet, dicitque ei, velle se eum legatum in Graeciam mittere: quum graves sibi iniurias ab his, qui cum exercitu venerant, factas in Laomedontis patris nece et in abductione Hesionae pertulisset, omnia tamen aequo se animo passurum, si Hesiona ei redderetur.

Cap. V.

Antenor, ut Priamus imperavit, navim conscendit, et profectus venit Magnesiam ad Peleum. Quem Peleus triduo recepit: die quarto rogat eum, quid venerit. Antenor dicit ea, quae a Priamo mandata erant, ut Graios postularet, ut Hesiona redderetur. Haec ubi Peleus audivit, graviter tulit eo, quod haec pertinere ad se videbat: iubet eum de finibus suis discedere. Antenor nihil moratus navim ascendit, secundum

Boeotiam iter fecit, Salaminam advectus est ad Telamonem: rogare eum coepit, ut Priamo Hesionam sororem redderet; non enim esse aequum, tamdiu in servitute habere regii generis puellam. Telamon Antenori respondit, nihil a se Priamo factum; sed quod virtutis caussa sibi donatum sit, se nemini daturum: ob hoc Antenorem de insula discedere iubet. Antenor navim conscendit, in Achaiam venit. Inde ad Castorem et Pollucem delatus, coepit ab his postulare, ut Priamo satisfacerent, et ei Hesionam sororem redderent. Castor et Pollux negaverunt, iniuriam Priamo factam esse, sed Laomedontem eos priorem laesisse: Antenorem discedere iubent. Inde Pylum ad Nestorem venit; dixit Nestori, qua de caussa venisset. Qui ut audivit, coepit Antenorem obiurgare, cur ausus esset in Graeciam venire, quum a Phrygibus priores Graeci laesi fuissent. Antenor ubi audivit nihil se impetrasse, et contumeliose Priamum tractari, navim conscendit, domum reversus est. Priamo regi demonstrat, quomodo unusquisque responderit, et quomodo ab illis tractatus sit; simulque hortatus est Priamum, ut eos bello persequatur.

Cap. VI.

Continuo Priamus filios vocari iubet, et omnes amicos suos, Antenorem, Anchisen, Aenean, Ucalegontem, Bucolionem, Panthum, Lamponem, et omnes filios, qui ex concubinis nati erant. Qui ut convenerunt, dixit eis, se Antenorem legatum in Graeciam misisse, ut hi sibi satisfacerent, quod patrem suum necassent, Hesionam sibi redderent: illos contumeliose se tractasse, et Antenorem nihil ab eis impetrasse. Verum quoniam suam voluntatem facere noluissent, videri sibi, exercitum in Graeciam mitti, qui poenas repeterent ab eis, ne barbaros Graeci inrisui haberent. Hortatusque est Priamus liberos suos, ut huius rei principes forent, maxime Hectorem; erat enim maior natu: qui coepit dicere, velle se quidem voluntatem patris exsequi, et Laomedontis avi sui necem ulcisci et quascunque iniurias Graeci Troianis fecissent, ne inpunitum id Graiis foret; sed vereri, ne non perficere possent, quod conati essent: multos adiutores Graeciae futuros;

Europam bellicosos homines habere; Asiam semper in desidia vitam exercuisse, et ob id classem non habere.

Cap. VII.

Alexander cohortari coepit, ut classis praeparetur et in Graeciam mittatur: se rei principem futurum, si pater vellet: in deorum benignitate se confidere, victis hostibus laude adepta, de Graecia domum rediturum esse. Nam sibi in Ida silva, quum venatum abisset, in somnis Mercurium adduxisse Iunonem, Venerem et Minervam, ut inter eas de specie iudicaret: et tunc sibi Venerem pollicitam esse, si suam speciosiorem faciem iudicaret, daturam se ei eam uxorem, quae in Graecia speciosior videretur: ubi ita audisset, optimam facie Venerem iudicasse: unde sperare debere Priamum, Venerem adiutricem Alexandro futuram. Deiphobus placere sibi dixit Alexandri consilium, et sperare, Graecos Hesionam reddituros et satisfacturos, si, ut dispositum esset, classis in Graeciam mitteretur. Helenus vaticinari coepit, Graios venturos, Ilium eversuros, parentes et fratres hostili manu interituros, si Alexander sibi uxorem de Graecia adduxisset. Troilus minimus natu, non minus fortis quam Hector, bellum geri suadebat, et non debere terreri metu verborum Heleni. quod omnibus placuit, classem comparari et in Graeciam proficisci.

Cap. VIII.

Priamus Alexandrum et Deiphobum in Paeoniam mittit ut milites legerent. Ad concionem populum venire iubet: commonefacit filios, ut maiores natu minoribus imperarent: monstravit, quas iniurias Graeci Troianis fecissent: ob hoc Antenorem legatum in Graeciam misisse, ut sibi Hesionam sororem redderent et satis Troianis facerent: Antenorem contumeliose ab eis tractatum; nec quidquam ab his impetrare potuisse ob hoc placere sibi, Alexandrum mitti cum classe in Graeciam, qui avi sui mortem et Troianorum iniurias ulciscatur. Antenorem dicere iussit, quomodo in Graecia tractatus esset. Antenor hortatus est Troianos, ne horrescerent; ad debellandam Graeciam suos alacriores facit: paucis demonstravit, quae in

Graecia gesserat. Priamus dixit, si cui displiceret bellum geri, suam voluntatem ediceret. Tunc Panthus Priamo et propinquis prodit ea, quae a patre suo Euphorbo audierat: Si Alexander uxorem de Graecia adduxisset, Troianis extremum exitium futurum: sed pulcrius esse, in otio vitam degere, quam in tumultu libertatem amittere, et periculum inire. Populus Panthi auctoritatem contempsit: regem dicere iusserunt, quid fieri vellet. Priamus dixit, naves praeparandas esse, ut in Graeciam eatur: utensilla quoque populo non deesse. Populus conclamavit, per se moram non esse, quo minus regis praeceptis pareatur. Priamus illis magnas gratias egit, concionemque dimisit. Ac mox in Idam silvam misit, qui materiem succiderent, naves aedificarent: Hectorem in superiorem Phrygiam misit, ut exercitum pararet; et ita praesto esset. Cassandra postquam audivit patris consilium, dicere coepit, quae Troianis futura essent, si Priamus perseveraret classem in Graeciam mittere.

Cap. IX.

Interea tempus supervenit. Naves aedificatae sunt: milites supervenerunt, quos Alexander et Deiphobus in Paeonia legerant. Et ubi visum est posse navigari, Priamus exercitum alloquitur: Alexandrum imperatorem exercitui praeficit, mittit cum eo Deiphobum, Aeneam, Polydamantem: imperatque Alexandro, ut primum Spartam accedat, Castorem et Pollucem conveniat, et ab his petat, ut Hesiona soror eius reddatur, et satis Troianis fiat: quod si negassent, continuo ad se nuntium dirigat, ut exercitum in Graeciam possit mittere. Post haec Alexander in Graeciam navigavit, adducto secum duce eo, qui cum Antenore iam navigaverat. Non multos ante dies quam Alexander navigavit, et antequam in insulam Cythercam accederet, Menelaus rex, ad Nestorem Pylum proficiscens, Alexandro in itinere occurrit, et mirabatur regiam classem quo tenderet. Utrique occurrentes aspexerunt se invicem, inscii quo quisque iret. Castor et Pollux ad Clytemnestram ierant, secum Hermionam neptem suam, Helenae filiam, adduxerant. Argis Iunonis dies festus erat his diebus, quibus Alexander in

insulam Cythercam venit. Ubi ad fanum Veneris Dianae sacrificavit, hi qui in insula erant, mirabantur regiam classem, et interrogabant ab illis, qui cum Alexandro venerant, qui essent, quid venissent. Responderunt illi, a Priamo rege Alexandrum legatum missum ad Castorem et Pollucem, ut eos conveniret.

Cap. X.

At vero Helena Menelai uxor, quum Alexander in insula Cytherea esset, placuit ei eo ire. Qua de caussa ad littus processit, ubi Dianae et Apollinis fanum est: ibi rem divinam Helena facere disposuerat. Quod ubi Alexandro nuntiatum est, Helenam ad mare venisse, conscius formae suae in conspectu eius ambulare coepit, cupiens eam videre. Helenae nuntiatum est, Alexandrum, Priami regis filium, ad Helaeam oppidum, ubi ipsa erat, venisse. quem etiam ipsa videre cupiebat. Et quum se utrique respexissent, ambo, forma sua incensi, tempus dederunt, ut gratias referrent. Alexander imperat, omnes ut in navibus sint parati: nocte classem solvant, de fano Helenam eripiant, secum eam auferant. Signo dato fanum invaserunt, Helenam inviolatam eripiunt, in navem deferunt, et cum ea mulieres aliquas depraedantur. Quod ubi Helenam abreptam oppidani vidissent, diu pugnaverunt cum Alexandro, ne Helenam eripere posset: quos Alexander fretus multitudine sociorum superavit, fanum exspoliavit, homines secum quamplurimos captivos duxit, in navim imposuit, classem solvit, domum reverti disposuit: in portum Tenedon pervenit, ubi Helenam moestam alloquio mitigavit, patri rei gestae nuntium misit. Menelao postquam in Pylo nuntiatum est, cum Nestore Spartam profectus est, ad Agamemnonem fratrem misit Argos, rogans, ut ad se veniat.

Cap. XI.

Interea Alexander ad patrem suum cum praeda pervenit, et rei gestae ordinem refert. Priamus gavisus est, sperans, Graecos caussa recuperationis Helenae sororem Hesionam reddituros, et ea, quae inde a Troianis abstulerant. Helenam

moestam consolatus est, et eam Alexandro coniugem dedit. Quam ut aspexit Cassandra, vaticinari coepit, memorans ea, quae ante praedixerat: quam Priamus abstrahi et includi iussit. Agamemnon postquam Spartam venit, fratrem consolatus est: et placuit, ut per totam Graeciam conquesturi mitterentur, ad convocandos Graecos et Troianis bellum indicendum. Convenerunt autem hi: Achilles cum Patroclo, Euryalus, Tlepolemus, Diomedes. Postquam Spartam accesserunt, decreverunt iniurias Troianorum persequi, exercitum et classem comparare: Agamemnonem imperatorem et ducem praeficiunt. Hi legatos mittunt, ut tota Graecia conveniant cum classibus et exercitibus ornati paratique ad Atheniensium portum, ut inde pariter ad Troiam proficiscantur, ad defendendas suas iniurias. Castor et Pollux in recenti, postquam audierunt Helenam sororem suam raptam, naves ascenderunt et secuti sunt. Cumque in littore Lesbio navim solverent, maxima tempestate correptos nusquam comparuisse dictum est: postea creditum est, eos immortales factos. Itaque Lesbios navibus eos usque ad Troiam quaesitum isse, neque eorum vestigia usquam inventa domi renuntiasse.

Cap. XII.

Dares Phrygius, qui hanc historiam scripsit, ait, se militasse usque dum Troia capta est. Hos se vidisse, quum induciae essent, partim proelio interfuisse: a Dardanis audisse, qua facie et natura fuissent Castor et Pollux. Fuerunt autem alter alteri similis, capillo flavo, oculis magnis, facie pura, bene figurati, corpore deducto. Helenam similem illis, formosam, animo simplici, blandam, cruribus optimis, notam inter duo supercilia habentem, ore pusillo. Priamum, regem Troianorum, vultu pulcro, magnum, voce suavi, aquilino corpore. Hectorem blaesum, candidum, crispum, strabum, pernicibus membris, vultu venerabili, decentem, bellicosum, animo magnum, civibus clementem, dignum, et amori aptum. Deiphobum et Helenum similes patri, dissimiles natura: Deiphobum fortem; Helenum clementem, doctum, vatem. Troilum magnum, pulcerrimum, pro aetate valentem, fortem, cu-

pidum virtutis. Alexandrum candidum, longum, fortem, oculis pulcerrimis, capillo molli et flavo, ore venusto, voce suavi, velocem, cupidum imperii. Aeneam rufum, quadratum, facundum, affabilem, fortem cum consilio, pium, venustum, oculis hilaribus et nigris. Antenorem longum, gracilem, velocibus membris, versutum, cautum. Hecubam magnam, aquilino corpore, pulcram, mente virili, iustam, piam. Andromacham oculis claris, candidam, longam, formosam, modestam, sapientem, pudicam, blandam. Cassandram mediocri statura, ore rotundo, candidam, rufam, oculis micantibus, futurorum praesciam. Polyxenam candidam, altam, formosam, collo longo, oculis venustis, capillis flavis et longis, compositis membris, digitis prolixis, cruribus rectis, pedibus optimis, quae forma sua omnes superaret, animo simplici, largam, dapsilem.

Cap. XIII.

Agamemnonem albo corpore, magnum, membris valentibus, facundum, prudentem, nobilem, divitem. Menelaum mediocri corpore, rufum, formosum, acceptum, gratum. Achillem pectorosum, ore venusto, membris valentibus et magnis, bene crispatum, clementem, in armis acerrimum, vultu hilari, largum, dapsilem, capillo myrteo. Patroclum pulcro corpore, oculis vividis et magnis, verecundum, rectum, prudentem, dapsilem. Aiacem Oileum quadratum, valentibus membris, aquilino corpore, iucundum, fortem. Aiacem Telamonium valentem, voce clara, capillis nigris, coma crispa, animo simplici, in hostem atrocem. Ulixem formosum, dolosum, ore hilari, statura media, eloquentem, sapientem. Diomedem fortem, quadratum, corpore honesto, vultu austero, in bello acerrimum, clamosum, cerebro calido, impatientem, audacem. Nestorem magnum, naso obunco, longum, latum, candidum, prudentem, consiliarium. Protesilaum corpore candido, vultu honesto, velocem, confidentem, temerarium. Neoptolemum magnum, viriosum, stomachosum, blaesum, vultu bonum, aduncum, oculis rotundis, superciliosum. Palamedem gracilem, longum, sapientem, animo magnum, blandum. Podalirium crassum, valentem, superbum, tristem. Machaonem

magnum, fortem, certum, prudentem, patientem, misericordem. Merionem rufum, mediocri statura, corpore rotundo, viriosum, pertinacem, crudelem, impatientem. Briseidam formosam, non alta statura, candidam, capillo flavo et molli, superciliis iunctis, oculis venustis, corpore aequali, blandam, affabilem, verecundam, animo simplici, piam.

Cap. XIV.

Deinde ornati cum classibus Graeci Athenas convenerunt: Agamemnon ex Mycenis navibus numero centum; Menelaus ex Sparta navibus numero sexaginta; Arcesilaus et Prothoenor ex Boeotia navibus numero quinquaginta; Ascalaphus et Ialmenus ex Orchomeno navibus numero triginta; Epistrophus et Schedius ex Phocide navibus numero quadraginta; Aiax Telamonius ex Salamina adduxit secum Teucrum fratrem, Elide Amphimachum, Diorem, Thalpium, Polyxenum, navibus numero quadraginta; Nestor ex Pylo navibus numero octoginta; Thoas ex Aetolia navibus numero quadraginta; Aiax Oileus ex Locris navibus numero triginta septem; Antiphus et Phidippus ex Calydna navibus numero triginta; Idomeneus et Meriones ex Creta navibus numero octoginta; Ulixes ex Ithaca navibus numero duodecim; Eumelus ex Pheris navibus numero decem; Protesilaus et Podarces ex Phylaca navibus numero quadraginta; Podalirius et Machaon, Aesculapii filii, ex Tricca navibus numero triginta duabus; Achilles cum Patroclo et Myrmidonibus ex Phthia navibus numero quinquaginta; Tlepolemus ex Rhodo navibus numero novem; Eurypylus ex Ormenio navibus numero quadraginta; [Antiphus et Amphimachus ex Elide navibus numero duodecim;] Polypoetes et Leonteus ex Argissa navibus numero quadraginta; Diomedes, Euryalus, Sthenelus ex Argis navibus numero octoginta; Philoctetes ex Melibaea navibus numero septem; Guneus ex Cypho navibus numero viginti una; Prothous ex Magnesia navibus numero undecim; Agapenor ex Arcadia navibus numero sexaginta; Mnestheus ex Athenis navibus numero quinquaginta. Hi fuerunt duces Graecorum, numero quadraginta et unus, qui adduxere naves numero mille septuaginta octo.

Cap. XV.

Postquam Athenas convenerunt, Agamemnon duces in concilium convocat, hortatur, ut quam primum iniurias suas defendant. Rogat, si illis placeat; suadetque, ut, antequam proficiscerentur, Delphos ad Apollinem consulendum de tota re mitterent: cui omnes assentiunt. Cui rei praeficitur Achilles, et cum Patroclo proficiscitur. Priamus interea, ut audivit, quia hostes parati sunt, mittit per totam Phrygiam, qui finitimos exercitus adducant, domique milites magno animo comparat. Quum Achilles Delphos venisset, ad oraculum pergit; et ex ädytis respondetur: Graecos victuros decimoque anno Troiam capturos. Achilles res divinas, sicut imperatum est, facit. Et eo tempore venerat Calchas, Thestore natus, divinus: dona propter Phryges a suo populo missus Apollini portabat; simul consuluit de regno rebusque suis. Huic ex adytis respondetur, ut cum Argivorum classe militum contra Troianos proficiscatur, eosque sua intelligentia moveat, ne vel inde prius discedant, quam Troia capta sit. Postquam in fanum ventum est, inter se Achilles et Calchas responsa contulerunt: gaudentes hospitio, amicitiam confirmant, una Athenas proficiscuntur, perveniunt, et Achilles eadem in concilio refert. Argivi gaudent, Calchantem secum recipiunt, classem solvunt. Quum eos tempestates ibi retinerent, Calchas ex augurio respondit, ut revertantur, et primum in Aulidem proficiscantur, ut Dianae sacrificent. Profecti perveniunt. Agamemnon Dianam placat, dicitque sociis, ut classem solvant, ad Troiam iter faciant. Utuntur duce Philocteta, qui cum Argonautis ad Troiam fuerat. Deinde applicant classem ad oppidum, quod sub imperio Priami regis erat, et id expugnant, praedaque facta, proficiscuntur. Veniunt Tenedon, ubi omnes occidunt. Agamemnon praedam dividit, concilium vocat.

Cap. XVI.

Inde legatos ad Priamum mittit, si vellet Helenam et praedam, quam Alexander fecit, restituere. Legati leguntur Diomedes et Ulixes, ad Priamum proficiscuntur. Dum legati

mandato parent, mittuntur Achilles et Telephus ad depraedandam Moesiam. Ad Teuthrantem regem veniunt, praedamque faciunt. Teuthras cum exercitu supervenit; quem Achilles fugato exercitu vulneravit: quem iacentem Telephus clypeo protexit, ne ab Achille interficeretur, commemorans hospitium inter se eo tempore, quo Telephus adhuc puer, a patre Hercule progenitus, a Teuthrante rege hospitio receptus est. Diomedem regem ferunt eo tempore cum equis potentibus [venantem] et feris, ab Hercule interfectum, Teuthranti regnum reddidisse totum: ob hoc eius filium Telephum ei suppetias venisse. Quod quum Teuthras intelligeret, se eodem vulnere mortem effugere non posse, regnum suum vivus Telepho tradidit, et eum regem ordinavit. Tum regem Teuthrantem Telephus magnifice sepelivit. Suadet ei Achilles, ut novum regnum conservet: et plus multo exercitum adiuturum, si commeatu et frumento, quot annis morati fuerint, de eodem regno adiuvet, quam si ad Troiam eat. Itaque Telephus remanet. Achilles cum magno praedae commercio ad exercitum Tenedon revertitur. Agamemnoni rem gestam narrat: Agamemnon approbat, conlaudat.

Cap. XVII.

Interea legati missi ad Priamum veniunt. Ulixes Agamemnonis verba refert, postulat, ut Helena et praeda reddatur, satisque fiat regi, ut pacifice discedant. Priamus iniurias Argonautarum commemorat, patris interitum, Troiae expugnationem et Hesionae sororis servitutem: denique Antenorem legatum quum miserit, quam contumeliose ab eis tractatus sit: pacem repudiat, bellum indicit, Graecorum legatos de finibus repelli iubet. Legati in castra Tenedon revertuntur, renuntiantes responsum. Res consulto geritur.

Cap. XVIII.

Aderant vero ad auxilium Priamo adversum duces Graecorum ductores hi cum exercitibus suis, quorum nomina et provincias insinuandas esse duximus. De Zelia Pandarus [Amphion, Adrastus]; de Colophonia Mopsus; de Caria Na-

stes, Amphimachus; de Lycia Sarpedon, Glaucus; de Larissa Hippothous et Copesus; de Ciconia Euphemus; de Thracia Pirus et Acamas; de Paeonia Pyraechmes, Asteropaeus; de Phrygia Ascanius, Asius et Phorcys; de Maeonia Antiphus et Mesthles; de Moesia Ennomus et Chromis; de Paphlagonia Pylaemenes; de Aethiopia Perses et Memnon; de Thracia Rhesus et Archilochus; de Adrestia Adrastus et Amphius; de Alizonia Odius et Epistrophus. His ductoribus et exercitibus, qui parabantur, praefecit Priamus principem et ductorem Hectorem; deinde Deiphobum, Alexandrum, Troilum, Aeneam, Memnonem. Dum Agamemnon consulit de tota re, ex Cormo advenit Nauplii filius Palamedes cum navibus triginta. Ille se excusavit: morbo affectum Athenas venire non potuisse; quo advenerit, quum primum potuerit. Gratias agunt, rogantque eum in consilio esse.

Cap. XIX.

Deinde quum Argivis non constaret, exeundum ad Troiam clam noctu an interdiu foret, Palamedes suadet et rationem addit, luce ad Troiam exscensionem fieri oportere, et manum hostium diduci. Itaque omnes ei assentiunt. Consulto Agamemnonem praeficiunt. Legatos ad Moesiam ceterosque locos mittunt, ut exercitui commeatus supportandos curent, Thesidas Demophoontem et Acamantem [et Anium]. Deinde exercitum ad concionem convocat, collaudat, imperat, hortatur: monet diligenter, ut dicto obaudientes essent. Signo dato naves solvunt, tota classis in latitudine accedit ad Troiam. Littora Troiani fortiter defendunt. Protesilaus in terram exscensionem facit, fugat, caedit. Cui Hector obviam venit et eum interfecit: ceteros proturbat. Unde Hector recedebat, ibi Troiani fugabantur. Postquam magna caedes utrinque facta est, advenit Achilles. Is totum exercitum in fugam convertit, redegitque in Troiam. Nox proelium dirimit. Agamemnon exercitum in terram educit, castra facit. Postera die Hector exercitum ex urbe educit et instruit. Agamemnon contra clamore magno occurrit. Proelium acre et iracundum fit: fortissimus quisque in primis cadit. Hector Patroclum occidit et

eum spoliare parat. Merion eum ex acie, ne spoliaretur, eripuit. Hector Merionem persequitur et occidit. Quem quum similiter spoliare vellet, advenit suppetias Mnestheus: Hectoris femur sauciat. Saucius quoque multa millia occidit: et perseverasset Achivos mittere in fugam, nisi obvius illi Aiax Telamonius fuisset. Cum quo quum congrederetur, cognovit, eum esse de sanguine suo: erat enim de Hesiona, sorore Priami, natus. Quo pacto Hector a navibus ignem removeri iussit: et utrique se invicem remuneraverunt, et amici discesserunt.

Cap. XX.

Postera die Graiugenae inducias petunt. Achilles Patroclum plangit, Graiugenae suos. Agamemnon Protesilaum magnifico funere effert, ceterosque sepeliendos curat. Achilles Patroclo ludos funebres facit. Dum induciae sunt, Palamedes non cessat seditionem facere: indignum regem Agamemnonem esse, qui exercitui imperaret, et indoctum dixit. Ipse coram exercitu multa sua ostendit studia: primo suam exscensionem, castrorum munitionem, vigiliarum circuitionem, signi dationem, librarum ponderumque dimensionem, exercitusque instructionem ostendit. Haec quum a se acta fuissent, non aequum esse, quum a paucis imperium Agamemnoni datum esset, eum omnibus, qui postea convenissent, imperare, quum praesertim omnes ingenium et virtutem spectassent in ducibus suis. Dum Achivi de imperio inter se vicissim certant, proelium post biennium repetitum est. Agamemnon, Achilles, Diomedes, Menelaus exercitum educunt. Contra Hector, Troilus, Aeneas occurrunt. Fit magna caedes, ex utraque parte fortissimi cadunt. Hector Boetem, Archilochum et Prothoenorem duces occidit. Nox proelium dirimit. Agamemnon noctu omnes duces in concilium convocat: suadet, hortatur, ut omnes in aciem prodeant, et maxime Hectorem persequantur, qui de his aliquos duces fortissimos occidit.

Cap. XXI.

Mane autem facto, Hector, Aeneas, Alexander exercitum educunt. Omnes duces Argivorum prodeunt. Fit magna cae-

des. Multa invicem millia Orco demittuntur. Menelaus Alexandrum persequi coepit: quem respiciens, Alexander sagitta Menelai femur transfigit. Ille dolore commotus, pariter cum Aiace Locro non cessat eum persequi. Quos ut vidit Hector instantes fratrem suum persequi, suppetias ei venit cum Aenea: quem Aeneas clypeo protexit, et secum de proelio ad civitatem adduxit. Nox proelium dirimit. Achilles cum Diomede postera die exercitum educit. Contra Hector et Aeneas. Fit magna caedes. Hector [Orcomeneum] Ialmenum, Epistrophum, Schedium, Elephenorem, Diorem, Polyxenum, duces fortissimos, occidit: Aeneas Amphimachum et Nireum: Achilles Euphemum, Hippothoum, Pylaeum, Asteropaeum: Diomedes Antiphum, Mesthlem. Agamemnon ut vidit fortissimos cecidisse, pugnam revocavit. Troiani laeti in oppidum revertuntur. Agamemnon sollicitus duces in concilium convocat: hortatur, ut viriliter pugnarent, neque desisterent, quoniam maior pars ex suis superata sit: sperare se, exercitum ex Moesia quotidie superventurum.

Cap. XXII.

Postera die Agamemnon totum exercitum et omnes duces in pugnam prodire coegit. Contra Troiani. Fit magna caedes, acriter utrinque pugnatur, multa millia hinc et inde cadunt: nec differebatur pugna, ita ut continuis octuaginta diebus pugnatum sit. Agamemnon ut vidit multa millia quotidie cadere, nec sufficere mortuos sine intermissione funerari, misit legatos Ulixem et Diomedem ad Priamum, ut inducias in triennium peterent, ut suos funerare posset, et vulneratos curare, et naves reficere, et exercitum reparare, commeatusque comparare. Ulixes et Diomedes noctu legati ad Priamum vadunt. Occurrit illis Dolon ex Troianis. Qui quum interrogarentur, quid ita armati noctu ad oppidum venissent, dixerunt, se ab Agamemnone legatos ad Priamum missos. Quos ut Priamus audivit venisse, et desiderium suum exposuisse, in consilium omnes duces convocat: quibus refert, legatos venisse ab Agamemnone, et inducias in triennium petere. Hectori suspectum videtur, quod tam longum tempus postulassent. Priamus di-

cere imperat, quid cuique videatur. Omnibus placitum est, inducias in triennium dari. Interim Troiani moenia renovant, suos saucios curant, cum ingenti honore suos quisque funerant.

Cap. XXIII.

Tempus pugnae post triennium supervenit. Hector et Troilus exercitum educunt cum Aenea. Contra Agamemnon, Menelaus, Achilles et Diomedes occurrunt. Fit magna caedes. Hector in prima acie duces validissimos interficit, Phidippum, Antiphum et Merionem: Achilles Lycaonem Euphorbumque occidit: et cetera ex plebe multa millia hominum ex utraque parte cadunt. Pugnatur acriter continuis diebus triginta. Priamus ut vidit multa millia hominum de suo exercitu cecidisse, mittit legatos ad Agamemnonem, ut inducias peterent mensibus sex: et ex consilii sententia Agamemnon concedit inducias. Tempus pugnae supervenit. Acriter per duodecim dies pugnatur. Multi duces fortissimi hinc et inde cadunt, plures vulnerantur, plurimi in curatione moriuntur. Agamemnon mittit ad Priamum legatos, ut triginta dierum inducias postulent, ut funerare mortuos possit. Priamus consulto facit, annuitque.

Cap. XXIV.

At ubi tempus pugnae supervenit, Andromacha, uxor Hectoris, in somnis vidit, ne Hector in pugnam procederet: et quum ad eum visum referret, Hector muliebria verba abicit. Andromacha moesta ad Priamum misit, ut illi prohibeat, ne ea die pugnaret. Priamus Helenum, Alexandrum, Troilum, Aeneam et Memnonem iubet accersiri, ut illi in pugnam prodirent: in pugnam misit. Hector ut ista cognovit, multum increpans Andromacham, arma ut proferret poposcit, nec retineri ullo modo potuit. Moesta Andromacha, summissis capillis, Astyanactem filium protendens ante pedes Hectoris, eum revocare non potuit. Tunc planctu foemineo oppidum concitat, ad Priamum in regiam currit, refert, quid in somnis viderit, et Hectorem velle in pugnam prodire, nec posse proiecto ad genua filio suo revocari. Priamus omnes in pugnam prodire iussit, Hectorem retinuit. Agamemnon, Diomedes,

Achilles, Aiax Locrus, ut videre Hectorem non prodisse, acriter pugnaverunt, multosque duces de Troianorum numero occiderunt. Hector ut audivit tumultum in bello, et sine se Troianos laborare, prosiliit in pugnam. Statimque Idomeneum obtruncat, Iphinoum sauciat, Leonteum occidit, Stheneli femur iaculo figit. Quem ut Achilles respexit, et tot acerrimos duces ab eo interfectos, animum in illum dirigebat, ut illi obvius fieret. Considerabat enim Achilles, nisi Hectorem occideret, plures de Graecorum numero eius dextera perituros. Multa millia hominum interea trucidantur. Acre proelium colliditur. Hector Polypoetem ducem fortissimum occidit: et quum spoliare coepisset, Achilles supervenit. Fit pugna maior, et clamor ab oppido et a toto surgit exercitu. Hector Achillis femur sauciat. Achilles, dolore accepto, magis eum persequi coepit, nec destitit, nisi occideret. Quo interemto, Troianos in fugam vertit, et maxima caede eos usque ad portam fugavit. Cui tamen Memnon fortissime restitit: et illi acriter inter se certaverunt: laesi utrique discesserunt. Nox proelium dirimit. Achilles de bello saucius redit. Noctu Troiani Hectorem lamentantur.

Cap. XXV.

Postera die Memnon Troianos educit contra Graecorum exercitum. Agamemnon exercitum consulit, suadetque inducias duorum mensium postulari, ut suos quisque sepelire possit. Legati ad Priamum proficiscuntur, desiderium prosecuti sunt, duorum mensium inducias accipiunt. Priamus Hectorem suo more ante portam sepelivit, cui ludos funebres facit. Dum induciae sunt, Palamedes iterum non cessat de imperio conqueri. Itaque Agamemnon seditioni cessit, et dixit, se de ea re libenter laturum, ut, quem vellent, imperatorem praeficerent. Postera die populum ad concionem vocat: negat, se unquam cupidum imperii fuisse: aeque animo se accipere, si cui vellent dare: se libenter cedere: satis sibi esse, dum hostes ulciscantur; et parvi facere, cuius id ope fiat. Iubet dicere, si cui quid placeat. Palamedes prodit, suum ingenium ostendit. Itaque Argivi imperium ei tradunt. Palamedes Argivis

gratias agit, imperium accipit, administrat. Achilles vituperat imperii commutationem.

Cap. XXVI.

Interea induciae exeunt. Palamedes ornatum paratumque exercitum educit, instruit, hortatur. Contra idem facit Deiphobus. Pugnatur acriter a Troianis. Sarpedon Lycius cum suis impressionem in Argivos facit, caedit, prosternit multos. Ei obvius fit Tlepolemus Rhodius: sed diu stando et pugnando male vulneratus cadit. Succedit Perses, Admestae filius, proelium restituit: diuque cum Sarpedone comminus pugnando occiditur. Sarpedon quoque male multatus de proelio rediit. Itaque per aliquot dies proelia fiunt: utrinque ductores multi occiduntur, sed plures a Priamo. Troiani mittunt legatos, inducias petunt, ut mortuos sepeliant, saucios curent. Palamedes inducias facit in annum: suosque sepeliunt, saucios curant. Fide data ultro citroque in oppidum et in castra Argivorum commeant. Palamedes Agamemnonem legatum mittit ad Thesidas, Demophoontem et Acamantem, quos legatos Agamemnon praefecerat, ut commeatus compararent, et frumentum de Moesia a Telepho acceptum supportarent. Ut eo venit, seditionem Palamedis narrat. Illi moleste ferunt. Agamemnon dicit, se moleste non ferre, sua voluntate id factum esse. Interea Palamedes naves comparandas curat, castra munit, turribus circumdat. Troiani exercitum exercent, murum diligenter resarciunt, fossas et vallum addunt, ceteraque diligenter componunt.

Cap. XXVII.

Postquam dies anni venit, quo Hector sepultus est, Priamus et Hecuba et Polyxena ceterique Troiani ad sepulcrum eius profecti sunt. Quibus obvius fit Achilles: Polyxenam contemplatur, figit animum, amare eam vehementer coepit. Tunc ardore impulsus, odiosam vitam in amore consumere coepit: et aegre ferebat, ademptum imperium Agamemnoni sibique Palamedem praepositum. Amore cogente Phrygio servo fidelissimo mandata dat ferenda ad Hecubam, et ab ea sibi

uxorem Polyxenam poscit: hoc si fecerit, se cum suis Myrmidonibus domum rediturum: quod quum ipse fecerit, ceterosque idem facturos. Servus proficiscitur ad Hecubam, convenit, mandata dicit. Hecuba respondit, se velle, sed si Priamo viro suo placeat: dum ipsa cum Priamo agat, servus reverti iubetur. Servus Achilli quid egerit nuntiat. Agamemnon cum magno commeatu ad castra revertitur. Hecuba cum Priamo de conditione Achillis loquitur. Priamus respondit, fieri non posse: non ideo, quod indignum eum affinitate existimet, sed, si ei dederit et ipse discesserit, ceteros non discessuros: et iniquum esse, filiam suam hosti iungere. Quapropter si id fieri vellet, pax perpetua fiat, et exercitus discedat, foederis iura sanciantur: si id factum sit, se ei libenter filiam daturum. Itaque quum servus ab Achille ad Hecubam missus esset, eadem Hecuba, quae cum Priamo egerat, servo dicit. Servus Achilli nuntiat. Achilles vulgo queritur, unius mulieris Helenae caussa totam Graeciam et Europam advocatam esse, tanto tempore tot millia hominum periisse, tot pericula adiri, libertatem in ancipiti esse: unde fieri pacem debere, exercitus recedere.

Cap. XXVIII.

Annus circumactus est. Palamedes exercitum educit, instruit. Deiphobus contra. Achilles iratus in proelium non prodit. Palamedes occasionem nactus, impressionem in Deiphobum facit, et eum obtruncat. Proelium acre insurgit: ab utrisque partibus multa millia hominum cadunt. Palamedes in prima acie versatur: hortaturque, proelium ut fortiter gerant. Contra eum Sarpedon Lycius occurrit, eumque Palamedes interficit. Eo facto laetus in acie versatur. Cui exsultanti et glorianti Alexander Paris sagitta collum transfigit. Phryges animadvertunt, tela coniiciunt: atque ita Palamedes occiditur. Rege occiso, Argivi cedunt: hostes impressionem cuncti faciunt: turpiter Argivi terga vertunt, in castra confugiunt: Troiani persequuntur, castra oppugnant, naves incendunt. Achilli nuntiatum est: dissimulat. Aiax Telamonius fortissime defendit. Nox proelium dirimit. Argivi in castris Palamedis

scientiam, aequitatem, bonitatem, clementiam lamentantur. Troiani Sarpedonem et Deiphobum deflent.

Cap. XXIX.

Nestor, qui maior natu erat, noctu ductores in consilium evocat, suadet, hortatur, ut imperatorem praeficiant; et si eis videatur, eundem Agamemnonem minima cum discordia fieri posse. Item commemorat, dum is summus imperator esset, prospere gestum esse, satis felicem fuisse exercitum: si cui quid aliud videatur, dicere suadet. Omnes assentiunt: Agamemnonem summum imperatorem praeficiunt. Postera die Troiani laeti ex oppido in aciem prodeunt. Agamemnon contra exercitum educit. Proelio commisso, uterque exercitus inter se fugantur. Postquam maior pars diei transiit, procedit in primis Troilus, caedit, devastat Argivos, in castra fugat. Postera die Troiani exercitum educunt. Contra Agamemnon. Fit magna caedes: uterque exercitus inter se pugnant, proelium acre fit. Multos duces Argivorum Troilus interfecit. Pugnatur continuis diebus septem. Agamemnon inducias petit in duos menses. Palamedem magnifico funere effert: ceterosque duces ac milites utrique sepeliendos curant.

Cap. XXX.

Agamemnon, dum induciae sunt, mittit ad Achillem Nestorem, Ulixem, Diomedem, ut rogarent illum in bellum prodire. Abnegat Achilles moestus, quod iam destinaverat, in bellum non prodire, ob id quod promiserat Hecubae; aut certe se minus pugnaturum, eo quod Polyxenam valde amabat. Coepit male eos accipere, qui ad se venerant, dicens: pacem debere fieri; tanta pericula unius mulieris caussa fieri, libertatem periclitari, tanto tempore diffidere; pacem expostulat, pugnam renuit. Agamemnoni renuntiatur, quid cum Achille actum sit, illum pertinaciter negare. Agamemnon omnes duces in consilium vocat: exercitum consulit, quid fieri debeat; imperat dicere, quid cuique videatur. Menelaus hortari coepit fratrem suum, ut potius exercitus in pugnam prodeant; nec debere terreri, si Achilles se excusaverit: se tamen per-

suasurum ei, ut prodeat in bellum; nec vereri, si noluerit. Commemorare coepit, Troianos non habere alium virum tam fortem, quam Hector fuit. Diomedes et Ulixes dicere coeperunt, Troilum non minus quam Hectorem virum fortissimum esse: sicque Menelao resistentes bellum geri prohibebant. Calchas ex augurio respondit, debere pugnare, nec curare quod modo superiores Troiani fuerint.

Cap. XXXI.

Tempus pugnae supervenit. Agamemnon, Menelaus, Diomedes, Aiax exercitum educunt. Contra Troiani. Fit magna caedes, pugnatur acriter, uterque exercitus inter se saeviunt. Troilus Menelaum sauciat, multos interficit, Argivos in castra fugat. Nox proelium dirimit. Postera die Troilus et Alexander exercitum educunt. Contra omnes Argivi prodeunt. Acriter utrinque pugnatur. Troilus Diomedem sauciat; in Agamemnonem impressionem facit, nec non faciem ipsius sauciat; Argivos caedit. Per aliquot dies pugnatur acriter: multa millia hominum ex utraque parte trucidantur. Agamemnon ut vidit, maiorem partem exercitus se quotidie amittere, neque sufficere posse, mittit inducias petere in sex menses. Priamus consilium cogit, indicat Argivorum desideria. Troilus negat, debere dari tam longo tempore inducias, sed potius impressionem fieri, naves incendi. Priamus, quid cuique videatur, dicere imperat. Omnibus placitum est, debere fieri, quod Argivi petunt. Tunc fiunt induciae in sex menses. Agamemnon suos honorifice sepeliendos curat: Diomedem, Menelaum saucios curat. Troiani aeque suos sepeliunt. Dum induciae sunt, Agamemnon ex consilii sententia ad Achillem cum Nestore proficiscitur, ut rogaret eum in bellum prodire. Achilles tristis negare coepit, se proditurum, sed pacem peti oportere: conqueri coepit: sed tamen, quod Agamemnoni nihil negare possit, quum tempus pugnae supervenisset, se milites suos missurum: ipsum excusatum haberet, quod se abstineret a pugna. Agamemnon ei gratias condignas agit.

Cap. XXXII.

Tempus pugnae supervenit. Troiani exercitum educunt. Contra Argivi prodeunt. Achilles Myrmidonas instruit, ad Agamemnonem paratos mittit. Fit pugna maior: acriter saevitur. Troilus in prima acie Argivos caedit, Myrmidonas fugat, impressionem facit in castra, multos occidit, plurimos sauciat. Aiax Telamonius obstitit. Troiani victores in oppidum revertuntur. Postera die Agamemnon exercitum educit: omnes duces et Myrmidones prodeunt. E contra Troiani laeti in aciem exeunt. Proelio commisso uterque exercitus inter re dimicant: acriter per aliquot dies pugnatur: multa millia hominum ex utraque parte cadunt. Troilus Myrmidonas persequitur, sternit, fugat. Agamemnon ut vidit plures ex sua parte occisos, inducias in dies triginta petit, ut suos funerare possit. Priamus inducias dedit. Suos quisque sepeliendos curat.

Cap. XXXIII.

Tempus pugnae supervenit. Troiani exercitum educunt. Contra Agamemnon omnes duces in pugnam cogit. Proelio commisso fit magna caedes: acriter saevitur. Postquam primum tempus diei transiit, prodit in proelio Troilus, caedit, prosternit. Argivi fugam cum clamore fecerunt. Achilles ut vidit Troilum ita desaevire et Argivis insultare, simulque sine intermissione Myrmidonas prosternere, Argivos laborare, prosiluit in bellum. Eum continuo Troilus praecipit, et sauciat. Achilles de proelio saucius redit. Pugnatur continuis diebus sex. Die septimo dum uterque exercitus proelio commisso inter se fugantur, Achilles, qui aliquibus diebus vexatus in pugnam non prodierat, Myrmidonas instruit. Hortatur, alloquitur, ut fortiter impressionem in Troilum faciant. Postquam maior pars diei transiit, prodit Troilus ex equo laetus. Argivi clamore magno fugam faciunt. Myrmidones supervenere, impressionem in Troilum faciunt: de quorum numero multi a Troilo occiduntur. Dum acriter proeliatur, equus Troili saucius corruit, Troilum implicitum excutit. Eum Achilles cito

adveniens occidit, et ex proelio trahere coepit: et subtraxisset, nisi Memnon eripuisset, et Achillem vulnere sauciasset. Achilles de proelio saucius redit. Memnon insequitur, et cum multis impressionem facit. Ut respexit eum Achilles, viditque eum instare et laetari, restitit: curato itaque vulnere, et aliquantulum proeliatus, Memnonem multis plagis occidit: et ipse vulneratus ab eo ex proelio recessit. Postquam Persarum dux occisus est, et Troianorum exercitus fusus est, reliqui in oppidum confugerunt portasque clauserunt. Proelium nox dirimit. Postera die a Priamo legati ad Agamemnonem missi sunt, ut inducias peterent. Agamemnon ex consilii sententia in dies triginta inducias facit. Priamus Troilum et Memnonem magnifico funere effert: ceterosque milites utrique sepeliendos curant.

Cap. XXXIV.

Hecuba moesta, quod duo filii eius fortissimi, Hector et Troilus, ab Achille interfecti essent, consilium muliebre temerarium iniit ad dolorem suum ulciscendum. Alexandrum filium accersit, orat, hortatur, ut se et suos fratres ulciscatur, insidias Achilli faciat, et eum nec opinantem occidat: quoniam ad se miserit, et rogaverit, ut sibi Polyxena in matrimonio daretur, se ad eum missuram Priami verbis, ut pacem foedusque inter se firment constituantque, in fano Apollinis Thymbraei ante portam: eo Achillem venturum, collocuturum: ibi insidias collocari: satis vitae suae esse, si eum occiderit. Quod temerarius Alexander erat, cito se promisit facturum. Noctu ducuntur de exercitu fortissimi, et in fano Apollinis collocantur: signum accipiunt. Hecuba ad Achillem Priami verbis, sicuti condixerat, nuntium mittit. Achilles laetus, Polyxenam amans, postera die ad fanum se venturum constituit. Et insequenti die cum Antilocho, filio Nestoris, ad constitutum venit: simulque ut introivit in fanum, ex insidiis occurrunt. Undique tela coniiciunt: eos Paris Alexander hortatur. Achilles cum Antilocho, brachio sinistro chlamyde cooperto, dextra ensem exserens, facit impetum. Achilles multos occidit. Alexander Antilochum et Achillem multis plagis confodit. Ita

Achilles ex insidiis, nequicquam fortiter faciens, animam amisit. Quem Alexander auferri et volucribus proiici iubet. Id ne fieret, Helenus multa commemorans prohibet, et eos de fano eici iubet, et suis tradi. Achillem et Antilochum sui in castra afferunt. Agamemnon Achillem magnifico funere effert: et ut sepulcrum ei faciat, a Priamo inducias petit, ibique ludos funebres facit.

Cap. XXXV.

Deinde consilium convocat: Argivos alloquitur. Placet omnibus, ut, quid faciendo opus sit, dii consulantur. Mittunt continuo, qui consulere debeant: qui responsum accipiunt, per Achillis progeniem finem negotii fieri. Quum haec nuntii retulissent, Aiax ait: quum Achilli filius Neoptolemus supersit, neminem aequius super Myrmidonas principatum gerere, eumque oportere accersiri ad exercitum, ut patrem suum ulciscatur, tandemque rei terminus detur. Placet Agamemnoni et omnibus consilium. Datur negotium Menelao. Hic Scyrum proficiscitur ad Lycomedem, avum eius: imperat, ut nepotem suum mittat. Quod Lycomedes Argivis libenter concessit. Postquam induciae exierunt, Agamemnon exercitum educit: instruit, hortatur. Contra Troiani prodeunt. Proelium committitur. In prima acie Aiax versatur. Clamore magno orto, multi ex utraque parte cadunt. Alexander arcum tendit, multos interficit, Aiacis latus nudum figit. Aiax saucius per hostes persequi Alexandrum coepit, nec destitit, nisi prosterneret. Aiax fessus vulnere in castra refertur: sagitta exemta statim moritur. Alexandri corpus ad urbem refertur. Alexandro occiso, Diomedes magno animo in hostes impressionem facit. Phryges fessi avertuntur, in urbem confugiunt, quos Diomedes usque in urbem persequitur: portas obserant. Agamemnon exercitum circa oppidum ducit, et tota nocte circa murum obsedit, et curat, ut alternis vicibus diligenter vigilias agant. Postera die Priamus Alexandrum in oppido sepelit: quem magno ululatu Helena prosecuta est, quoniam ab eo honorifice tractata sit. Quam Priamus et Hecuba ut filiam

aspexerunt et diligenter curavere, quod nunquam despexisset Troianos et Argivos desideravisset.

Cap. XXXVI.

Postera die Agamemnon coepit exercitum ante portam instruere, et Dardanos in proelium provocare. Priamus subsistere, urbem munire, et quiescere, usque dum Penthesilea cum Amazonibus auxilio superveniret. Penthesilea postea supervenit, et exercitum contra Argivos eduxit. Fit proelium ingens: per aliquot dies pugnatur. Argivi in castra opprimuntur. Cui vix Diomedes obstitit: alioquin castra vastasset, naves incendisset, Argivorum universum exercitum devastasset. Diremto proelio Agamemnon suos in castris retinet. Interim Penthesilea prodit, quotidie devastat Argivos, in bellum provocat. Agamemnon ex consilio castra munit tueturque, et in bellum non prodit, usque dum adveniat Menelaus cum Neoptolemo. Neoptolemus ut advenit, patris sui arma accipit: circa patris tumulum lamentatur clamore magno. Penthesilea ex consuetudine aciem instruit, et prodit usque ad castra Argivorum. Prodit Neoptolemus, Myrmidonas instruit et contra educit: Agamemnon exercitum instruit. Acriter ambo concurrunt. Neoptolemus stragem facit. Penthesilea occurrit: fortiter comminus stetit. Dum per aliquot dies acriter pugnaverunt, ambo multos occiderunt. Penthesilea Neoptolemum sauciat. Ille dolore accepto Amazonum ductricem Penthesileam obtruncat. Eo facto totum exercitum Troianorum in urbem fugat. Argivi cum exercitu murum circumdant, ut foras Troiani exire non possent.

Cap. XXXVII.

Hoc postquam Troiani viderunt, Antenor, Polydamas, Aeneas ad Priamum veniunt. Agunt cum eo, ut consilium vocet, de fortunis suis quid sit futurum. Priamus consilium convocat: illi postulaverunt loquendi facultatem dare: iubet dicere eos, quid desiderent. Antenor commemorat, principes defensores Troiae Hectorem ceterosque natos eius cum advenis ductoribus interfectos esse: magnos fortissimosque adhuc

contra stare, Agamemnonem, Menelaum, Neoptolemum, non minus fortem, quam pater eius fuisset, Diomedem, Aiacem Locrum, ceterosque quam plures summae prudentiae, Nestorem, Ulixem. Contra Troianos clausos et contritos esse. Suadet potius, ut Helena his et quae Alexander abstulit reddantur, et pax fiat. Postquam multa verba de pace concilianda dixerunt, surgit Amphimachus, filius Priami, adolescens fortissimus: malis verbis adortus est Antenorem, et eos qui consenserant increpare factaque eorum coepit, et suadere potius, exercitu irruptionem in castra facere, usque dum vincant, aut victi pro patria occumbant. Postquam is finem fecit, Aeneas exsurgit: lenibus mitibusque verbis refutat, pacem ab Argivis peti magnopere suadet.

Cap. XXXVIII.

Postquam finis dicendi factus est, Priamus magno animo surgit: ingerit multa mala Antenori et Aeneae. Eos auctores belli appetendi fuisse et legatos in Graeciam mittendi; quum ipse quoque Antenor legatus redierit, et renuntiaverit se contumeliose tractatum esse, et suaserit bellandum esse: deinde et Aeneam, qui cum Alexandro Helenam et praedam eripuerit. Quapropter certum sibi esse, pacem non fieri: imperatque, uti omnes parati sint, quum signum dederit, per portas irruptionem facere: aut vincere aut mori sibi certum esse. Haec postquam dixit, multis verbis eos hortatus, consilium dimisit: Amphimachum in regiam secum duxit, dixitque ei, se vereri ab his, qui pacem suaserant, ne oppidum prodant; eosque habere multos de plebe, qui cum eis sentiant: opus esse eos interfici. Si hoc factum sit, se patriam defensurum et Argivos superaturum. Simulque rogat, ut sibi fidelis et obaudiens paratusque cum armis sit: id sine suspicione ita fieri posse: postera die, ita uti solet, rem divinam facturum, eosque ad coenam vocaturum. Tunc Amphimachus consilio approbato hoc facturum promittit, atque ita ab eo discessit.

Cap. XXXIX.

Eodem die clam conveniunt Antenor, Polydamas, Ucalegon, Amphidamas, Dolon: dicunt, se mirari regis pertina-

ciam, qui clausus cum patria et comitibus perire mallet, quam pacem facere. Antenor ait, se invenisse, quid faciendum sit; quod sibi et illis in commune proficiat, dum sibi et illis foret fides. Omnes se in fide obstringunt. Antenor ut vidit se obstrictum, mittit ad Aeneam, dicens, prodendam esse patriam, et sibi suisque cavendum esse: ad Agamemnonem de his aliquem mittendum esse, quo id sine suspicione fiat: et maturandum esse; nam regem iratum de consilio surrexisse, quia ei pacem suaserit: vereri se, ne quid novi consilii ineat. Itaque omnes promittunt: statimque Polydamantem, qui ex his minime invidiosus erat, ad Agamemnonem clam mittunt. Polydamas in castra Argivorum pervenit, Agamemnonem convenit, dixitque ei, quae suis placerent.

Cap. XL.

Agamemnon clam noctu omnes duces in consilium convocat: refert eadem: quid cuique videatur, dicere iubet. Omnibus placitum est, ut fides proditoribus servetur. Ulixes et Nestor vereri se dixere, hanc temeritatem subire: Neoptolemus eos refutat. Dum inter se certant, placitum est, signum a Polydamante exigi, et propter id ipsum Sinonem ad Aeneam, Anchisem et Antenorem mitti. Sinon ad Troiam proficiscitur: et, quia nondum claves portae Amphimachi custodibus traditae erant, signo dato [Sinon] vocem Aeneae et Anchisae et Antenoris audiendo, confirmatus Agamemnoni renuntiat. Tunc placitum est omnibus, ut fides daretur et iureiurando confirmaretur, Antenori, Aeneae, Ucalegoni, Polydamanti, Doloni, suisque parentibus, liberis coniugibusque, et consanquineis, propinquis et amicis, qui una coniurassent, omnibus fidem praestari, suaque omnia sacra et bona incolumia habere liceat. Hoc pacto confirmato et iureiurando adstricto, suadet Polydamas, noctu exercitum ad portam Scaeam ut adducant, ubi extrinsecus caput equi pictum est: ibi praesidia habere noctu Antenorem cum Anchise, exercituique noctu portam reseraturos, eisque lumen prolaturos. Id signum irruptionis fore, quod ibi praesto forent, qui ad regiam eos ducant.

Cap. XLI.

Postquam pacta confirmata sunt, Polydamas in oppidum redit: facta renuntiat: dicit Antenori et Aeneae ceterisque, quibuscum actum erat, ut suos omnes ad Scaeam portam adducant, noctu Scaeam portam aperiant, lumen ostendant, exercitum introducant. Antenor et Aeneas noctu ad portam praesto fuerunt, Neoptolemum susceperunt, exercitui portam reseraverunt, lumen ostenderunt, fugae praesidium sibi et suis omnibus ut esset providerunt. Neoptolemus irruptionem facit: Troianos caedit: persequitur Priamum, quem ante aram Iovis obtruncat. Hecuba dum fugit cum Polyxena, Aeneae occurrit: Polyxenam ei tradit, quam Aeneas ad patrem Anchisem abscondit. Andromacha et Cassandra in aede Minervae se tegunt. Tota nocte Argivi non cessant devastare, praedam asportare.

Cap. XLII.

Postquam dies illuxit, Agamemnon omnes duces in arcem Minervae convocat: diis gratias agit, exercitum collaudat, omnem praedam iubet in medium afferri: eam se pariter cum omnibus partiturum: simulque exercitum consulit, an placeat, Antenori et Aeneae cum his, qui una patriam prodiderant, servari, quod illis clam confirmaverant. Exercitus totus conclamat, placere sibi. Itaque convocatis omnibus omnia sua reddidit. Antenor rogat Agamemnonem, ut sibi dicere liceat. Agamemnon dicere iubet. Principio Antenor gratias Graiugenis omnibus agit, simulque commemorat, Helenum et Cassandram semper patri bellum dissuasisse, Achilli sepulcrum Helenum dixisse donari, et dixit Helenum omnia scire. Agamemnon ex consilii sententia Heleno et Cassandrae libertatem reddidit. Helenus pro Hecuba et Andromacha rogare coepit Agamemnonem, commemorans ab his semper eum dilectum esse. Agamemnon ad consilium refert: placuit, illis libertatem reddi, suaque omnia restitui. Deinde praedam omni exercitui aequaliter divisit. Cuncti eum collaudaverunt. Quo facto, diis hostias et vota solvere placuit, et, quando debeant domum reverti, diem constituere.

Cap. XLIII.

Ut dies recessionis advenit, tempestates magnae exortae sunt, et per aliquot dies remanserunt. Calchas ex augurio respondit, inferis non esse satisfactum. Neoptolemo in mentem venit, Polyxenam, cuius causa pater perierat, non esse in regia inventam. Agamemnonem poscit: conqueritur: exercitum accusat. Antenorem accersiri iubet: imperat, ut perquirat eam et adducat. Is ad Aeneam venit, et diligentius perquirit, ut, quum primum Argivi proficiscantur, Polyxena Agamemnoni praesentetur: Polyxenam ibi ut absconditam invenit, ad Agamemnonem adducit. Agamemnon Neoptolemo illam tradit: isque eam ad tumulum patris iugulat. Agamemnon iratus Aeneae, quod Polyxenam absconderat, cum omnibus protinus patria excedere iubet. Aeneas cum suis navibus proficiscitur, Antenori terram tradit. Agamemnon postquam profectus est, Helena post aliquot dies, moesta magis quam alacris, domum reportatur cum suo Menelao. Helenus cum Cassandra et Hecuba et Andromacha Cherronesum petunt.

Cap. XLIV.

Hactenus Dares Phrygius Graecis litteris mandavit: nam is ibidem cum Antenoris factione remansit. Pugnatum est annis decem, mensibus sex, diebus duodecim. Ad Troiam ruerunt ex Argivis, sicut acta diurna indicant, quae Dares Phrygius descripsit, DCCCLXXXVI millia hominum, usque ad oppidum proditum: ex Troianis DCLXXVI millia hominum. Aeneas profectus est navibus, quibus Alexander in Graeciam ierat, numero XXII: quem omnis hominum aetas, circiter tria millia et quadringenti, secuta est. Antenorem secuti sunt duo millia et quingenti: Andromacham et Helenum mille ducenti. Hucusque historia Daretis.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIONES
IN
DARETEM PHRYGIUM.

ADNOTATIONES IN EPISTOLAM.

Studiosissime) Sg. et C. *curiose*.

mem. commendavit) Sg. et O. *mandavit*. M. et D. *qui-mem. commendatur*. Secutus sum C. Infra: *quae Dares P. memoriae commendavit*. In repetitione formulae ne haereas, cuius generis Dares sit plenus. Latinitas quoque proba. Cic. Phil. II. 13: *Quae res gloriosior, quae commendatior erit memoriae hominum sempiternae?* Fam. XI. 10: *Satis me multa scripsisse, quae litteris commendari possint, arbitror*.

adiciendum) Cap. 24. *abicere*. 1 et 34. *eicere*. De qua forma diximus ad Dict. Cret. II. 35 n. cr.

reformandi causa) Videtur scribendum *rei reformandae causa*. Nam C. *rei formidandae causa*. M. et D. *rei formandae causa*. Sg. *ordinandae rei causa*. Secutus tamen sum O. Similis confusio deprehenditur Caes. B. G. III. 13. ubi pro *derelictae* in aliis libris est *relictae*, et in optimis *rei relictae*. *Reformare* hic est, mutatis narrationibus a Darete acceptis, novam rebus formam dare in alienamque eas faciem vertere; quod fere dicitur *transformare*. In sequentibus C. *alioquin meam esse posset, dubitari*. orta lectio ex perversa interpretatione. Sensus loci est: Daretis historiis neque addam quidquam neque detraham, ab omni mutandi cupiditate alienus, rerum a Darete narratarum veritati probe addictus: ductus enim novandi studio, quae Daretis sunt, ea mihi ipsi vindicasse auctori viderer.

ut, ita ut fuit) Sic scripsi. In Sg. et C. excidit prius *ut*, in O. *ut ita*, in M. et D. cuncta *ut ita ut fuit*.

an Hom.) C. *minime Hom.* Sg. *anne*. Optime.

de qua re Athenis iudicium fuit) Ita hoc scriptum est, ut inde quis existimare possit, Athenis olim in iudicio actum fuisse, Daretine

potius an Homero credendum foret, ibique Homerum pro insano exactum. Quod quis unquam audivit! Atqui non illud voluit ineptus scriptor, sed illud tantum, fuisse olim Athenis, qui Homerum stultum iudicarent, quod Deos cum hominibus pugnantes induceret; et Platonem intelligit, qui de Homero illud iniquum iudicium tulit. A quo alii merito dissentientes affirmarunt, solum Homerum aut vidisse aut ostendisse formas Deorum. *Daceria.* Cf. Praefat. not. 2.

descripsit) Sg. *scripserit.* C. *descripserit.*

ADNOTATIONES IN CAP. I.

Pelias rex) In libris adiicitur *in Peloponneso*; quae verba Obrechtus, quum Pelias rex fuerit Thessaliae, expunxit.

validissime amabatur) *Valide amare* legimus Plaut. Merc. Prol. 42; quod idem est atque *valde amare.* Etiam gradus superlativus in simillimis formulis haud rarus est. Cic. Fam. VIII. 2: *validissime favere.* Plin. Ep. I. 20: *validissime placere.* Atque Plin. Ep. III. 15: *te validissime diligo.* pariter ac Dares.

omnibus) Sg. *omni homini.* C. *omni populo.*

ut eam inde auferret cet.) Constructio est: pollicetur, se ei daturum esse omnia, quae necessaria sint, ut eam inde auferre possit; vel: omnia, quibus auferri ea possit.

Iason ubi audivit) Cap. 2: *Ubi audivit Laomed.* 5: *Qui ut audivit.* Ubique intell. *hoc.* Cf. ad Dict. II. 39 n. cr.

fortis animi) C. *animo fortissimus.* Sg. *animi fortissimi.*

iussit ei et imperat) Hac temporum enallages figura, a bonis scriptoribus parce usitata, Dares decies quoque in capite nobis ad taedium usque incommodat; item hac: c. 24: *misit ut prohibeat ne pugnaret.* 40: *praesto forent qui ducant.* 30: *mittit ut rogarent.* 24: *iubet ut prodirent.* cet.

Per totam Gr. rumor cucurrit) Bene. *Serpit rumor* Cic. pro Mur. 21. *Manat per compita* Horat. Sat. II. 6. 50. *Volitat per oppida* Claudian. in Ruf. I. 347. *It per oppida* Ovid. Met. VI. 146. *It clamor coelo* Virgil. Aen. V. 451. Talia imprimis apud poetas inveniuntur.

petiturus) Sg. *petitum.*

Ea res claritatem Gr. et ipsis factura vid.) *Res mihi facit claritatem* non spernenda phrasis est. Nam et *claritas* pro gloria, et *facere* pro efficere, parare, haud ea sunt inusitata. Praeterea *gloriam alicui facere* dicit Plin. XIV. 1. et *famam ingenii alicui facere* Quintil. XI. 2. XII. 5.

Demonstrare) i. e. edicere, enumerare; vel potius: exponere et quasi in scenam producere, *vor Augen führen;* qua notione Gr. *ἀποδεικνύναι.* Cic. Fam. IX. 24: *quum ei rem demonstrassem, et vitam tuam superiorem exposuissem.* Sic verbum *demonstrare* multis

locis capiendum est. Ipse Dar. 8: *Paucis demonstravit, quae in Gr. gesserat.* pro quo infra: *monstravit, quas iniurias Gr. Tr. fecissent,* i. e. docuit. Cap. 5: *demonstrat, quomodo* cet. pro quo Iscan. II. 189: *iter explicat omne civibus.*

non nostrum est cet.) Sg. et C. *non videtur nostrum esse: sed qui volunt - legant.*

Argonautas legat) Ecce Pseudo - Dares! Cf. Dacer.

Cap. II.

commotus est) i. e. graviter motus, sollicitus, anxius factus est. Nep. Dat. 7: *Quo nuntio Artaxerxes commotus, quod intelligebat* cet.

commune periculum esse) i. e. civitatem periclitari. Nep. Alcib. 4: *utilitati communi paruisse*, i. e. civitatis. Caes. B. G. I. 39: *commune periculum miserabantur*, i. e. totius exercitus.

sin dicto non obaudientes essent) Sic scripsi, collatis librorum vestigiis. Etenim C. *sin edicto suo non audientes essent.* Sg. *et non dicto obedissent.* Cett. *et si non dicto obedissent.* Praeterea c. 19: *ut dicto obaudientes essent.* ubi C. *audientes.* Cap. 38: *fidelis et obaudiens.* ita Sg. In C. *audiens.* In cett. *obediens.* Verbum *obaudire* legitur apud Apuleium, Tertulianum posterioresque, ad quorum tempora Daretis interpres est relegandus.

crudelitatem Laom., sic se ab eo tractari) Infinitivus explicat *crudelitatem.* Eadem ratio est Cic. Off. I. 12: *Quid ad hanc mansuetudinem addi potest, eum, quicum bella geras, tam molli nomine appellare?* ubi infin. *appellare* explicat *mansuetudinem.* Dar. 7: *quod* (consilium) *omnibus placuit, classem comparari, et in Gr. proficisci.* 30: *Agam. renuntiatur, quid cum A. actum sit, illum pertinaciter negare.* Hoc cap. infra: *timebant multitudinem barbarorum — ne opprimerentur.* ubi *ne opprim.* explicationi sunt praecedentium *timebant multitudinem:* pariter atque Caes. B. G. I. 39: *rem frumentariam, ut satis commode supportari posset, timere dicebant.* ubi nequicquam interpretes variis explicationibus defatigantur.

nulla ab eis iniuria) Pro *a se.* Etiam apud alios scriptores esse huiusmodi exempla haud nescio. Hic tamen scribendum videtur *a se ei.*

domum reversi sunt) Fuse omnia persequitur Henricus usque ad Iasonis a Medea illatam mortem capp. 15 — 20.

Cap. III.

contumeliose - tractatum) Centies Dares (4. 5. 6. 8. 17. 38) *contumeliose aliquem tractare.* cf. Cic. ad Q. Fr. I. 3: *sceleratissime invidiosissimeque tractare.* Fam. VI. 2: *aspere tractare.* Porro Dares 2. 5. 8: *sic se tractari.* ut Cic. Fam. I. 3: *eum ita tractes.* Deni-

que Dar. 35: *honorifice tractata.* ut Cic. Fam. XIII. 27: *nec liberalius nec honorificentius potuisse tractari.* Vides haec omnia exemplis ipsius Ciceronis probari; attamen quum alia dicendi genera, eaque magis delectantia, in promtu fuerint, totiens in exiguo libello repetita formula plebeium arguit scriptorem, ex inferiore quodam ludorum ordine elapsum.

iniurias defendant) Infra: *et suas iniurias secum defendat.* In his, ut et cap. 11 et 15. *iniurias defendere* est factas iniurias ulcisci. De quo loquendi genere plura exposuimus ad Dict. Praef. p. LV sqq.

a terra) Sg. om. *a.*

si se accommodassent) sc. ad suam voluntatem, ad auxilium ferendum; vel: si precibus suis obsequerentur. Elegans locutio. Cic. Or. 8: *Omnes enim, qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur; ad eamque et ad eorum arbitrium et nutum totos se fingunt et accommodant.* Sueton. Tib. 48: *quod Seiano se non accommodassent,* i. e. non favissent, morem non gessissent.

Salaminam) Eadem forma c. 5. 14. Nullus dubito, quin ea omnibus etiam Nepotis locis, quibus insulae Salaminiae fit mentio (Them. 2. 3 et 9. Arist. 2), ex MSS. sit restituenda, quorum plurimorum atque optimorum auctoritate constanter ea confirmetur. Id quidem haud nescio, ipsum Cornelium omnesque aureae aetatis scriptores se hac forma abstinuisse; sed qui contraxit Cornelium et mutilavit, is usitatum temporis sui morem amplexus est. Cf. ad Dict. I. 5 n. cr. et Intp. ad Nep. Arist. 2, 1.

omnibus se paratum) Sg. *omnibus rebus.* C. *in omnibus rebus.* v. ad Dict. II. 16 n. cr. Praeterea *omnibus* ponitur pro ad omnia; de quo v. Gloss. ad Dict. III. 13.

ad Phthiam prof.) Vulg. *apud Phthiam.* ut Guido: *se conferant apud Troiam; apud Delphos nuntios dirigamus; apud Delphos se conferant.* Sed sic nemo latinus locutus est. Sg. et C. *ad Phthiam* i. e. in Phthiam. Sic 19: *Legatos ad Moesiam mittunt.* 40: *ad Troiam proficiscisur* i. e. in urbem Troiam. Ingressus in his significatur; ut accessus nostro cap. infra: *ut secum eat ad Troiam; ad Troiam ierat.* 15: *ad Troiam iter faciant.* 2: *ad Phrygiam venit.* De his cf. Gloss. ad Dict. I. 5.

quid venerit) Idem dicendi genus c. 5. 9. 22. Caes. B. G. I. 47. Virgil. Aen. I. 518. Ovid. Met. XI. 622. Plaut. Amph. I. 1, 221.

naves quindecim) Libri *duodecim*, praeter C., in qua *quindecim.* Recte. Nam eundem numerum exhibet Iscan. I. 330: *Aegeosque sinus* ter quino *remige frangit Lecta cohors*, totidemque *movet per caerula pinus.* Veterum alii Herculi tribuunt naves duodeviginti, alii sex. v. Dacer.

ubi tempus datum est proficiscendi) *Datur tempus* frequens formula est, sed plerumque alio quo sensu, atque apud nostrum. *Ubi*

tempus datum est nostro loco significat: ubi opportunum tempus se obtulit, advenit, aderat. Cf. Terent. Heaut. II. 1, 6: *Nam et cognoscendi et ignoscendi dabitur peccati locus*, i. e. veniet tempus. Alio etiam sensu Dar. 10: *tempus dederunt, ut gratias referrent*, i. e. *sie gaben, nahmen, liessen sich Zeit*. Cf. Terent. Heaut. I. 1, 38: *Sine me, vacivom tempus ne quod dem mihi laboris.*

cum suis hominibus) Ut nos: *mit ihren Leuten* i. e. *Soldaten.* Sic. c. 23. et alibi *multa millia hominum* i. e. militum. Comparare possis Caes. B. C. II. 39. Liv. IX. 19. ubi *homines equitesque* coniunguntur et *homines* significant pedites.

Inde Hercules-exercitum eduxerunt) Pergit Henricus c. 21 fol. 30 ita: *Ausgestiegen, gingen sie zu Rath, wie sie Troja gewinnen wollten. Herkules gab den Rath: er und Telamon wollten mit ihrem Volk liegen in dem nahen Wald bei der Stadt; das andere Volk sollte sich theilen in drei Theile, unter Nestor, Castor und Pollux. Wenn er und Telamon im Walde wären, so sollten die drei Schaaren in dem Land die Dörfer brennen. Wenn die in der Stadt den Brand sähen, so würde alles herauseilen zu Hülfe: dann wollten sie aus dem Walde kommen und die Thore besetzen und die Stadt gewinnen. Und das Alles sollte geschehen, ohne dass der Feind von Allem etwas wüsste. Der Rath gefiel Allen. Die drei Schaaren thaten so: und in einem heftigen Streit erschlug Pollux den Eliathim, König von Carthago, Laomedons Schwestersohn. Da Laomedon das hörte, mahnte er all sein Volk zum Streit und zog aus der Stadt u. s. w.* Eadem persequitur Iscanus I. 334 sqq. nonnulla addens, nonnulla demens; ut manifestum sit, interpretem Daretis permulta omisisse, multa etiam aliter retulisse.

e navibus eduxerunt: qui vero praes.) Sg. *eduxerunt e navibus qui praes.* C. *et navibus qui praes.* ut edendum curavi.

imprud. qui erant in oppido) i. e. imprudentes oppidanos. Cap. 9: *hi qui in insula erant* i. e. insulani. Cf. ad Dict. II. 26. *Imprudentes* i. e. improvidos, necopinantes, securos.

oppugnare) C. *urgere*, et infra *urgeri* pro *oppugnari*. In seq. pro *intravit* Sg. et C. *introiit.*

Hypsipilus, Volcontis, Anyritus) Sg. debentur haec incognita nomina et Iscano, qui I. 446: *Amphitus, Hysiphilus, Volcontus — saevis vincti post terga catenis Traduntur ducibus: hi dira in funera rapti.* Henricus, ut supra accepimus, occisum perhibet *Eliathim. Hysipilus* introducitur etiam Iscan. V. 245. Ceterum in his nominibus Sg. scripturam retinui, quia hoc in genere Iscano parum est auctoritatis.

Priamus in Phrygia erat) Cf. Iscan. I. 454 sqq.

H. secum convexit) *Convehere* latinis audit comportare frumenta aliasque res in aliquem locum, nusquam mari secum ducere aliquem. Videtur Dares hoc verbo liberius usus esse, quia Hesiona, utpote

mulier captiva, instar praedae erat. Eadem autem libertate Caes. B. G. I. 43: *legionem, quam equis devexerat.* ubi v. Herzog.

Cap. IV.

Hoc ubi) ponitur, ut c. 10. *quod ubi*, et 16. *quod quum.* De quibus v. Herzog. ad Caes. B. G. III. 23. Zumpt. Gram. Lat. §. 799.

cives direptos) *Cives diripiuntur*, *werden ausgeplündert*, paullo insolenter dici videtur. Sed Nepos Cat. 3, 4: *diripuit Lusitanos.* ubi v. Bremi, qui consuli iubet Ernest. Clav. Cic. s. v. *diripere.* C. *ereptos.* Mox M. O. et D. *avectam.*

nemo ex r. gen. dixit esse, nisi) i. e. regia stirpe nati non dicebantur, nisi qui.

esse fecit) Dict. I. 4: *navem ascendere facit.* ubi cf. Gloss. — De restituta urbe cf. Henric. c. 22 fol. 31. et c. 25 fol. 39 sq.

per ignorantiam) Ulpian. Dig. II. 12, 1: *si praetor per ignorantiam evocare perseveraverit.*

Iovi Statori aram) Iscan. I. 540: *hic celsa superbi fulgurat ara Iovis.* ubi Iovis Statoris, non Hercaei, ut Dresemius putat, aram significari, testis est Dares. C. *Iovis aram statuamque.*

in Paeoniam misit) ut milites legeret, opinor. Cf. c. 8 et 9.

Antenorea) Sg. et O. *Antenoria.* C. *Antenoride.* M. et D. *Antenoridae.* Scripsi *Antenorea;* quod idem adiectivum legimus Martial. I. 77. IV. 25. Sic *Hectorea* Virgil. Aen. I. 273. V. 190. *Nestorea* Martial. IX. 30. In seq. M. et D. *Dardaniae, Iliae, Scaeae, Thymbraeae, Troianae.* Bene; solent enim hae portae numero plurali efferri.

tempus exspectavit) sc. patris iniurias ulciscendi. Cap. 9: *Interea tempus supervenit*, sc. rei, quam constituerat, agendae. Absolute dicitur *tempus;* res ex sententiarum serie intelligenda est.

quum graves) Libri, praeter O, habent *ut quum.*

in abductione Hes.) C. addit *regnique praedatione.* Bene, si respicis Iscanum II. 61: *Caesum lugere parentem, Exhaustam vidisse domum lapsosque penates.* De voce *abductio* cf. ad Dict. Praef. p. 38.

Cap. V.

ut Graios postularet) Ita Sg. et C. Saepe a Darete hunc in modum *ut* geminatur. Cap. 23: *mittit legatos, ut-postulent, ut-possit.* Antea edebatur *Graios postulare;* ex quo Daceria faciebat *Troianos postulare. Graios* est ab Graiis; ut c. 43: *Agamemnonem poscit*, i. e. eam ab Agamemnone poscit.

secundum Boeotiam) i. e. Boeotiae litus legens navigavit. Ab M. O. et D. haec verba absunt, ut et *advectus est.* Cic. Attic. XVI. 8: *Legiones, quae iter secundum mare superum faciunt.* Et sic alii loquuntur.

nihil a se Priamo factum) sc. iniuriarum, i. e. iniuriam a se nullam Priamo factam, illatam. Infra: *negaverunt iniuriam Priamo factam esse.* Frequens est dicendi genus *facere alicui iniuriam;* barbarum contra *nihil tibi feci*, sensu, quo nos dicimus *ich habe dir nichts* (sc. *Uebeles, Leides*) *gethan.* Comparari tamen debent, qualia sunt: Liv. II. 31: *quid nexis fieri placeret.* Terent. Phorm. I. 2, 28: *coepi iis omnia facere, obsequi quae vellent.*

Achaiam) i. q. Graeciam.

priorem) Sg. *prius.* Infra: *quum a P. priores Gr. laesi fuissent.* Ita recte Sg. In cett. *prius.* Cf. Liv. I. 7 et 23. Caes. B. C. I. 66 et 82. Omnino frequens est usus adiectivi loco adverbii. Dar. 21: *Quos ut vidit Hector* instantes *fratrem suum persequi.*

Ant. ubi aud. nihil se imp.) Vulg. *Ubi aud. Ant. nil imp.* An: *Ubi autem vidit Ant., nihil se impetrare?*

Cap. VI.

Lamponem) Videtur idem esse ac *Lampus*, Laomedontis filius. Cf. Dict. IV. 22.

ut hi) sc. Graeci. Caes. B. G. I. 40: *servili tumultu, quos*, sc. servos. Nota figura est. Infra: *exercitum — qui poenas repeterent*, intell. milites exercitus. c. 40: *exercitui — eisque lumen prolaturos.*

se tractasse) De meo adieci *se*, sc. Priamum. Absorpta vocula est ab ultima syllaba praecedentis *contumeliose.*

in Gr. mitti) M. O. et D. *mittere.*

praedas raperent) C. *poenas reciperet.* Sg. *poenas repeterent.* Recte. De *ultione* agit Iscan. IV. 85 et alibi. Apud Henric. c. 27 fol. 43. Hector ait: *Wie seyd ihr so verzagt ob des Pfaffen* (Antenoris) *Rede? Was sollen die Träume? Wir wollen uns rächen an den Griechen mit aller Macht.* Cf. Dares infra: *avi sui necem ulcisci et quasc.* cet.

in desidia vitam exercuisse) O. *exegisse.* Usitatissima sane formula est *vitam exigere.* Verum non sine exemplo est etiam *vitam exercere*, i. e. agere, pro quo c. 28: *vitam consumere.* 8: *in otio vitam degere.* Sic Iustin. XX. 4: *separatim a civibus ceteris vitam exercere.* Proprie *exerceri* dici videtur tempus, quod exercendo et laborando transigitur. Virgil. Aen. X. 808: *exercere diem*, i. e. opere exercendo transigere.

Cap. VII.

in d. benignitate se confidere) Rarius est *confidere in re.* Hirt. B. Afric. 19: *Quippe qui in illorum sibi confideret multitudine.* — Cf. Iscan. II. 200.

venatum abisset) ut Terent. Heaut. III. 3, 26: *deambulatum abire.* Sg. *in venatum.*

inter eas de specie) pro: de earum specie. Sordent haec. Cf. Gloss. ad Dict. V. 14.

suam speciosiorem faciem) Ita Sg. In C. *suam faciem speciosam.* In cett. *suam speciem meliorem harum specie.* Infra pro *speciosior* C. *speciosissima.* Sg. *speciosior forma.* Item pro *optimam facie* Sg. *optima;* et sic scribendum iudicat Daceria, *optimam* hic latine dici posse negans.

Daretem, ut videtur, secutus, sed multo prolixius totam fabulam persequitur Iscanus II. 214 — 613. Fuse eam enarrat etiam Henricus Brunsvigensis, sed multis numeris diverse et longe alio rerum ordine. Etenim librum suum cum Paridis natalibus exorsus, eius vitam longa narratione (cap. 1 — 14) usque ad Iasonis fata expedit, cum quibus Dares, quem nunc legimus, Excidium Troiae incipit: quare iudicii Paridis, de quo in Vita suo loco agit, hic, ubi Dares eius meminit, nullam facit mentionem. Hanc autem Paridis vitam, pulchre ab Henrico descriptam, quia plerumque ab antiqua fabula multum abit eiusque legendae perpaucis copia est, hic summatim cum lectoribus communicare operae pretium habui. — Henric. cap. 1. *Des gewaltigen Priamus Frau Hekuba träumte in ihrer Schwangerschaft, eine brennende Fackel wüchse aus ihrem Herzen, welche Troja und das ganze Königreich bis auf den Grund abbrante. Priamus wurde darüber traurig und beschwert. Ein schönes Knäblein wurde geboren; und Priamus beschloss, dass die schädliche Frucht sterben sollte, gab es zweien Knechten und befahl es in einem Walde zu tödten. Darüber hatte Hekuba und das Hofgesinde grosses Leid. An einer Wüste angekommen, zog ein Knecht sein Schwert, um das Kind zu schlachten. Das Schwert war so leuchtend und so schön, dass das Kind seinen eigenen Schatten darin sah und anfing zu lachen. Da konnten die Knechte es nicht über ihr Herz bringen, das Kind zu tödten; sie liessen es am Leben, legten es auf Reiser in die Stauden, schnitten einem jungen Hunde die Zunge aus und brachten diese dem Könige, als Urkunde, das Kind sei getödtet. Der König belohnte sie.* Cap. 2. *So lag also das Kind, vermisste seine Amme und weinte. Da kam eine wilde Hindin und säugte es; und sie that das sofort dreimal des Tages. Da geschah es, dass ein Hirt das Kind weinen hörte: er spürte der Stimme nach, fand das Kind, hob es auf und trug es heim. Gerade damals war auch die Frau des Hirten in Wochen; diese säugte das Kind, und gab ihr eigenes einer Amme hin. Das Kind wurde hübsch, frisch, schickte sich zu glimpflichen Geberden und rechten Tugenden. Der Jüngling trieb das Vieh zu Felde, und glaubte, der Hirt sei sein Vater. In Kämpfen wider Feinde wurde er Anführer, in Streitigkeiten Richter. Wegen seiner Gerechtigkeit wurde er* P a r i s *genannt; denn* p a r *und* g l e i c h *hat Eine Bezeichnung. In Ausgleichung von Mishelligkeiten richtete er Niemanden zu Liebe noch zu Leide.* Cap. 3. *Es fügte sich, dass er das Vieh zur Tränke trieb in einen Bach, welcher vor einer wil-*

den Klause floss, worin eine Göttin sass, Egnott geheissen (In titulo capitis scribitur *Egnot;* infra *Egenoe:* apparet significari *Oenonem*, priorem Paridis uxorem). *Diese war ausser Massen schön: weshalb sein Herz gegen sie verstrickt ward; und er ward so lustig und so schön anzusehen, dass sie alle ihre Sinne auf ihn lenkte. Ihre gegenseitige Liebe bewirkte, dass er ihr Mann ward und sie sein Weib. Sie lebten freundlich zusammen, und die Göttin fürchtete, Paris möchte seine Liebe zu einem andern Weibe wenden; aber Paris versprach, er wollte sie nimmer vergessen, und grub mit seinem Messer in einen nahen Baum die Worte ein: „Man soll wissen, dass noch heute und immer, wann Paris und Egenoe von ihrer Minne scheiden, so müssen die Wasser hinter sich zu Berge fliessen." Mit den Worten ward die Frau versichert, dass eine währende Liebe zwischen ihnen sollte seyn, so lange sie beide lebten.* Cap. 4. *Da der Jüngling solche Minne pflegte, da ward ein Hof geboten im Lande: den gebot Herr Jupiter, der Gott, wannen er wollte seine Schwester Thetis geben dem Manne Peleus. (Thetis Göttin über alle Wasser, dass sie die Gewalt hätte, dass sie nach ihrem Gebot müssen fliessen und gehen. Peleus König der Griechen.) Deshalb hatte Jupiter viele Götter und Göttinnen zum Feste geladen: Apollo, Meister aller Arznei; Mars, Meister aller Streite; Cupido, Walter der Minnen; Merkurius, der alle Zungen gemerken kann; Bacchus, Gott des Weines; Hymenaeus, der Gott, der aller Brunlust waltet; Neptunus des Meeres Gott; Frau Oreades, Göttin über alles Gebirge; Frau Juno, Göttin des Reichthums und der Schätze; Driades, Göttin der Bäume; Frau Pallas, Göttin aller Wissenheit; Frau Ceres, Göttin alles Saitenspiels; Frau Venus, Göttin der Minne; Frau Naides, die aller Brunnen waltet; Frau Amadriades, die aller Blumen waltet und der Wiese; die Braut Thetis; Frau Diana, Göttin über alle Jägerei mit Netzen und Stricken. Darnach kamen aller Herrschaft viele: Priamus, seine zwei Söhne Hektor und Colonus, und seine Tochter Cassandra. An Schönheit und Würde waren unter den Göttinnen die obersten Juno, Pallas und Venus. Da diese drei kurzweilten, kam die Frau Dischordia, d. h. die Mishellige, die vom Jupiter nicht geladen war, und deshalb unzufrieden nun von selbst kam.* Cap. 5. *Dischordia sass auf einem Pferd, schön gekleidet, und trug ein Ringelein an der Hand mit einem Stein, welcher die Kraft hatte, sie unsichtbar zu machen. Sie trat unter die Frauen und wollte ihre Freundschaft und Kurzweil zerstören, aus Rache, weil Jupiter sie nicht eingeladen hatte. Unsichtbar warf sie einen Apfel unter die Frauen, wunderschön, von Silber und Gold und edlen Gesteinen, und worauf geschrieben stand: „Welche Frau glaubt die beste und schönste zu seyn, die soll ihn für eigen haben." Dann floh sie heimlich von dannen. Jede Frau wollte den Apfel kriegen. Juno schrieb ihn sich zu wegen ihres Reichthums, Pallas wegen ihrer Weisheit, Venus wegen der Herrschaft der Liebe über alle Herzen. Jupiter hörte den Krieg, und sie wollten, dass er ihn entscheide. Das wollte sich Jupiter nicht unterwinden, weil*

er keine zum Feind haben wollte, und sprach: es sey ein Hirt im Walde, Paris, welcher durch seine Weisheit alle Mishelligkeiten scheiden könnte; wäre es ihnen recht, so sollte er gerufen werden. Das war allen recht. Paris kam, mit einem groben Mäntelchen, einem Filzhut, Schuhen von Rindleder, und einem Kolben. Cap. 6. *Man wunderte sich über seinen Anzug, aber auch über seine Schönheit. Iupiter erklärte ihm seine Bestimmung. Der Hirt fragte jede Frau um ihre Würde und Schönheit. Jede beschreibt dieselbe, und sie zanken sich um den Vorzug. Venus gelobte dem Hirten, sie wollte ihm zum Geschenke geben die schöne Helena und deren Herz gegen ihn entzünden mit Minne. Das gefiel dem Paris.* Cap. 7. *Er giebt der Venus den Apfel.* Cap. 8. *Venus freute sich, kleidete den Paris schön, führte ihn wieder in den Wald und sagte ihm, dass er eines Königs Sohn wäre.* Cap. 9. *Da Venus den Paris in so hohen Ehren hielt, gefiel der Jüngling dem Priamus also wohl, dass er wünschte, er möchte zu seinem Hofgesind werden, und bat die Venus um denselben: wenn er eines Königs Sohn wäre und seinen Vater nicht wüsste, wollte er ihn in königlichen Ehren erziehen, bis er seines Vaters inne würde. Das war der Venus recht. Da aber auch Jupiter ihn zu seinem Gesinde haben wollte, geriethen beide über dessen Besitz in Streit, und beider Hofgesinde waffuete sich. Als sie zum Streit standen, trat Hektor hervor und rief den kühnsten der Feinde zum Zweikampf heraus: wer siegte, sollte den Paris haben. Peleus trat hervor. Hektor warf ihn zu Boden und zog ein kleines Messer hervor, um ihn zu tödten. Aber auf Bitten der Hochzeitsfrauen liess er ihm das Leben, und Peleus erklärte ihn als Sieger und rechtmässigen Besitzer des Paris.* Cap. 10. *Paris dankte der Venus und ermahnte sie wegen der schönen Helena. Venus sagte, er sollte sich wohl gehaben, sie würde mit Helena verfügen nach seines Herzens Lust. Er wurde so für Helena entbrannt, dass er die Egnoe vergass und die Worte, die er in den Baum geschrieben hatte.* Cap. 11. *Als die Gäste kurzweilten, kam ein alter Mann, ein griechischer Weissager, ein Meister von Künsten und sonderlich von dem Gestirn, ein Zauberer, der sich verwandeln konnte in Vögel und Thiere, Namens Protheus, und sprach: Noch diese Nacht wird Thetis eines Sohnes schwanger von Peleus, welcher Troja gewinnen, aber auch selbst getödtet wird. Diese Rede beschwerte die Thetis sehr. Sie bestieg mit Peleus das Bett und sie wurde wirklich diese Nacht schwanger. Des Morgens zogen alle Hochzeitsgäste von dannen. Priamus führte den Paris nach Troja mit grossen Freuden.* Cap. 12. *Aber der Hirt, der den Paris erzogen, vermisste ihn; und als er in Troja von einem Wirth erfuhr, dass er bei Priamus wäre, kam er an dessen Hof. Da ging gerade Paris mit Hektor über den Hof spazieren, und sie kurzweilten, und daraus entstand ein Streit, und Paris gab dem Hektor einen unbescheidenen Schlag. Da zog Hektor zornig sein Schwert und wollte ihn durchstossen, als der Hirt rief: „Halt ein, halt ein! Paris ist dein rechter Bruder." Hektor wollte dafür Beweise und führte ihn vor*

Priamus. Auch dieser wollte Beweise. Da liess der Hirt den Wirth rufen; der Wirth aber war gerade einer von den Knechten, welche den Paris hatten tödten sollen: und dieser erzählte, wie Alles ergangen wäre. Priamus wurde sehr beschwert und dachte an den Traum seiner Frau. Cap. 13. *Bald aber kehrte die väterliche Liebe in ihn, bewillkommte und küsste ihn, darob sich alles freute. Paris lebte nun in Freuden bei seinem Vater, nur dass er Jammer hatte nach der Helena und sich gar sehr nach ihr sehnte.* — Adiungere visum Achillis natales et educationem, quae ad Prothei vaticinium pertineant. Cap. 14 fol. 17. *Thetis gebar das Kind, und es wurde geheissen Achilles. Da er vor Troja sollte erschlagen werden, gedachte sie das Kind von diesem Unfall zu befreien. Sie führte es auf einen hohen Berg, Namens Peleon, der an einer Seite ans Meer stösst und an der andern einen wilden Wald hat. Oben auf dem Berge war ein hoher Stein, darauf lag ein wilder Mann, der hiess Schiron, stark, von fremder Gestalt: der obere Theil des Leibes war ein Mann, der untere ein schwarzes Ross; mit gräulichem Gesicht, grossem groben Haar u. s. w. Der Mann konnte alles: kämpfen, schiessen, laufen, springen, zwang die wilden Thiere mit Kraft. Gewohnheit war es, dass die Leute bei ihm ihre Kinder Frömmigkeit lernen liessen. Thetis bat den Mann, ihr Kind zu lehren. Er sprach, er wollte es gerne thun, ihretwillen und Jupiters ihres Bruders willen. So ging sie von dannen und liess das Kind da. Schiron zog das Kind in Härte auf und lehrte es Frömmigkeit. Da der Knabe zwölf Jahr alt war, fand man keinen seines Gleichen in allen Dingen. Bei Schiron war auch ein Knabe, der hiess Portrokulus, der ward Achilles Geselle und sie wurden sehr Freund.*

ut dispositum esset) i. e. constitutum, decretum. Cap. 10: *ibi rem divinam Helena facere disposuerat.* Ibid. *domum reverti disposuit.* Serior latinitas. Ulpian. Dig. 43, 29, 3: *Non alienum erit disponi, apud quem puer interim educetur.* Guido: *Statimque omnes disponunt, unanimes in maximo exercitu et in multo navigio cumulari.*

uxorem de Graecia) Cum de tali uxore nondum retulerit Dares, eum in superioribus aliquid omisisse apparet. Lege Henrici narrationem, et lacunam tibi explere poteris.

Cap. VIII.

ut milites legerent) Ita Sg., non *eligerent.* Cap. 9: *milites — quos — legerant.* ubi Sg. et C. *elegerant. Legere* verbum proprium in militum delectu. cf. Liv. XXXVII. 51. Etiam aliis in rebus *legere* dicitur pro eligere. Cic. Phil. V. 6: *iudices legere.* Noster c. 16: *legati leguntur.* ubi Sg. *eleguntur.* C. *eliguntur.*

satis Troianis facerent) Cap. 9: *satis Troianis fiat.* 17: *satisque fiat regi.* M. D. et O. *satisfacerent Troianis.*

ad debellandam Graeciam) i. e. bello vincendam, devincendam. M. D. et O. *ad bellandum in Graeciam.* quod barbarum esset sensu,

huic loco aptissimo, hoc: ad bellum in Gr. transmittendum, Graeciae inferendum; defensionem tamen admittere posset sensu: ad pugnandum contra Graeciam. Sic. Nep. Them. 9, 2: *adversum patrem tuum bellare.* Sed sequi visum est Sg. et C.

quae in Gr. gesserat) C. *in ipsa Gr.* An: *quae ipse in Gr. gesserat?*

Panthus) v. Obss. ad Dict. II. 23.

extremum exitium) Fortiter dictum, sed insolenter; nam *exitium* ipsum est extremum.

in tumultu) Absolute pro: in tumultu belli, in bello. Bene. Cap. 24: *ut audivit tumultum in bello*, i. e. turbam, mixtionem pugnantium.

utensilia) hic vocantur, quaecunque ad naves aedificandas bellumque parandum sunt necessaria. Post seq. *non deesse* C. addit: *ad eam rem faciendam, iussitque, ut ire parati essent.* non male, ex Daretis quidem indole.

per se moram non esse) i. e. nos nihil moramur. Terent. Andr. III. 4, 14: *per hunc nulla est mora.*

si perseveraret — mittere) i. e. si constanter in sententia permaneret. Cic. de Leg. III. 12: *Perseveras tu quidem, et in tua vetere sententia permanes.* Alia significatione Dar. c. 19: *et perseverasset Achivos mittere in fugam*, i. e. et non desiisset. Cic. pro Quint. 8: *Dolabella — iniuriam facere fortissime perseverat.* Nep. Them. 5, 1: *verens, ne bellare perseveraret.*

Cap. IX.

naves aedific.) Classis erat duarum et viginti navium. v. cap. 44. et Henric. c. 28 fol. 45.

navigari) Libri *navigare.*

ad se nuntium dirigat) Sg. *mittat.* C. *mitteret.* ex glossa. Latinum quidem est c. 24: *animum in illum dirigebat.* cf. Cic. Acad. IV. 20. Catull. 63, 56. Sed *nuntium dirigere* pro nuntium mittere ad recentioris latinitatis farraginem relegandum. Guido: *apud Delphos nuntios dirigamus.* Cf. Aurel. Vict. Ep. 34: *Ad quem — indumenta regia direxerat*, i. e. miserat. — Mox Sg. *exercitus — mitti.*

duce) sc. viae duce. Solus enim Antenor navigaverat, ut c. 5. audivimus, neque ullus Troianus dux additus ei comes erat.

in insulam — accederet) i. e. naves ad ins. adpelleret. *Accedere* pro adpellere frequentissimum est apud Latinos. Melius autem noster loquitur c. 3: *accesserunt ad Sigeum.* 19: *classis accedit ad Troiam.* Nam *accedere in locum* fere significat introitum in locum. cf. Cic. Phil. X. 6: *homo verecundus in Macedoniam non accedit.* Dares autem *in* et *ad* saepe promiscue usurpat. cf. ad 3 et 19. Qui usus quum apud alios scriptores non sit absque exemplo (e contrario

Eutrop. II. 14: *regressus ad Africam*, pro in Afr.; et sexcenties), attamen nostro loco non displicet ratio cod. Sg., in quo omittitur *in*.

ins. Cytheream) *Cytherea* hic et ubique in Daretis libris vocatur insula, quae veteribus omnibus *Cythera* est. *Cytherea* apud veteres adpellatur Venus dea, quae in insula Cythera colebatur. Daretem *Cytherea* adiective pro *insula Cytheriaca*, *Cythereia* posuisse, vix adducor ut credam. Iscanus et Henricus recte scripserunt *Cythera*; Daretis autem interpres nomen per ignorantiam corrupisse videtur.

Menelaus — Pylum proficiscens cet.) Henricus c. 28. *Paris und sein Gefolge stiessen auf die Insel Cythera. Auf deren Gestade war ein Tempel der Venus, und viel Volk war da versammelt, welches der Göttin opferte; denn man beging eine Hochzeit. Paris und die Seinigen kleideten sich schön und gingen auch in den Tempel. Nahe auf einem Berge sass des Landes Königin. Zu ihr kam die Mähre, dass Fremde wären kommen, wohlerzogne, besonders einer ausgezeichnet vor den andern, und wären in den Tempel gegangen. Sie wollte die Gäste sehen, wollte auch zu der Hochzeit und die Göttin ehren. Es war Helena; die kam mit 50 Frauen, um die Gäste zu schauen. Paris erblickte sie zuerst, und die Minne in seinem Herzen sagte ihm, dass es Helena sey, und wurde entzündet. Als sie in den Tempel gingen, standen die Gäste davor, und sie bewillkommte sie; die Gäste dankten. Und da sie Paris ansah, entbrannte sie gegen ihn mit ganzer Minne. Darnach kam der König selber auch, Menelaus, der die Gäste freundlich empfing, den Paris bei der Hand nahm, zu seiner Frau führte und ihr sagte, sie sollte die Gäste einladen. Darob freute sich die Frau, dass die Gäste in ihrem Hause sollten seyn. Als die Hochzeit zu Ende war und man vom Tempel schied, führte der König den Paris auf seine Veste und fragte ihn um seinen und seines Landes Namen. Paris sagte: „Mein Land heisst Libya, in welchem die Stadt Carthago, wo ich geboren; in fremden Landen sollte ich lernen Frömmigkeit und Ehre; und habe von Euch viel Tugenden gehört, und bitte bei Euch bleiben zu dürfen; meine Ritterschaft will ich dann heim senden.“ Menelaus freute sich und hiess ihn und sein Gesinde da bleiben. Aber Paris liess sein Volk wegführen hinter ein Gebirge, wo sie niemand sehen konnte vor Bäumen und Gewilden, und liess sie da warten bis auf weitere Botschaft. Er selbst blieb beim König am Hof und hiess sich Alexander. Er suchte nun der Frau seine Noth zu klagen, und gefiel ihr sehr. Da geschah es, dass Castor und Pollux, des Königs Schwäger, zum Menelaus sandten, dass er ihnen helfen sollte in einem grossen Krieg in ihrem Landeu Menelaus rüstete sich und zog weg, und liess die Frau und den Gast ze Hause. Diese wurden bald ganz vertraulich. Einstmals fragte Helena den Gast, warum er in ihr Land gekommen? Da sagte er, da Venus ihm versprochen, dass Sie ihm zu Theil werden sollte. Er erzählte ihr von seinem Reichthum, seinem grossen Lande und Herrschaft und suchte sie zu überreden, mit ihm in sein Land zu fahren und seine*

Frau zu sein. Sie wollte sich nicht darein fügen. Er beschloss daher sie mit Gewalt zu rauben und brauchte List. Er ging zu Polydamas und sagte ihm, er sollte mit einem Schiffe an der Veste des Menelaus landen, mit halb weissen und halb schwarzen Segeln; denn des Königs Segel waren auch so. Eines Morgens nun kam Paris zu Helena und sagte: „Mich dünkt, Frau, der König kommt gefahren; tretet auf die Zinnen und sehet die Segel.“ Da ging sie mit Paris gegen das Schiff an des Meeres Ufer, um ihren Mann zu bewillkommnen, sie und drei Frauen mit ihr. Cap. 29. *Am Ufer angekommen, wurde Helena mit drei Jungfrauen mit Gewalt ins Schiff geworfen, und Paris segelte ab.* Paullo aliter narrat Henricus c. 90 fol. 167. *Als Paris nach der Helena fuhr im Venus Tempel, war Menelaus weggefahren in ein anderes Land. Da Helena in den Tempel kam und Paris sie sah, ward er entzündet und auch Helena, und sie thaten dieses einander Kund in kurzen Worten. In der Nacht überfiel sie Paris im Tempel und fing alle Frauen, die bei ihr waren, und nahm alles, was sie hatten, und beraubte auch den Tempel und ging zu Schiff. Auch andere im Tempel wurden viele gefangen und auch auf der Insel. Die Insel hiess Cythera, und war nahe bei dem Lande, wo Menelaus Herr über war; und war auch die Insel in seiner Gewalt.*

mirabatur reg. classem quo tenderet) Pro: mirabatur, quo regia classis tenderet. Graecis hoc attractionis genus frequens est, nec infrequens inde Romanis. Aristoph. Pax 603: εἰ βούλεσθ' ἀκοῦσαι τήνδ', ὅπως ἀπώλετο, pro ἀκοῦσαι, ὅπως ἥδε ἀπώλετο. — Sg. *tenderent.*

adduxerant) M. et D. *abduxerant.*

Argis Iunonis cet.) Iscan. III. 207:

Plebs quoque Iunoni celebrem confluxerat Argos,
Ludificum ductura diem, pontusque vocabat,
Et tellus exuta viris.

Lege: *portusque vacabat.* nam v. 219: *plebs undique portus decursu complet.*

Ubi ad fanum V. D. sacrificavit, hi qui) Ita legi et distinxi. O. et C. *venit. ubi ad f. V. D.* (C. et D.) *sacrificavit. Hi* (C. *At hi*) *qui* cet. Sg. M. et D. *venit, ubi fan. Veneris erat, Dianae sacrif. Hi qui.* In Veneris templo a nuptias celebrantibus sacrificatum esse dicit Henricus. Sed lux Daretis verbis affunditur ex Iscan. III. 211:

Prodit in abruptum praetentis insula saxis
Myrtigerae sacrata deae (Veneri). Huc littora (l. littore) blando
Freta Phrygum pubes puppesque agit: ipse (Paris) propinquas
Sanguine sacrifico Latoidos (Dianae) irrigat aras
Princeps, et larga cumulat promissa securi.

Igitur Daretem sic intellige: In aris Dianae, quae prope fanum Veneris erant, Paris Dianae sacrificavit. Eodem autem in litore erat etiam Dianae et Apollinis templum, ut refert Dares cap. seq.

interrogabant ab illis) Igitur, ut *rogare*, sic etiam *interrogare* ablativum personae cum praep. *ab* admittit? Aliud eiusmodi exemplum mihi ignotum esse fateor. — Sequens *venerant* adieci ex Sg. et C.

Cap. X.

Helena — placuit ei) Anacoluthon.

ubi D. et Ap. fanum est) Nempe ad oppidum Helaeam, ut infra Dares narrat. Ibidem etiam arae Dianae et Apollinis, ut ad templa solet. Cf. Iscan. III. 258.

ad Helaeam opp.) Sg. et C. *ad Helenam.* In cett. omittitur vox. *Helaeam* scribendum censuit Dresemius ad Iscan. III. 222: *Ignotos visura viros ad littora gressus Dirigit* (Helena), *acclivemque freto defertur Helaeam.* cf. v. 254. *urbis Helaea nomen.* — In seqq. libri, praeter C, habent *ubi Helena erat.*

quum se utrique respexissent) Cap. 21: *quem respiciens Al.* 24: *quem ut A. respexit.* 33: *ut respexit eum A.* In his *respicere* est conspicere, videre. Serior latinitas. cf. ad Dict. II. 47. Pro aspicere ponere illud videtur Cic. pro Cluent. 61: *quem nemo recipere tecto, nemo adire, nemo alloqui, nemo respicere vellet.*

ut gratias referrent) C. inserit *invicem.* Sg. *gratiam. Gratiam referre* (*gratias* rarius esse docuit Brem. ad Nep. Them. 8, 7) apud Latinos est: beneficium remunerari. Talis relatae gratiae apud Henricum fieri mentionem supra accepimus. Atqui nostro loco formula illa alio sensu, licet vix vindicanda latinitate, capienda esse videtur. Nam sensum equidem, rerum ordini accommodatum, nullum extorquere possum, nisi hunc: tempus dederunt (de quo loquendi genere diximus ad c. 3), ut gratias, i. e. pulchritudinem suam invicem inliciendi causa ostenderent. Cui sententiae favere videntur Iscani versus 228—248, in quibus praesertim respice v. 245 sq. Quum huius non inelegantis poetae carmen parum sit vulgatum, versus integros descripsissem, nisi paginam explerent.

inviolatam) Sg. *non invitam.* Vi raptam esse clamat contextus, probaturque narratione Iscani et Henrici.

mulieres — depraedantur) i. e. rapiunt (ut est in C. ex glossa), ut praedam auferunt. Nove dictum. Habet idem verbum c. 16: *ad depraedandam* (Sg. et C. *praedandam*) *Moesiam*, sed notione depopulandi, praedam agendi; qua illo, omnino raro, utuntur scriptores inde a Iustino et Apuleio. Dict. Cret. II. 16. *depraedatus* ponitur vi passiva.

Quod ubi H. abr. opp. vid.) Ita ex Sg. edidi. C. *Dum oppidani vid. Helenam raptam, diu p. cum A., nec Hel. er. valuere.* posteriora bene se habent. M. D. et O. *Quod opp. quum vidissent.* De *quod ubi* v. ad c. 4. Sequentia *ne Hel. er. posset* delenda videntur.

fanum exspoliavit) Sallust. Cat. 51: *fana atque domos exspoliari.*

4

secum — captivos duxit) pro abduxit. Nam *ducimus volentes, abducimus invitos*, ait Donat. ad Terent. Ad. III. 3, 4. Consulas Cort. ad Sall. Iug. 41. Sed ut *abducere* saepe etiam usurpatur, ubi nulla vis intercedit, ita Dareti in contrariam partem simplici *ducere* uti placuit pro abducere, abstrahere, vi rapere. Forsitan tamen recte se habet lectio Sg. *abduxit*, omisso *captivos*. — Pugnam canit Iscan. III. 311 sqq.

moestam alloquio mitigavit) Iscan. III, 321: *solatur praedo Lacaenam.* et infra v. 329:

— — non iam oscula reddit,
Non reddenda negat Helene, sed pectore toto
Incumbens gremium solvit, premit ore, latentem
Furatur Venerem: iamque exspirante Dione,
Conscia secretos testatur purpura rores.

Henric. c. 29 fol. 50: *Des Nachts führte Paris die Helena auf ein schönes Bett und erlösete sie von aller traurigen Sorge.* Daretis interpretem huius αἰσχρολογίας puduisse videtur.

Cap. XI.

cum praeda) i. e. cum Helena. Sg. *cum magna praeda.*

ad patrem — pervenit) Magna pompa receptus est. Henric. c. 30 fol. 51. Iscan. v. 344 sqq.

causa recuperationis) Nonnunquam *caussa* praeponitur. v. Herzog. ad Caes. B. G. III. 20.

inde a Troianis) *Inde a* de tempore et spatio frequentissimum est. Hic insolenter ponitur pro simplici *a*.

memorans) bene a Sg. abest.

quae ante praedixerat) Cassandram vaticinatam esse, c. 8 relatum est; ipsum autem vaticinium non adiectum. Excidium Troianis praedixerat. v. Henric. c. 28 fol. 45. Iscan. III. 362 sqq.

includi) Iscan. 385: *indignisque datur Cassandra catenis.*

ut tota Gr. conveniant cet.) C. *per totam Graeciam.* bona interpretatio est. Sg. *conveniat.* quod profectum a librario, qui *tota Graecia* nominandi casu accipiebat, cum sit casus auferendi. Intellige principes totius Graeciae. *Ornati paratique* Sg. debetur. C. *armati, orn. paratique.* M. O. et D. *ornati pariter.* Etiam c. 26: *ornatum paratumque exercitum.* cf. ad Dict. II. 32. I. 18. Ceterum Daceria perperam coniungere videtur *ornati cum classibus*, ut et c. 14. Ego sic iungo: cum classibus conveniant ad portum; et c. 14: cum classibus Athenas convenerunt.

unde pariter) Crat. *et inde.* Sg. *ut inde.*

in recenti) sc. tempore; sensu, quo nos dicimus *frisch* pro *rasch, gleich.* Iscan. 432: *Haud mora conscendunt classem.* Guido: *Statim, postquam de raptu Helenae ad eos fama pervenit, se in mare cum*

multo navigio immiserunt. Formulam saepius legimus apud Ictos. Modestin. Dig. 48, 29, 25: *Non eo modo puniendos eos, qui longo tempore in reatu agunt, quo eos, qui in recenti sententiam recipiunt.* Eadem latinitate Cic. Fam. II. 10: *in praesenti*, sc. tempore. Reprimere tamen non possum coniecturam *in re recenti, auf frischer That, sogleich;* quocum compara Liv. XL. 17: *in re praesenti.* An fortasse *ira recenti?* Iscan. 433: *Dum praeceps animus, et nil decoctius audet Ira recens.*

Cumque in litore Lesb. cet.) M. D. et O. *Lesbo navim solverunt, max. t. correpti, nusq. comparuerunt: postea dictum est, eos imm.* Sed Sg. et C. *Cumque* (C. *Quum*) *in litore Lesbio navim solverent, max. t. correptos* (C. *correpti*) *nusq. comparuisse creditum est: postea dictum est, eos imm.* Unde locum refingere visum est, ut prostat. Iscan. 432: *Lesboque relicta.* et postquam multis versibus ortum tempestate vitae discrimen certamenque cecinit, pergit v. 468: *Lesbos — secuta* (i. e. Lesbii secuti sunt) *Lacones, quos nec apud Phrygios, mediis nec repperit undis, credidit esse deos.* Guido: *Quidam credere voluerunt, eos divino munere factos deos et vivos translatos in coelum. Hinc est, quod poetae dixerunt, eos in coelum assumptos constituisse signum in zodiaci circulo.* Cf. Henric. c. 90. — Castor et Pollux, qui Paridem persequentes maris fluctibus intereunt, ab Henrico c. 46. pugnantes ad Troiam introducuntur.

inventa domi) Sg. *inventum domum.*

Cap. XII.

Hos se vidisse) Quos? Castorem et Pollucem? Interiisse eos ante bellum, modo narravit. En bilinguis scriptor! Sed intelligendi Graecorum Troianorumque duces esse videntur. Respice locum Guidonis a me in Praefat. allatum. — Mox Sg. et C. *a Dard. autem audisse.* Bene.

Castor et Pollux. *Facie pura, von reiner, frischer Gesichtshaut.* — *Bene figurati, von guter Körperbildung.* Compara Polyxenae *membra composita* et Aeneam *quadratum.* — *Corpore deducto* idem esse videtur atque Iscani IV. 76. *tenui productus corpore* de Antenore, quem Dares fuisse ait *longum, gracilem*, Malalas *μακρὸν, λεπτόν.* Cf. Iscan. IV. 142: *Naupliaden tenui progressum corpore;* quem Dares *gracilem, longum* vocat.

Helena. *Animi simplicis.* C. *animo simplici;* quo epitheto eodem casu ornantur etiam Polyxena et Briseis. Significatur autem *eine schlichte, ungekünstelte Gemüthsart.* — *Blandam, einschmeichelnd, überredend.* cf. Iscan. 195. — *Cruribus optimis.* Iscan. 188: *Pes brevis incessu terram libante supino Lascivum suspendit iter, crurumque decora Mobilitas compto libramine ponderat artus.* Polyxenam ornant *crura recta, pedes optimi.* — *Notam inter duo sup.* Guido; *quan-*

dam modicam et tenuem cicatricem, quae miro modo decebat eandem. cf. Iscan. 191. ibique Dresem. — *Ore pusillo.* Iscan. 184: *et alta, Lenius ut pressis insidant basia labris, Parcius in roseum consurgunt ora tumorem.* — Helenae pulchritudinem depingere veterum certarunt plures. v. Dresem. ad Iscan. 172. Iscanus eam descripit versibus non minus triginta sex.

Priamus. *Aquilino corpore.* Corpus aquilinum tribuitur etiam Hecubae, Priami uxori, et Aiaci Locro: significari a scriptore barbaro videtur corpus robustum et regia maiestate praeditum. Iscan. IV. 43: *Celsa duci Priamo late surgentibus armis Effulcit roseum cervix caput, ardua scribunt Membra virum, blandoque genas terrore minaces Regius ornat honos.* Sed locis tribus omnibus corrigendum censui *aquilo corpore.* Plaut. Poen. V. 2, 152: *Statura haud magna, corpore aquilo.* Color aquilus medius esse fertur inter album et nigrum. v. Intp. ad Plaut. et Forcellin. Lex. Ignorant alii hunc Priami colorem: a Malala p. 105 ed. Bonn. vocatur πυῤῥόχροος, Hecuba μελίχροος, Aiax μελίχροος, μελάνθριξ. — Guido: *Scripsit* (Dares) *Priamum — hominem strenuitatis multae, virum intrepidum et absque timore, cibos valde diluculo affectantem, blanditias hominum habentem exosas; fuit enim in sermonibus suis omnino veridicus, iustitiam coluit, sonos musicos et cantationes amoris libenter audivit: nec fuit rex alius, qui maiori honore suos commilitones amasset, et maiorum donorum affluentia ditasset eosdem.*

Hector. *Candidum.* Malal. μελάγχροος. — *Strabonem.* Edidi *strabum* ex Sg. et C. Στραβὸς est ap. Malal. — *Pernicibus membris.* Guido: *habuit membra durissima, sustinentia pondera magna laborum.* — *Vultu venerabili — decentem — dignum.* Coniungenda haec videntur omniaque ad vultum spectare, significantia: *ein ehrwürdiges, anständiges, würdevolles Gesicht, Ansehen.* Epitheto *decens* subiecta etiam notio est pulchritudinis, decŏris. v. Ovid. ap. Senec. Controv. II. 10. et Fast. V. 23. in Forcellin. Lex. Etiam aliquam vultus serenitatem haec vox amplectitur. Claudian. de VI Cons. Hon. v. 537: *Ipse favens votis, solitoque decentior aer,* i. e. serenior. Quod sensit Iscanus, canens v. 53: *faciem lanugo serenam induit.* — *Civibus clementem.* Guido: *nunquam verbum iniuriosum aut indecens ab ore eius exivit.* cf. Iscan. 53. — *Amori aptum.* Guido: *Nunquam legitur aliquis in aliquo regno fuisse, qui tantum a suis regnicolis amaretur.*

Deiphobus et Helenus. *Doctum.* Guido: *multis erat edoctus liberalium artium disciplinis.* Cf. Iscan. 59: *colit hic artes, hic arma fatigat: Deiphobum Mavors, Helenum demulcet Apollo.* *Vatem* om. Sg. — Multis Deiphobum Helenumque ornat Malalas.

Troilus. *Magnum.* Guido: *Licet multum fuerit corpore magnus, magis tamen fuit corde magnanimus; animosus multum, sed multam habuit in sua animositate temperiem.* — *Pulcerrimum.* Guido: *Dilectus plurimum a puellis, cum ipse aequalem servando modestiam delectaretur in illis.* — *Valentem.* Iscan. 61: *Mente gigas, aetate puer,*

nullique secundus Audendo virtutis opus. — *Cupidum virtutis.* Iscan. III. 65: *bellique sititor et gladii consultor.*

Alexander. *Fortem.* Guido: *Arcus magisterio excellenter edoctus, et in virtute venandi multum fuit armorum strenuitate securus, et rigidus miles in bellis.* *Εὐσθενὴς* quidem et τοξότης εὔστοχος est apud Malalam, at δειλός. — *Capillo molli et flavo.* v. Iscan. IV. 68 sqq. — *Ore venusto.* Malal. μεγαλόστομος. — *Cupidum imperii.* Malal. φιλήδονος.

Aeneas. *Rufum.* Malal. πυῤῥάκης, λευκός: illud ad capillum spectat, hoc ad cutem. Bene Iscan. IV. 72: *crine minax.* — *Quadratum, gedrängt, gesetzt, von gemessenem Körperbau.* Malal. κονδοειδὴς, παχὺς, εὔστηθος. Quadrati a nostro dicuntur etiam Aiax Oileus et Diomedes: et viri docti fere intelligunt staturam mediam. Sueton. Vesp. 20: *Statura fuit quadrata, compactis firmisque membris.* Cornel. Cels. II. 1: *Corpus habilissimum quadratum est, neque gracile neque obesum.* cf. Dresem. ad Iscan. IV. 125. Sed Iscanus et Guido videntur intelligere *einen breitschulterigen, viereckigen, vierschrötigen Menschen.* Nam de Aenea Guido: *pectore grossus, parvus vero corpore.* Iscan. 74: *stabiles libratur in artus, fusis humeris.* de Aiace Guido: *amplis scapulis.* Iscan. 116: *fusi artus.* de Diomede Guido: *amplo pectore, robustis scapulis.* — *Fortem cum consilio.* Sg. M. et D. om. *cum.* C. *fortem in cons.* Secutus sum O. Graeci Aeneam νοῦν τῶν Τρώων vocabant. Guido: *sanis consiliis satis plenus, mirabiliter sapiens et multa litteratura peritus.* — Addit Guido: *Inter alios Troiae maiores nullus extitit, qui tantarum rerum immobilium possessionibus abundaret, locuples in castris, dives in villis.*

Post Antenorem Guido inserit Polydamantis et Memnonis characterem, a Darete ut et Iscano praetermissum. Ille autem ita scribit: „*Polydamas*, iuvenis speciosus, multa fuit strenuitate conspicuus, laudandus moribus, corpore longus et gracilis, sicut prior (Antenor), sed parum fusco colore respersus; multum fuit hic fortis in viribus et valde potens in armis, ad irasceudum tamen velox, sed moderamine multo frenatus. Rex vero *Memnon* pulcherrima forma, sed grandis, latis scapulis, grossis brachiis, pectore durus, crinibus autem crispatis et flavis, oculorum vero eius orbes nigro fuerant colore perlucidi, mirae strenuitatis miles, et qui in Troiano bello multa et laudanda peregit.“ — Miror quod Guido Memnonem Graecis adnumerat ducibus quum auxilio fuerit Troianis.

Hecuba. *Magnam.* Malal. τελεία. — Addit Guido: *fuit mirabilis sagacitatis, illustris, multis erudita doctrinis.* Iscan. 80: *nec partu species effaeta frequenti Marcida vectoris uteri dispendia sentit.*

Andromacha. *Candidam:* ad cutem pertinet. Malalae ὑπόξανθος ad crinem spectat. Guido: *lacteo candore refulgens, rubicunda maxillis, roseis labris, et caesarie deaurata.* — *Longam.* Malal. δι-

μοιραία, λεπτή. — *Blandam.* Malal. *γελασῖνας ἔχουσα ἐν ταῖς παρειαῖς, εὔχαρής.* — *Sapientem.* Guido sapientiam tribuit Hecubae.

Cassandra. *Candidam*, revocavi ex C; sicque eam vocant Guido et Malalas. Addit Guido: *multum lentiginosa facie;* atque lentigines plerumque cutem candidam comitantur. — Praeterea Guido: *virginitatem appetens, et omnes quasi actus fugiens muliebres; multa novit praedicere de futuris, cum in astrorum scientia et liberalibus disciplinis et potenter et patenter edocta.*

Polyxena. *Pedibus optimis.* Iscan. 93: *pede brevi.* Malal. *μικρόπους.* — Guido sic praedicat: „Virgo tenerrima, multa speciositate decora. Haec fuit vere verus pulchritudinis radius, quam natura multo studio depinxit, et in qua rerum natura nihil erraverat, nisi quod mortalem eam statuerat: cuius speciem particularibus explanare sermonibus, labor esset inutilis, cum eius forma quasi omnium aliarum praecelleret speciem mulierum. Intelligitur ergo, omnem in eam membrorum pulchritudinem abundasse, et ea floruisse virtute, ita quod omnis generis exosas habuit vanitates."

Cap. XIII.

Agamemnon. *Nobilem divitem. Divitem* revocavi ex Sg. et C. Iscan. IV. 99: *Martius ornat honos Agamemnona — vultu praecone potestas Enitet, et regem species armata profatur: Mixta virum phalerant cirro candente decora Virtus, nobilitas dives, facundia prudens.* De eius regia specie cf. Dacer. — Addit Guido: *laboris erat amicus, dum esset quietis impatiens, discretus, audax.*

Menelaus. *Mediocri statura.* Ita ex C. scripsi. Sg. *mediocris staturae.* Cett. *mediocri corpore.* Guido: *eius forma inter longitudinem et terminos brevitatis medium decenti statura servabat.* Cf. cap. 12: *Cassandram, mediocri statura.* — Addit Guido: *In armis autem erat strenuus et bellandi desiderio nimium animosus.*

Achilles. *Membris val. et m.* C. *m. val., magna vi brachiorum.* Sg. *m. val. magnis, vibatum bene crisp.* Recte videtur habere C. — *Bene crispatum — capillo myrteo.* Iscan. III: *in arctos crispatur cirros coma myrtea, crinis in armos deprimitur.* Color *myrteus* quis sit, ex Guidone discimus, qui Achillem fuisse ait *flavis crinibus sed crispatis;* et ex loco Philostr. p. 708, quem Dresemius ad Iscan. l. attulit, ubi de eodem Achille: *τὴν μὲν δὴ κόμην ἀμφιλαφῆ αὐτῷ εἶναι καὶ χρυσοῦ ἡδίω.* — *Largum, dapsilem.* M. D. et O. om. *largum.* At Guido: *largus in donis et prodigus in expensis.* cf. c. 12: *Polyxenam largam, dapsilem.*

Patroclus. *Oculis vividis et magnis.* M. et D. *viridibus.* C. *oculis caesiis, viribus magnis.* Iscan. 113: *acie grandi.* Guido: *variis oculis.* An: *oculis variis, viribus magnis?* — *Rectum.* explicatur Iscan. 115: *constare sibi, disponere cunctis.* Bene *rectus* hic dicitur,

qui vulgo firmus et constans. — *Dapsilem.* Iscan. 114: *cui cura iuvare muneribus.* — Addit Iscanus: *eloquio leni.* Et Guido sic eum describit: *Tantalus* (l. *Patroclus*) *vero fuit corpore grandis, fuit fortis multum, variis oculis, candidus rubore permixto, veridicus, humilis, lites fugiens sed proelia iusta peroptans.* Utrum hinc pro *verecundus* Daretis legendum *veridicus*, an ex Iscano *vere facundus?*

Aiax Oileus. *Quadratum.* At Malal. μακρός. Homerus: ἀνὴρ ἠΰς τε μέγας τε, ἔξοχος Ἀργείων κεφαλὴν καὶ εὐρέας ὤμους. — *Iucundum.* Guido: *facilis ad loquendum.* Iscan. 116: *vox teneris discincta vocis, mens ardua.* in quibus priora non intelligo: *vocis* corruptum videtur, scribendumque *sonis.* cf. v. 119: *serenis sonis.* Arduae menti convenit Malalae μεγαλόψυχος; at Guido ait: *multum vero fuit pusillanimus.* — *Fortem.* C. addit *sagacem.* Fuitne *salacem?* Malal. καταγύναιος. Memento Cassandrae raptatae et corruptae. Propensior tamen animus est, ut credam, *sagacem* originem debere sequenti *Aiacem.* — Praeterea Guido: *semper vestibus caris comptus.*

Aiax Telamonius. *Voce clara.* Guido: *Delectabatur in cantu, dum vocem commode haberet, cantionum et sonorum in multa copiositate repertor.* — *Coma crispa, animo simplici.* Ex Sg. et C. haec mihi recipienda videbantur. Guido: *nigris crinibus sed crispatis; qui pompas in suis virtutibus non dilexit.* Iscan. 118: *Aiacem coma pulla venustat, in torquem collecta levem.* 120: *mens fraudis hebes.* — *hostem.* Sg. *hoste.*

Ulixes. v. Dacer. ad h. l. et Dresem. ad Iscan. 121. — *Formosum.* Sg. et C. *firmum.*

Diomedes. *Corpore honesto* i. q. pulchro. Supra: *Patroclum, corpore pulcro.* Pariter infra: *Protesilaum, vultu honesto;* pro quo c. 12: *Priamum vultu pulcro.* Cf. Ruhnken. ad Terent. Dict. p. 19. — *Clamosum.* Quis nescit Homericum βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης? — Addit Guido: *in promissis fallax; libidinosus quidem multum, et qui permultas traxit angustias ob fervorem amoris.*

Nestor. *Naso obunco.* Iscan. 131: *Nasi grata minus brevitas incurva sedentis.* Philostr. Her. p. 671: μὴ ἀποκρεμώμενον τὴν ῥῖνα. C. *naso longo.* — *Longum.* Sg. *largum.* — Quod post *latum* in libris sequitur *maximum,* auctoritate C delevi, ob praecedens *magnum.* — *Candidum.* Iscan. *senioque nitenti.* — Addit Guido: *ad irascendum facilis, et provocatus ad iram, nulla poterat frenari temperie, licet esset in eo brevi spatio duratura. Huic nullus aequari potuit in tanta sinceritate fidelitatis amicus.*

Protesilaus. *Corpore candido.* Iscan. 132: *vernante gena, candente capillo.* Philostratus κόμης ξανθῆς meminit. — *Temerarium.* Iscan. 135: *Nil grave, nil aurum* (l. *arduum*) *censet, nil linquit inausum.*

Neoptolemus. *Virosum.* Apage Neoptolemus ἀνδρομανής! Cito ex Sg. rescribe *viriosum*, i. e. virium plenum. — *Vultu bonum* i. q. vultu honesto, pulchro. — *Superciliosum*, i. e. superciliis iunctis, ut Guido scribit. — Addit Iscan. 139: *proiectior alvus.* Guido: *crinibus nigris, latus pectore, largis scapulis. Sed doctus erat in legibus et exercitio multo causarum.*

Palamedes. *Animo magnum.* C. *magno.* Sg. *fortem magnum.* Iscan. 143: *magnanimum.* — *Blandum.* Guido: *affabilis, tractabilis, urbanus, et multa dona diffundens.*

Podalirius. *Crassum.* Guido: *tanta pinguedine tumefactus, quod vix se ipsum ducere poterat, aut stare multum erectus.*

Machaon. *Certum.* Iscan. 147: *vis temere ausa nihil.* — Guido: *superbus, animosus, nudatus fronte calvitio, et qui nunquam de die dormivit.*

Merion. *Viriosum* ex Sg. et C. legendum est, non *virosum.* — *Crudelem.* Iscan. 148:

> Impia praecipitem natura Meriona mergit,
> Invidiae cinctum stimulis, curaeque tenacis
> Defessum excubiis; teretes cumulatur in artus
> Carnea massa tumens, animique ebullit Erinnys
> In caput, in corpus reliquum; livescit inustum
> Sanguineis pectus maculis, gena disputat hydris,
> Indicio peiore virens, et mentis anhelas;
> Accusant furias flammati incendia crinis.

Impiam naturam ignorat Malalas, et apud Homerum Merion in laude est. Guido eum describere omisit.

Briseida. *Alta statura.* C. *nec alta.* Sg. *non alta.* Recte. Guido: *nec longa, nec brevis, nec nimium macillenta.* Iscan. 156: *in medium librata statum.* — *Superciliis iunctis:* quorum iunctura, dum multa pilositate tumesceret, modicam inconvenientiam praestabat, addit Guido. — Praeterea Guido: *Multos traxit propter illecebras amatores, multosque dilexit, dum suis amatoribus animi constantiam non servasset.*

Pergit Guido: „Praeter hos et alios maiores scripsit idem Dares, in Graecorum auxilium Persarum regem in multa venisse militum comitiva: cuius colores ac formam inter ceteros non omisit. Scripsit enim, eum fuisse magnae staturae, vultum habuisse pinguissimum, faciem lentiginosam, capillos et barbam velut igneam rubicundam." Atqui non Graecis hic auxilio venit, sed Troianis, fuitque dux Memnonis. v. ad c. 18.

Malalas ducum Graecorum non nisi tres descripsit, Aiacem Oileum, Neoptolemum, Merionem. Dictys quin de omnibus egerit, non est dubium. Exhibet autem Malalas etiam Idomeneum, Philoctetem, Calchantem, Glaucum; quos Dares praetermisit. Si in universum characteres comparas, Malalam, id est Dictyn, hoc in genere minus

confusum, multo prolixiorem et perfectiorem invenies, praesertim in oris lineamentis. Praeterea Malalas propius ad veterum poetarum testimonia accedit. Daretem autem sua ex Dictye hausisse, quod Praefat. ad Dict. p. XXVII sq. praepropere et rationibus non satis expensis affirmavi, eam opinionem esse revocandam existimavi. Immo Dictys, inquies, characteres suos antiquiori debet Dareti. Falsum hoc iudico: nam quum multis in nominibus inter utrumque conveniat, attamen universa respicienti illos mirum quantum differre, atque Dictyn, ut ceteris in rebus, ita in heroum quoque imaginibus, ad antiquiores magis se accommodasse persuasum erit. Etiam in ipsis fabulis si consentire uterque videatur, ob ingentem, quae inter illos in fabulis enarrandis intercedit, discrepantiam, fortuito potius hoc factum esse existimaverim, quum omnino Dictys antiquitati sit addictus, Dares autem monstra quaerat. Interpres Daretis Graecum exemplar non tam religiose secutus esse videtur, quam Iosephus Iscanus Devonius, qui characteres exhibet, a latino Darete ob negligentiam praetermissos: Guido autem multos videtur de suo addidisse, alios omisit. — Fons denique characterum et Graecorum Troianorumque ad Homerum cyclicosque poetas est reducendus. Ad accuratiorem formae morumque definitionem picturae virorum clarorum, praesertim Polygnoti, contulisse videntur. cf. Pausan. Phoc. lib. X. c. 25 sq. Ad quarum exemplum descriptae videntur Imagines Philostrati. Dictyn (ap. Malal.) antiquiores imagines fideliter expressisse, iudicare non potest, quisquis eius indolem imbiberit. Certum contra est, neminem hoc in genere magis genio inservisse, quam Daretem, quique eius exemplo scripserunt.

Cap. XIV.

Athenas convenerunt) cum extremi dies et ultimi Februarii mensis instarent, et mensis Martius succederet, ait Guido. — Iscanus navium catalogum silentio praetermisit.

Agam. — 100) Henricus c. 31. tribuit 200; totidem Menelao.

T. fratrem, *Elide Amph.* cet.) Ita M. D. et O. Sed Sg. *fratrem, bubutionem, Amph.* C. *Bublationem*, *Amph.*, *Dorium*, *Thesium*, *Polisenum*. Diores etiam in enumeratione ducum post finem Daretis in ed. C. adiecta, item c. 21. et Iscan. V. 344. in *Dorius* corrumpitur. *Thesius* est Thalpius. Et quidquid in corrupto nomine *bubationem* seu *Bublationem* latet, societas Aiacis cum Eliis ducibus, licet iidem apud veteres discernantur (v. ad Dict. I. 17), Dareti abiudicari non posse videtur. Etenim Guido, qui presse Daretem sequitur, sic scribit: *Telamonius autem Aiax de regno suo, de sua civitate nobili Salamina, quinquaginta* (sic) *naves adduxit. In cuius comitiva fuerunt multi duces et comites, et sunt hi: dux Teutor* (Teucer), *dux Amphiatus* (Amphimachus), *comes Dorion* (Diores) *et comes Theseus* (Thal-

pius). Henricus c. 32: *Aias Telamotius, Sohn des Königs von Salinyn (Salamis), Cedius und Epistros (Schedius und Epistrophus), zwei edle Frigen (Phryger?) von Defoto (?), brachten . . . Bracken. Poluxenar fuhr mit ihnen. Anfriachus (Amphimachus) von Derion (und Diores) und der Herzog Theseus (Thalpius) brachten* 100 *Schiffe.* Verum quia Dares in navium catalogo in ducum nominibus plerumque cum Homero convenit, totum locum, ni Guido impedimento esset, sic refingeres: *Aiax T. ex S. ad s. T. fratrem . . . . Amphimachus, Diores, Thalpius, Polyxenus ex Elide naves n. q.* Lacunam porro expleres verbis *navibus numero duodecim,* ex Homero et Dictye, vel etiam ex ipsius Daretis loco, qui infra sequitur, quo de 12 Amphimachi et Antiphi navibus disputo.

Nestor — 80) Guido: L. — *Thoas* — 40) C. LX. Guido: L. — Inserit hic Guido: *Rex autem Doximax de regno naves detulit L.* — *Aiax* — 37) Guido: *de regno suo, quod Demenium dicebatur, Thelamonius Oileus LVI naves adduxit.*

Antiphus, Phidippus nav. n. 30) Sg. *Antiphus, Philippus, thoas ex caledona.* C. *Ant. Phid. Thoas ex Alcedone.* Guido habet: *Polibetes vero et Amphimacus de provincia Calcedoniae naves adduxere XXX.* Henricus: *Antipus und Silicous, ein König von Calcedonien, brachten* 100 (si numerum recte intelligo) *Schiffe. Ex Calydna* restituendum esse, nemo non videt. Calydna est Sporadum insularum una, quibus imperitarunt Antiphus et Phidippus. v. Hom. Il. II. 677. Sed quid sibi hic vult *Thoas?* Supra enumeratus est *Thoas ex Aetolia:* cui igitur hic nullum domicilium. Nomen viri in depravata voce latere certum est; alioquin Dares scripsisset *Antiphus et Phidippus,* haud omissa copula, quam in navium recensione nusquam omiserit. In easdem hic angustias redacti sumus, quas apud Dictyn et Malalam (v. ad Dict. I. 17 n. cr.), quorum ille Antipho et Phidippo adiungit (si MSS. fides est) *Eutraphraten,* hic *Sorthen.* Tria autem haec nomina nullam habent similitudinem. Quid igitur? Certe corrupta sunt, sive viri nomen, sive insulae insularumve (Sporadum, Calydnarum) occulant.

Ulixes — 12) Sg. et C. XL. Guido: L. — *Protesilaus* — 40) Guido: L. — *Podalirius* — 32) Guido: XXXI. — *Tlepolemus* — 9) Guido: Thelapus — XX. — *Eurypylus* — 40) C. LX. Scripsi praeterea *ex Ormenio.* v. Hom. Il. II. 734. Dict. I. 17. Libri *ex Orchomeno.* Guido: L.

Antiph. et Amph. — 12) Sg. XI. C. *Xantippus,* hic, c. 23. et in ducum enumeratione ad finem Daretis. Guido: *Antipus et Amphimacus, domini cuiusdam rusticanae provinciae, quae dicta est Helida, naves XI adduxere.* Antiphus Phocensis erat, supra iam nominatus; iam etiam recensitum legimus Amphimachum, Elium. Quare uncis locum inclusi. Fortasse hinc Aiaci Telamonio suas duodecim naves restituendas esse, supra suspicati sumus.

Polypoetes — 40) Guido et Sg. LX. Pro *Larissa*, ut est in libris, scribendum ex Hom. Il. II. 738. esse *Argissa*, iam vidit Daceria.

Guneus — 21) Guido: *Firmeus* — *XI.* — *Prothous* — 40) Ita Sg. In cett. XI. Guido: L; quot apud eundem etiam Agapenori tribuuntur.

Mnestheus — 50) Post hunc C. introducit: *Creneus ex Pilo navibus numero viginti duabus.* An *Nireus ex Syme?* qui apud Homerum et Dictyn tres naves ducit. Nireus nominatur c. 21. et ad finem Daretis in C. Guido Mnestheum omittit eiusque loco scribit: *Treorius de regno suo, quod Reisa dicebatur, XXXI naves secum adduxit.*

quadraginta et unus) Sg. XLIX. C. et Guido: LXIX. M. D. et O. XLVII. Homerus (et cum eo Dictys) numerat duces XLVI. Dares haud nominavit quidem Arcesilai et Prothoenoris socios, Peneleum, Leitum et Clonium; naves tamen tribuit duobus, quas Homerus quinque omnibus: quare hoc silentium differentiam non efficit. Sed omisit etiam Elephenorem (Iscan. V. 344. vocat *Helpenorem*) cum 40 navibus, omisitque Nireum cum navibus tribus: neque, ubi hos inseram, habeo, nisi in C. lectione *Creneus* Nireus latet. Illud *Antiphus et Amph. ex Elide n. n.* 12. genuinum esse nequit; neque Homericum aliudve aptum nomen eorum loco in promtu est. In corrupto nomine *Thoas* aliud latere, supra diximus. Denique his quatuor nominibus amotis, restat ducum numerus XLI, additis illis XLV.

mille septuaginta octo) Sic edidi. Sg. *centum*, *mille*, *XX.* i. e. MCXX. C. MCXL. Vulgo: MCCII. Guido: *mille ducentae viginti duae.* In navium numero Dares plerumque cum Homero consentit. Abit autem ab eo in his: Apud Hom. Aiax Oileus ducit naves 40, apud Dar. 37; apud H. Eumelus 11, apud D. 10; apud H. Podalirius et Machaon 30, apud D. 32; apud H. Guneus 22, apud D. 21; apud H. Nestor 90, apud D. 80. Porro in locum 40 navium Elephenoris et trium Nirei apud Homerum, cessere in libris Daretis 12 naves Antiphi et Amphimachi, et 22 Crenei. Omissis navibus horum ducum controversorum restat apud Daretem navium numerus MLXXVIII, additis autem numerus MCXII. Apud Homerum numerus est MCLXXXVI. Cf. ad Dict. I. 17. ubi etiam de navium catalogo Henrici Brunsvigensis egimus.

Cap. XV.

in concilium convocat) in quadam planicie extra moenia, ubi sedilia parata erant, ait Guido. Oratio autem Agamemnonis apud Guidonem haec est: „O viri nobiles, qui in verarum virtutum viribus in hoc ordine iuncti estis, aperte cognoscitis et videtis, quanta sit ipsarum virium verarum potentia, quanta sit virorum in nostram confluentium comitivam pugnantium multitudo. Quis unquam vidit temporibus retroactis tot reges et principes insimul in unam voluntatis consonantiam

aggregatos, tot iuvenes armorum bellicositate conspicuos coniunctos in unum ad bellicosa arma ingerenda viriliter contra hostes? Nonne manifesta dementia ducitur et spiritu caecitatis obducitur, qui contra vos praesumit elevare calcaneum et vires vestras ad proelia irritare? Sane de nobis omnibus, qui sumus in hoc exercitu cumulati, tales centum potentiores agnosco; quorum unum duntaxat revera sufficeret ad exequendum illud et feliciter terminandum, ad quod nos omnes insimul anhelamus. Nemini enim nostrorum venit in dubium, quin simus ad praesens pulsati dedecore, quantis pro damnis nobis et nostris nuper provocati simus contra Troianos arma iusta capessere et duros contra eos inire conflictus. Ut autem ardentibus animis ad nostras consequendo omnino vindictas unanimes insurgamus, et hoc rationabilis necessitas ingerit, et nos ad hoc iustus dolor impellit, ut primo obloquentium ora frenemus et nostrorum vituperia detergamus, sic ut Troiani de cetero ad committendum similia non praesumant et, de commissis contra nos eorum excessibus si poenis debitis non vexentur, ad duriora; quod absit procedere postmodum non timebunt. Neque enim maiores nostri assuefacti fuerunt, aliquid dedecoris sub silentio pertransire, quod per obloquentium diffamationem eis obprobriose posset adscribi; nec nos quidem simili modo conniventibus oculis dissimulare debemus, quod obprobriose nobis et nostris possit successoribus exprobrari, maxime cum tot simus in unius voluntatis desiderio concurrentes et in tanta simus potentiae latitudine constituti. Quis enim est hodie, qui nostras metiretur potentias? Et de facto nullus videtur, qui ad offensionem nostram auderet intrepidus insurgere, excepta gente fatua Troianorum, qui caeco et stolido ducti consilio se in offensam nostram indiscussis et fatuis propositis iniecerunt. Nonne hoc novit mundi pars maxima, qualiter quidam ex nostris in Laomedontam regem priorem regis Priami armis bellicis irruerunt et tradiderunt eum neci et infinitos ex suis, urbem suam Troiae ab ipso Laomedonta rege possessam funditus evertentes. Nonne adhuc apud nos sunt hodie plures ex illis in Graecia, qui in provinciis nostris a nostris, adducti violento iure praedoneo, deflent perpetuas servitutes? Sane non est impossibile neque difficile mille potentioribus facere, quod quatuor minus potentes fecerunt aut quinque. Scio quidem, eos scire, nos esse adversus eos accinctos, et ideo multa sibi mendicasse suffragia et multa subsidia quaesivisse, ut adversus nos potenter obsistant et se contra nos viriliter tueantur. Quare mihi videtur acceptum, si hoc vobis cedat ad gratum, ut, antequam ab hoc portu salubriter dissolutis anchoris discedamus, ad Delphos ad Deum Apollinem speciales devotos nostros nuntios dirigamus, recepturos a Deo ipso et ab aliis Diis nostris certa responsa, quid nos de cetero facere deceat et liceat de his, quae sumus eis faventibus aggressuri."

si illis placeat) Sg. *si cui pl.* C. *si cui quid pl.* *Si* i. e. an.

audivit, quia h. parati sunt) Pro: hostes paratos esse. Eutrop. V. 3: *responsum est, si id faceret, quod et ipse bellum pateretur*, pro: et ipsum bellum passurum esse. Guido: *quae pro certo creditur, quod fuerit insula.* Idem: *certum est, quod angelus apparuit.* et alia. Latinitati ecclesiasticae proprium est, *quod* et *quia* uti loco accus. c. infin. Cf. ad c. 29. Guido ponit etiam *quod* pro *ut* in his: *tanta pinguetudine tumefactus, quod vix se ipsum ducere poterat.* Modo non absimili post *verum est* loco accus. c. infin. ponit *ut* Nepos Hannib. init. ubi v. Bremi.

magno animo) i. e. magno studio, studiose. Cap. 35: *magno animo in hostes impressionem facit*, i. e. animose, fortiter; ubi C. *virili animo*, ut c. 12. dicitur *virili mente*, et 21. *viriliter*. Cap. 38: *Priamus magno animo surgit* i. e. irritatus, iratus. Attendas quaeso ad haec; *animus* enim tribus hisce locis eadem in formula de diverso ubique animi adfectu dicitur.

victuros) Ita scripsi ex C. In cett. *victores*, sc. fore. — Iscan. IV. 248: *Vincitis ultores Danai, grave Marte bilustri Haeret opus, decimum sequitur victoria bellum.*

divinus) qui vim habet divinandi et futura praedicere callet. Cic. de Fato c. 8: *Falli sperat Chaldaeos ceterosque divinos.*

dona propter Phryges cet.) Hic est verborum ordo in Sg. et C. In ceteris libris legitur: *et pro Phrygibus a s. p. m. dona Ap. port.* Etiam C. *pro Phrygibus.* Sed quid hoc est? Calchantem fuisse Phrygem, non dicit Dares, licet hoc credat Daceria; dicit autem, eum a populo suo, quicunque fuit, missum ad Apollinem esse cum donis pro Phrygibus. De patria Calchantis, ut de ea re hic memorem, inter veteres non constat: Mycenis eum Troiam venisse, scribit Hyginus; ex Acarnania, Dictys; in Euboea natum, Abantis progeniem, Porphyrius apud Eustathium. Verba autem *pro Phrygibus* non possunt ea significare aliud, nisi: propter Phryges. Exempla, in quibus *pro* audit propter, habet Forcell. Lex. At vero Sg. praebet ꝑ *frixis. frixis* est *Phryges* (vix enim aliud nomen latere existimem); itaque ꝑ, quod in MSS. solet esse *pro*, etiam *per*, hoc loco nihil potest esse nisi *propter.* Eadem corruptio c. 40.

simul cons. de regno reb. suis) Debentur haec Sg. et C. Perperam ea in ceteris libris omissa esse, liquet ex Iscan. IV. 254: *Hic patriae et propriis scitatum oracula regnis Venerat. Simul* i. e. una cum Achille, eodem tempore quo Achilles.

ne inde disc. prius) Sg. et C. *ne vel inde prius disc.* et sic editum volui. *Vel* eleganter ponitur pro etiam; cuius generis exempla habet Forcell. Lex. — De oraculo cf. Iscan. IV. 256 sqq.

secum recipiunt) i. e. ad se recipiunt, excipiunt. Insolens formula est, aeque ac Dictyis: *secum aliquem adhibere, secum aliquem adiungere.* v. Praefat ad Dict. p. XLV.

ut revertantur et primum in Aul. pr.) Ita scribendum est. Audiamus Iscanum IV:

289 Haud mora, corripiunt classes — —
293 — — — laxantque carinas:
Cum subito egressos inopino turbine turbat
Nimborum pincerna Notus, noxque imbribus haustis
Ebria tela, viros, puppes, humentibus umbris
Involvit, cogitque ipsos dubitare magistros.
301 Primus ut a prora surgentes conspicit imbres
Thestorides, frustraque duces contendere, divos
Praesago iubet ore sequi, nolentibus austris
Cedere, et armatos ordiri ex Au'ide cursus.
305 Parent Aeolios nutus vatemque secuti
Graiugenae, et flexis repetentes Aulida velis
Montivagae Phoebes pacem implorantibus aris
Conciliant, largoque exorant thure meatum.

Vides, Daretis interpretem toto hoc loco magnae negligentiae se fecisse obnoxium. Lectio debetur Sg. et C; addidi tamen *primum*, et in C. *hinc* delevi ante *revertantur*. Ante edebatur: *respondit, ut primum in Aul. revertantur, ut Dian. s.*

Dianam placat) Verbum *placat* indicio esse videtur, Daretem in praecedentibus enarrasse cervae caedem, Dianae iram, Iphigeniae immolationem: quae fuse perscribuntur ab Henric. 33 fol. 56 sqq.

ad Troiam fuerat) M. D. et O. *ierat*. Argonautas naves ad Troianum litus appulisse, Dares significat. De praepos. *ad* v. ad c. 41.

ad opp. quod sub imp. Pr.) Quod fuerit oppidum, difficile dictu. Etiam Iscanus, iter accuratius, nec tamen accurate, demonstrans, illud haud nominat; dicit tantum v. 337: *Littoreas populantur opes, et proxima ponto Moenia Dardanii titulo male tuta tyranni.* — Notum ex Cypriis est, Graecos primum ad Teuthraniam classem applicasse.

omnes occidunt) et castellum, cui Saranaba nomen, expugnant. Henric. 91 fol. 170. De strage incolarum v. Iscan. IV. 343 sqq.

Cap. XVI.

Moesiam) Hic et ubique (c. 19. 21. 26) constanter Sg. *Moesia*, non *Mysia*, ut est in ceteris libris. Diximus de hac forma ad Dict. II. 1 Obss.

ferunt eo tempore) *Eo tempore* restitui ex Sg. et C. Sequitur in Sg. *vexantem cum eq. pot. et f. ferunt ab H. int.* C. *vexatum.* Retinui nunc quidem lectionem vulgatam, quam tamen minime veram iudico; *venantem* autem, quod rem turbat, uncis inclusi. Apud Iscan. IV. 406. Telephus ad Achillem: *scis ipse tumultus Et Diomedei furias gregis: atra nefandi Septa ducis, longis hominum satiata ruinis, Herculea cecidere manu. Septa* i. e. praesepia. Equis ἀνθρωποφάγοις a praesepibus ad maris litus abactis, ipsum etiam Diomedem, cui

Bistones frustra auxilium ferebant, Hercules obtruncavit. Apollod. II. 5, 8.

reddidisse) Pro tradidisse, ut est in C. Huc pertinet integra adnotatio Bremii ad Nep. Hamilc. 1, 5. Cf. ad c. 42. Infra: *regnum suum-tradidit.* Iscan. 436: *tibi regna damus*, ait Telepho Teuthras.

eius fil. T. ei sup. V.) *Eius* i. e. Herculis; *ei* i. e. Teuthranti. *Daceria.* Mox post *regnum suum* Sg. et C. addunt *et Moesiam.*

plus multo) ut Cicero: *ante multo*, *ante paulo.* Horat. Od. III. 20, 3. *post paulo.* ubi v. Bentleius.

comm. et frum., quot annis) M. D. et O. *commeatu tot annis quibus mor.* Sed Sg. *si commeato frumento quot annis de eo regno eos adiuvet.* C. *si commeatus frumento quotannis ex eo regno advehat, quam si ad Troiam dimicaturus accedat.* Unde effeci, quod editum vides. *Commeatus et frumentum* coniungitur apud Caesarem. v. Oudendorp. ad B. G. III. 7. ubi pari modo plerisque in libris *commeatus* excidit. Ipse Dar. 26: *ut commeatus compararent et frumentum — supportarent.*

cum magno praedae comm.) M. D. et O. *cum magna praeda.* Atqui Sg. *cum magno praedae commercio cum exercitu ad T. rev.* C. *cum magno praedae commercio ad ex T. rev.* Dices *commercio* deberi librario codicis Sg., ob sonum videlicet sequentium *cum exercitu.* Attamen duorum librorum consensum sequi placuit. Significatur, opinor, magna copia et quasi commeatus alimentorum praedatione captorum; *ein grosser Vorrath, ein Markt von Beute.* Cf. Front. Strat. 2, 5: *Certior factus, hostem inopem commercio laborare*, i. e. cibis, alimentis.

Cap. XVII.

pacifice) Serior latinitas. Boni dicunt *cum pace.*

Res consulto geritur) Ita in C. est. Sg. *consultum.* Cett. *consultu.* Cap. 19. libri omnes *consulto Ag. praeficiunt.* c. 23 fin. O. *Priamus consulto facit*, cett. *consulte.* *Consultu* (i. q. consilio) in MSS. etiam aliorum scriptorum invenitur; sed ex al. MSS. editores fere praetulerunt *consulto.* *Consulto* autem ablativus participii absolutus est, ut *cognito, audito*, et alia permulta, explicandus: postquam consultum est, consilio habito. Eiusdem significationis est c. 31. 33. 42. *ex consilii sententia.* et c. 36. *ex consilio.*

Cap. XVIII.

Priamo adv. d. Gr.) Sic scripsi ex Sg. lectione *Pr. adversum ducatores hi.* et C. *Priami adversus ductores Graecorum hi.* In cett. *Priamo ductores hi.* — *Adesse ad auxilium*, barbarum est.

insinuandas) i. e. indicandas. v. ad Dict. Praef. p. XLIX.

de Zelia Pand. cet.) De Pandaro recte tradit. v. Hom. Il. II.

824. Dict. II. 35. Sed Amphion (vel potius Amphius) et Adrastus non erant de Zelia; fuisse eos ex *Adrestia* recte infra idem ipse Dares scribit. v. Hom. Il. II. 828. Dict. l. c. Quare uncis nomina incluseris. Quid autem, quod Iscan. IV. 5: *Primus opes Phrygibus Celia tradente sequaces Commodat Amphion, socium cui Pandarus arcum, Consortem Adrastus gladium rapit.*

de Col. Mopsus) C. *De Col. a suis Cariis Amphimachus, Mnesteus.* et Iscan. IV. 8: *hospes iturum Instruit Amphimachum Colophonia,* silens Mopsum. Quod considerandum. Nam Dict. I. 17. Mopsus Graecis adest. Verum Iscanus in his nominibus negligentissimus est, alia quoque turbans ac miscens.

Hippothous et Copesus) C. *Hipotogus et Cupesus.* Henric. 42 fol. 76. nominat *Cuppesum*, Iscan. IV. 12. *Capesum.* Nihil igitur mutandum videtur. Correxerim tamen *Hipp. et Pylaeus:* utrumque enim Homeri Il. II. 842. exemplo coniungit ipse Dares c. 21: quos Iscan. V. 351. corrumpit in *Silium Hippolytumque.* Praeterea infra pro *Pirus et Acamus* in Sg. introducitur *phylemus et calcamus;* quod *phylemus* nomen pro *Pylaeus* hinc fortasse illuc transiluit. Similes in hoc cod. deprehendimus saltus. Nimirum pro *de Ciconia Euphemus* Sg. itemque C. exhibent *de Ciconia Remus.* Deinde post *Sarpedonem et Glaucum* Sg. inculcat *de eliconia eufemus;* et infra post *Ascanium et Phorcyn* C. inserit *de Fliconia Eufemus.* Qua utraque lectione unus idemque vir huiusque terra significatur. Qui denique in C. hoc loco est *Hipotogus*, ad finem Daretis in Troianorum ducum suffixa enumeratione adpellatur *Hippotus*, eique adiungitur *Plebeus* i. e. Pylaeus. Varie igitur Pylaei nomen corruptum est. Ut etiam de *Euphemo ex Ciconia* dicam: huius nomen in C. ad finem Daretis audit *Euphenius*, apud Iscan. V. 352. *Eufenius*; atque quemadmodum in Sg. et C. modo in *Remus* modo in *Eufemus* pessumdatur, ita apud Iscan. IV. 12. unum idemque nomen *Euphemus* inter duos dividitur viros *Remum et Ephemum;* Iscanus enim: *sequitur Zizonia Remum Ephemus et Capesus.*

de Paeonia Pyr. Aster.) Sg. *De peonia p̄temesus, Teropeus.* C. *De Peonia Paractemesus, Teropeus.* De Pyraechme v. ad Dict. I. 17, de Asteropaeo v. ad Dict. IV. 7. Latet Asteropaeus etiam in nomine *Asterius*, quod legitur c. 21. Iscan. V. 353. et ad fin. Daretis in C. — Pergitur in Sg. *De frigia Ascanius, Xatippus et Merceres. De boetia, sanias, asimaus et phortus. De boctino Epistropilis et boetius. De Paphlag.* C. *De Phrygia Ascanius, Xandippus, Portius. De Fliconia Eufemus. De Boëcia, Sanias, Asimaus et Foricus. De Buctino Epistropilis et Boccius. De Paphlag.* In quibus ordo nominum admodum confunditur. *Xatippus* (*Xandippus*) et *Merceres* in C. ad finem Daretis nominantur *Xantippus et Mnesteus*, et Dar. 22. *Xanthippus et Mesthles*, ubi C. *Xandippus et Mestes.* Habetur *Xantippus* etiam Iscan. V. 353. Corruptum autem nomen est ex *Antiphus.* Nomina *de boetia*, *de boctino* depravata sunt ex *de Maeonia*, *de Moesia;*

quam corruptionem adiuverit etiam superius similiter sonans *de Paeonia.* In corruptelis *Portius*, *Foricus*, *phortus* repetitur nomen *Phorcys.* Apud Iscan. IV. 11: *Phorcus Paeonides.* In *Sanias* latet *Asius* (ex Moesia, de quo ad Dict. II. 35). In *Asimaus* prima syllaba *as* debetur syllabae ultimae praecedentis *Sanias;* ut in *imaus* latere videatur *Ennomus;* cui ex cetera farragine adiici possit *Chromis* sive *Chromius.* v. ad Dict. l. c. Uterque alio quidem Daretis loco haud occurrit; attamen *Cromius* exhibetur Iscan. VI. 236. Nemo me nimiae audaciae increpabit, opinor, quod ex eadem farragine ad *Epistrophum* bene mihi videor extricasse *Odium*, de quo v. ad Dict. l. c. Si quis in eruendis nominibus felicior est, amplius cogitet: memet periculum facere taedet. In M. D. et O. totus locus sic exstat: *Antiphus et Mesthles de Maeonia. Ascanius et Phorcys de Ascania. De Paphlag.*

Perses et Memnon) Nominatur *Perses* Iscan. VI. 57. Perses, *Admestae* filius, exhibetur etiam infra c. 26. ubi tamen nomen corruptum esse debet, quia Graecorum, non Troianorum dux desideratur. Memnon Iscan. IV. 10. *Maurus* vocatur; poetice pro Aethiops. Persarum dux perhibetur infra c. 33. et Iscan. VI. 344. Ut brevi dicam: Quemadmodum Dictys Memnoni praefectum adiunxit Phalam seu Phalantem, Malalas et Tzetzes Polydamantem et Phoenicem, Quintus Thalium, Mentem et Pyrrhasidem, ita Dares Persen, intelligens Persarum ducem. De quibus ducibus disputavimus ad Dict. IV. 4.

Archilochus) et Acamas, Antenoris filii, Aeneae adiunguntur Hom. Il. II. 823.

Exhibitis nonnullis ducibus, Iscanus, omnes enumerare nolens, IV. 15. pergit: *Dat Ganges Arabem, Syrium largitur Orontes, Dat Scythicos Tanais.* Erunt, qui ducum populorumque recensione Henrici (c. 34 fol. 59) delectentur: quare hic sequatur delectus. *Der Sultan von Babylon brachte* 1000 *Mann. Samyledech von Raldet* 1100. *Wirsilion von Medon* 1300 *Ritter, und* 500 *Seiander. Florimander König von Aegypten* 700 *Mann. Amuralt von Tarfian* 900. *Panfilias König von Persien* 1100. *Der König Pandalus* 900 *Fussgänger und* 1000 *Ritter. Wargalin von Arabien* 500 *Ritter. Arhunehat ein Markgraf* 500 *Ritter. Pelagry König von Maroch* 1200 *Mann. Aureliant König von Herusalem* 1000 *Ritter. Olifron König von Morenland* 1000 *Moren. Clarinus Graf von Bore* 8000 *Schützen u. s. w. Epistropolus, König in den Inseln, die nahe bei den Inseln sind, wo die Frauen sind, die Amosones heissen, der kam mit einem fremden Volke, die waren oben Mann und unten Thier oder Vieh, und konnte niemand ihre Sprache verstehen.*

qui parabantur) Sg. *qui pararent.* C. *qui cuncta paranda pararent.* Fuitne *qui paruerunt?* an potius *qui cuncta paranda pararet,* sc. Hector, omnium ducum princeps?

principes et ductores, Hectorem, Deiphob.) Sg. et C. *principem et ductorem Hectorem; deinde Deiph.* Recte. Henric. c. 34 fol. 60. *Sie wurden in 5 Theil getheilt: Defebus nahm ein Theil, Troilus den zweiten, Paris den dritten, Polidemas den vierten, Enas den fünften. Aller Hauptmann war Hektor.* Idem c. 42 fol. 76. *Hektor war aller Hauptmann, und theilte sein Volk in 10 Scharen. Die erste befehligte sein Bruder Troilus, dem noch halfen Misereis und Anxippus und Alchamis; die zweite der Ritter Magariton, sein Kebsbruder, dem halfen Hipolt und Cuppesus; die dritte Polidamas, dem halfen der König von Celonia und Panfilius und Amantris; die vierte Defebus, dem halfen Themasus und Estresus; die fünfte Putageras, sein Kebsbruder, dem halfen Esdras und Filion mit köstlich geschmückten Wagen; die sechste Enas, dem half Curdes; die siebente Paris, dem half Perseus; die achte Athenor, dem halfen Panfimeus und Agremantz und Domarkis; die neunte Priamus, sein Vater, welche die Thore bewahrte; die zehnte Hektor selbst. Priamus hatte 30 uneheliche Kinder; deren nahm Hektor 10 in seine Schar: Cassilian, Odron, Rinodarom, Ancomus, Edomus, Bolut, Rodomalus, Bolacalus, Finfiles, Quintilinus.* Pergit Henric. c. 43 fol. 78. *Agamemnon theilte sein Volk in 15 Rotten: die erste befehligte Patroklus und Achilles, die zweite Merion und Menestus, die dritte Afolaphus und Alim, des Königs Sohn von Cume, die vierte Prothenor und Archolaus, die fünfte Mennelaus, die sechste Epistros und Stelophis u. s. w. Als diese geordnet, mahnte Agamemnon sein Volk, mit Ernst und Fleiss zu streiten.*

Cormo) Cormi, quod sciam, nemo meminit. *Daceria.* De Palamedis navibus cf. ad Dict. I. 17 p. 395.

quo advenerit) scripsi ex Sg. Vulgo *quum. Quo* i. e. Athenas. Iscan. V. 14: *seque obice morbi Tentum, quam primum licuit, venisse fatetur.*

Cap. XIX.

exeundum-foret) M. et D. *exeundi-fieret.* ad quem genit. Daceria intelligit *consilium.* C. *exeundi-facerent.* A. Sg. haec absunt. Secutus sum O.

exeundum ad Troiam) i. e. de navibus ad Troianum litus egrediendum. Infra: *luce ad Troiam excensionem fieri oportere.* Plenam formulam habuimus c. 2: *exierunt de navi ad terram.* ubi Sg. *in terram.* cf. cap. nostro: *in terram excensionem facit; in terram educit.* Latinitas non est vituperanda. Nam *exire de navi* vel *ex navi* legimus Cic. Attic. II. 7. Nep. Them. 8; *exire in terram, egredi de navibus in terram* Cic. Verr. II. 5, 51. Dares autem promiscue dicit *in terram* et *ad terram,* more suo, de quo cf. ad c. 9 et 3.

excensionem) Sg. et C. *excessionem.* Infra in iisdem pro *excensionem* est *excursionem.*

manum h. diduci) Libri *deduci;* quod bifariam explicare Daceria laborat. Frustra. Legendum enim *diduci.* Sallust. Iug. 25: *diducta manu hostium.* ubi v. Cortius. Adde Oudendorp. ad Caes. B. C. II. 6. — Mox Sg. M. et D. *ceterisque locis.*

Thesidas, Demoph. cet.) Sg. *hesidā commorante, et annum vertentes.* C. *Hesiodum, Demorantem et Anium.* Quid hic sibi vult *Anius?* Dares c. 26: *Palamedes Agamemnonem legatum mittit ad Thesidas, Demophoontem et Acamantem, quos legatos Agamemnon praefecerat, ut commeatus compararent et frumentum de Moesia a Telepho acceptum supportarent.* Unde videtur scribendum *Thesidas Demophoontem et Acamantem*, deletis *et Anium;* quum Anium ignoret etiam Iscanus, VI. 65 canens: *Interea Moesas properat laturus aristas Demophoon, Garamas, et te Thesida (!) volentem Tertia cura vocat.* Verum non ad Moesiam solum, sed *ceteros* quoque *locos* legatos missos esse, Dares refert. Nonne Lesbos intelligenda? ubi Anius et eius filiae frumenta, vinum aliaque cibi necessaria Graecis praebuere, ut scribit Dictys I. 23; scribendumque *et ad Anium?* vel *et alios ad Anium?*

in latitudine) i. e. dilatata et extensa fronte. Eadem latinitate Caes. B. G. VII. 46: *a medio fere colle in longitudine murum praeduxerant.*

proturbat) M. D. et O. *perturbavit.*

redegitque in Troiam) ut Liv. XXI. 9: *fusum fugatumque* (hostem) *in castra redigunt.*

Proelium — iracundum) Vix alius scriptor hoc dicendi genere usus est. — *in primis*) i. e. inter primos pugnando. Cf. c. 29. *procedit in primis Troilus.* Bene. v. ad Dict. II. 3.

quum congrederetur) M. D. et O. *dum.* Recte, ni fallor, se habet *dum* sequente coniunctivo hic et c. 33. ubi plurimi libri *dum fugaretur* vel *fugarentur.* Nam sic passim coniungunt scriptores recentiores, et plenus exemplorum est Guido. — *Quo pacto*) i. e. quare.

ignem removeri) Sed nondum illatum navibus ignem audivimus? En negligentiam interpretis latini! Omisit in praecedentibus, quae, Patroclo et Merione interfectis, canit Iscan. V. 267: *poscitque* (Hector) *faces, atque — igne rates populante premit.* narratque Henric. fol. 84: *Hektor trieb die Griechen zu den Schiffen und wollte die Schiffe verbrennen u. s. w.*

remuneraverunt) M. D. et O. *muneraverunt.* — Iscan. V. 273: *illi arma facesque Sponte relicturi, galeas ad mutua laxant Oscula, mutatisque petunt tentoria parmis.* Henric. c. 46 fol. 85: *Sie thaten die Helme ab und umarmten und küssten sich. Hektor gab dem Aiax ein gutes Schwert, Aiax dem Hektor einen kostbaren Gürtel von Gold und Gestein. Und es wurde Friede gemacht, sonst wären die Griechen alle verbrannt.*

Cap. XX.

indoctum) i. e. rudem rei militaris.

ostendit studia) *Ostendere* est exponere. v. Herzog. ad Caes. B. G. I. 21. Infra c. 25: *Palamedes procedit, suum ingenium ostendit.* ubi ostentationis, iactationis vis verbo inesse videtur. v. Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 218. ed. Fr. *Studia* i. e. res studiose et prudenter curatas.

vigiliarum circuit. cet.) Plin. VII. 56, 57: *Ordinem exercitus, signi dationem, tesseras, vigilias Palamedes invenit.*

maxime quum) Sg. *praesertim cum.* C. *quum praesertim.*

Boetem) Iscan. V. 306: *Hector continuo treis fundit Marte, Boëten saxis, Archiloum gladio, Prothenora telo.* Idem nomen in C. ad fin. Daretis exstat. Videtur *Boetes* idem esse atque *Polypoetes*, cuius mentio fit c. 14. et Dict. I. 17. III. 19. Vocatur *Polybetes*, ab Hectore occisus, Iscan. V. 475.

Cap. XXI.

Omnes duces Argivorum) Ita C. In Sg. om. *duces.* Vulg. *Omnes Achivi.*

Orco dimittuntur) Ita M. D. et O. In C. est *mittuntur Orco.* Lege *demittuntur.* Sic Virgil. Aen. II. 398: *multos Danaum demittimus Orco.* Ovid. Met. III. 695: *corpora Stygiae demittere nocti.* Homerus: *ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν.* Sed Sg. *morte divinuntur.* An *morti demittuntur?* Virgil. Aen. II. 85: *quem (Palamedem) — demisere neci.* V. 691: *Vel tu — infesto fulmine morti — demitte, tuaque hic obrue dextra.*

Alexandrum persequi) paucisque profatus, addit Iscan. V. 317:

Increpat: Agnoscisne hospes? Reminiscere tandem
Spartanos coluisse Lares. Ad mutua veni
Hospitia: heus age redde vices. Duc Pergama tecum,
Si qua domi rapienda tibi. Quonam usque moraris?
Iunge manus. cet.

transfigit) *atque addit: I nunc, accedo petitis: Sic Helenam visure, veni.* Iscan 323.

Contra Hector et Aeneas) Cap. 22 et 31: *Contra Troiani.* 28: *Deiphobus contra.* 29: *Contra Agamemnon.* Insolens ellipsis, quam pro loco facile tibi ipse explebis. Plene loquitur c. 26: *Contra idem facit Deiphobus.* 19: *Agam. contra clamore magno occurrit.* 20: *Contra Hector - occurrunt.* Idem c. 23 et 28. Haec quoque formula aliquid insolens continet; nam, quum *occurrere* ipsum sit adversum progredi, *contra* superfluum est. Minus insolenter c. 36: *contra educere.* 37: *contra stare.* ut loquitur ipse Liv. I. 23: *Exeunt contra et Albani.*

Orcomeneum, Palamenem, Ep. Sch. Elpenorem, Dorium, Pol.) C. *Orcom. Oramenem, Palamonem - Delpenorem.* Iscan. V. 343: *Labitur Horcomenes iaculo, sude Schedius, ense Helpenor, Dorius conto, Polyxenos arcu, His addens saxo Palamenem, Opistriphon axe Protritum, septem mortes manus explicat una.* In C. ad fin. Daretis nominantur ab Hectore occisi: *Deipenor, Dorius, Polixenus, Epistrophus, Schedius, Maimentus, Palamon. Palamenes* seu *Palamon* est Ialmenus, de quo c. 14; atque ex huius patria (Orchomenus) factum novum nomen *Orcomeneus* seu *Horcomenes. Dorius* est Diores, de quo c. 14. *Elpenor* est Elephenor, de quo Dict. I. 17. Quo pacto scripsi locum, ut excudendum curavi. Iscano parum fidei est, qui et ipse corruptum MS. habuerit. — In seqq. C. *Euphennium, Hippotem, Asterium.* Iscan. 351: *Silēum, Hyppolytum, Eufenium, Asterium.* v. ad c. 18. ubi etiam de Antipho et Mesthle.

pugnam revocavit) Nova phrasis, pro: suos a pugna revocavit; ut loquitur Virgil. Georg. IV. 88: *ubi ductores acie* (i. e. ab acie) *revocaveris.* Formula *revocare a pugna* utitur Dar. 24, sed novo pariter sensu: retinere a pugna, prohibere aliquem, quominus in pugnam eat.

in oppidum) Sg. et C. *in castra.* Mox pro *viriliter* Sg. et C. *fortiter.*

Cap. XXII.

Contra Troiani) C. addit: *duce Hectore aciem direxerunt.* Certe praeter alios Liv. XXXI. 27: *aciem dirigere.* Sed cf. ad c. 21.

octuaginta) Sg. *octog.* Retinui formam *octuaginta*, licet improbent grammatici. v. Forcellin. Lex. Guido persaepe et ubique sic scribit, nec aliter plures libri exhibent in Nepotis Cat. 2, 4; quod considerandum. Ex scriptoribus posterioribus, si MSS. adstipulantur, ego formam non eiecerim. — Henric. c. 53 fol. 95: *Im sechsten Streit, der* 80 *Tage dauerte, wurde viel Volk erschlagen.* Henricus sc. bellum in singula certamina distinguit, quorum usque ad Troiae proditionem viginti quatuor enumerat.

multa millia) Iscan. V. 381: *centena millia;* ingentem hominum stragem multis versibus depingens.

nec sufficere mort.) i. e. nec vires sufficere, ut mortuos sepeliat; vel simpliciter: nec posse funerari mortuos. Verbo *posse* eadem in re utitur infra: *ut suos funerare posset.* c. 23: *ut funerare mortuos possit.* 32: *ut suos funerare possit.* Cf. Virgil. Aen. V. 21: *Nec nos obniti contra nec tendere tantum sufficimus.* — Pro *posset* Sg. *possent;* et in seqq. *reficerent - repararent - pararent.* C. *funerarent - curarent - reficerent - compararent - conveherent.*

exercitum reparare) Liv. XXX. 7: *reparandum exercitum.*

legati ad Priamum vadunt) *Ad Priamum* addidi ex Sg. et C. Cf.

Iscan. V. 386: *Iamque ibat Ulysses, Tydide sociante gradus, Priamoque ferebat Vota ducum vulgique preces.*

quid ita armati cet.) Iscan 391. Dolon: *quo properabitis? inquit. State viri, contra: pacemne huc fertis an arma?*

et inducias ad triennium petere) Sg. *in trien.* Recte. Supra: *inducias in triennium peterent.* Infra: *ind. in triennium dari.* Nec te moveat, quod utroque loco C. *ad trien.;* nam *in* adhibet Dares etiam c. 29. 31. 32. 33. Triplici autem modo Dares loquitur. De accus. cum *in* modo accepimus. Tum c. 23: *ut inducias triginta dierum postulent.* 25: *inducias duorum mensium postulari.* et: *duorum mensium inducias accipiunt.* Haec quoque optima loquendi ratio est. Denique c. 23: *ut inducias peterent mensibus sex.* 31: *negat dari tam longo tempore inducias.* Tertia haec ratio mala est; quam secutus est etiam Eutrop. III. 12: *quadraginta et quinque diebus induciae datae sunt.*

funerant) Ita Sg, non *funerat.* C. *sepeliunt.* — Addit Henricus c. 53 fol. 95 sq. quae nec in Darete nec Iscano leguntur, haec: *Inzwischen gingen die Griechen in die Stadt Troja und die Troer in das Gezelt der Griechen. Achilles lud den Hektor in sein Zelt und freute sich, das sie ohne Waffen sich sähen und sprächen. Hektor bot dem Achilles einen Kampf an und sagte: „Gewinn ich, so müsst ihr das Land räumen; gewinnst du, so räumen wir das Land, und das Königreich ist den Griechen." Das gefiel Achilles. Aber Agamemnon wollte nicht. Hektor ging wieder in den Streit.*

Cap. XXIII.

Merionem) et mille equites, qui Achilli auxilio fuerunt. Henric. c. 54 fol. 97. Iscanus Merionem omittit. Recte, inquies; occisum enim audivimus iam c. 19. Atqui apud Henricum quoque (cf. c. 46 fol. 83) bis Meriones ab Hectore occiditur; ut Philenor Priamides bis cadit Dict. III. 7 et IV. 7.

ex cet. plebe) *Plebs* de militibus gregariis hic dicitur, ut *vulgus* Nep. Alcib. 8, 1. ubi v. Brem.

diebus triginta) et Priamus sex filios adulterinos amisit, Hector vulneratus est: Henricus adiicit.

ex consilii sententia) Sg. *ex consilio.* Forsan recte. v. ad c. 36.

plures vuln.) Ita Sg. et C, non *plurimi.* Sequens *plurimi* est quorum vulneratorum plurima pars.

in curatione moriuntur) Liv. II. 20: *Quum victor - inter primam curationem exspiraverit.* C. *in ipsa curat.*

ut - postulent) Sg. et C. *et - postulant.* cf. ad c. 5.

Cap. XXIV.

vidit, ne) sc. cavendum esse, id curandum esse, ne. — *visum referret*) i. e. narraret id, quod per quietem viderat.

muliebria verba abicit) Hector iratus somnium ludibrio habuit, ait Henricus. Iscan. V. 444: *muliebribus ille Nil monitis motus, timidi praesagia sexus Spernit, et impatiens bellantibus acer abesse, Poscit equos.* *Abiicere* autem notione negligendi, contemnendi, optimis scriptoribus usitatum est, saepe coniungentibus *negligere et abiicere, contemnere et abiicere*, pariter atque *despicere et contemnere.*

ut illi prohibeat, ne) *Prohibere* notione vetandi, intercedendi, latinum est. Sed nemo huic verbo adiunxit casum tertium. Latinum fuisset: ut illum ea die a pugna prohiberet. In seqq. Dares bis in hunc sensum utitur verbis *retinere* et *revocare*, sc. a pugna. Daretis formula congrua est cum nostro loquendi more: *dass er ihm vorhalten sollte, an diesem Tage ja nicht in den Kampf zu gehen.* Atque in eam rationem haud inepte huc trahi Plautum existimo, qui Curcul. V. 2, 7. utitur formula *parentes alicui prohibere*, i. e. impedire, quominus aliquis parentes suos noverit; nos quasi: *einem seine Eltern vorenthalten.* De dativo convenit, sed ipsum verbum utroque loco mirum quantum differt; apud Plautum enim legitimum etymon est: procul habere, removere et occultare; apud nostrum contra: proponere et ante oculos ponere. Quae sibi opposita esse vides. — C. *illum.* Iscan. 444: *armatum prohibere parat.*

filium protendens ante pedes) ut Dict. III. 22: *Andromacha parvulos Hectoris filios ante Achillem prosternit.* Infra Dares: *proiecto ad genua filio.* Iscan. 449: *Astyanacta calcandum in limine patri obiicit.*

eum revocare) Possis intelligere: a consilio; sed malim: a pugna; quod intelligendum etiam infra: *Hectorem velle in pugnam prodire, nec posse — revocari.*

quid-viderit) Sg. *quod-viderat.* C. *ea quae-viderat.* — *duces Troianorum*) C. *ex Troianorum numero.* Sg. *de Troi. num.*

tumultum) Sg. *ululatum in b., et saeve Tr. lab.* Certe Iscan. 458: *Iam Pergama iuxta Effugiunt Phryges, exclamant matresque senesque — et miseris quatiunt ululatibus urbem.*

prosiliit in pugnam) Cap. 33: *prosiliit in bellum.* Ut Iustin. XXIV. 8: *Certatim in proelium prosiliunt.* Iscan. V. 402: *In discrimina campi Prosiliunt hinc inde duces.* 243: *Prosilit in medios.* 206: *Prosilit Aeacides.* 130: *Exsiliunt pariter Phrygii.*

Eioneum-Iphinoum) Pro *Eioneum* Sg. et C. *Idumeneum.* et pro *Iphinoum* C. *Hiphilum.* Neque Eioneus, Rhesi pater (v. Dict. II. 45), neque etiam Ilioneus Priamides (v. Dict. IV. 7) locum hic capere possunt; uterque enim a parte Priami. Graecum Eioneum ignorant veteres. Iscan. 472. ita: *Hydomenea petit, cui strage Leontius aequa Concidit: at Stenelus fugiens, atque Hyfidus instans, Spiranti certam referunt in vulnere mortem.* An *Idomeneum*? Troiam eum venisse scripsit Dares c. 14, sed nusquam pugnantem introduxit, neque etiam reducem in patriam. Eum ad Troiam bello necatum esse, veterum refert, quod sciam, nemo. Sed quid obstat, quominus Daretem, qui

tam multa reformavit, etiam hic loci corruptorem egisse credamus? *Iphinoum* intactum reliqui; quod enim Hom. Il. VII. 14. a Glauco, non Hectore, interficitur, dubitationem movere nequit.

femur iaculo figit) 35: *latus nudum figit.* ut Virgil. Aen. X. 382: *hunc-intorto figit telo.* Poetam maxime sic loqui decet, licet etiam Auct. B. Al. 30: *diversis enim telis nostri figebantur.*

Acre proelium colliditur) Dicit Horatius Epist. I. 2, 7: *Graecia Barbariae lento collisa duello*, i. e. Graeci cum Troianis longo bello commixti, conflictati. Atque Silius VII. 566: *procursus viros colliserat acer.* Iscanus V. 299: *coniectis undique signis Collidit Bellona viros.* Talibus affine est Daretis *proelium colliditur*, fortiter dictum pro committitur.

clamor-surgit) i. q. oritur, tollitur. Cf. Tacit. Hist. II. 42: *rumor surgit.* Valer. Flacc. II. 82: *insurgunt fremitus.*

femur sauciat) Henricus: *Hektor versetzte dem Achilles einen so starken Schlag, dass er vom Streit schied und seine Wunde verband: dann kehrte er wieder zum Streit. Da nahm Hektor einen König der Griechen gefangen; und um ihn aus dem Kampf zu bringen, warf er seinen Schild auf seinen Rücken, so dass er auf dem vordern Theil seines Herzens blos war. Da das Achilles sah, nahm er einen starken Speer, dass es Hektor nicht wusste, und stach ihn in den Bauch, das er vom Ross fiel und todt da lag.*

dolore accepto) Idem c. 36; id est, vulneris inflicti dolore irritatus. Bene.

nec destitit, nisi occideret) 35: *nec destitit, nisi prosterneret.* Recte vertes: *und er liess nicht nach, bis er ihn wirklich getödtet hatte.* Nisi i. e. nisi si, vel priusquam; et loco imperfecti stare etiam posset *occidisset, prostravisset.* Miram syntaxin! qua contineatur cogitatum simul et factum.

Hectorem lamentantur) Operae pretium est legere versus, quos interemto Hectore facit Iscanus V. 511 sqq.

Cap. XXV.

Troïlus) Sg. et C. *Memnon.* Probat Iscanus VI. 16.

desiderium prosecuti sunt) i. e. cap. 22: *desiderium suum exponere.* 31: *indicat Argivorum desideria.* Nam *prosequi* est prolixa oratione exponere. *Desiderium* i. e. petitionem, voluntatem: de quo cf. Ernest. ad Tacit. Ann. I. 19.

ante portam) Henricus c. 57: *Frauen und Männer beklagten den Hektor, Arme und Reiche, Iunge und Alte, Heimische und Fremde. Die Fürsten und das Volk trugen den Todten weinend, schreiend, mit zerschlitzten Kleidern, blosem Haupt, in des Priamus Saal. Man kann es nicht beschreiben, wie sie klagten; und das währte manchen Tag. Da ging man zu Rath, wie man Hektors Leib frisch erhalten könnte*

und machen, dass es schiene, als ob er lebendig wäre. Man sandte nach allen Meistern, und diese riethen. Die Meister machten in Apollos Tempel (der stand nahe bei den Stadtthoren, genannt Thymbräa) neben dem Altar ein Gehäuse und einen Kasten; und machten ein goldenes Bild, geformt nach Hektor, stellten ihn hinein, gaben ihm ein Schwert in die Hand, und kehrten ihn nach den Griechen zu, als ob er ihnen drohen wollte; und er war so gekleidet, als ob er lebte in dem Gehäuse des Gewölbes auf einem Stuhl, dass ihn wohl jeder schauen konnte; und machten Löcher oben in sein Haupt und in andere Glieder seines Leibes, und schütteten Balsam und andern kostbaren Saft hinein; damit erhielten sie sein Haupt, sein Haar und seine Gestalt, als ob er lebte. Und machten vier kristallene Staffeln, darauf man in das Gewölbe ging, und beschlossen das Gehäuse mit Thüren, die waren von Ebenus gemacht, ein Holz, das nicht fault. Das Gezierde war so schön, dass es Nachts den Tempel erleuchtete, als ob es Tag wäre. — Cui haec legenti non venit in mentem funus celebratissimi herois hispaniensis, qui vulgo vocatur *Cid?* Vide *Herders Werke. Zur Litt. und Kunst Thl.* 5. *S.* 204 *und* 208. *Stuttg. u. Tüb.* 1827. Simillima etiam sunt, quae de Caroli M. ultimis honoribus produntur.

se de hac re lib. facturum) Hoc me non intelligere libenter fateor. Sg. et C. *se de ea re lib. laturum.* quod in ordinem recepi. *De ea re* i. e. quod ad illam rem attinet, scil. ad imperii commutationem. *Laturum* i. e. passurum esse. Singula quum defendi possint, universa sordem trahunt. In eundem sensum dici videntur, quae infra sequuntur: *aequo animo accipere, si cui vellent dare* (imperium). ut in iisdem Sg. et C. exhibetur, salva latinitate. Adieci tamen *se* ex M. D. et O. lectione: *aeq. a. se recipere, si vellent dare.* An *si vellent demere?* sc. imperium. *Demere* a librariis concise scribebatur *dēre*, quod facile pro *dare* accipi potuit.

ulciscatur) Scripsi *ulciscantur* ex Sg. Intell. Graeci. — Mox M. D. et O. *Palamedes procedit.*

Cap. XXVI.

male vulneratus) i. e. admodum. Dict. IV. 22: *male desipientem.*

Perses, Admestae f.) Corruptum nomen videtur, et dux graecus restituendus, qui in occisi Tlepolemi locum successit. Perses enim a Troianis stetit (c. 18). Nec tamen quid mutare ausim; nam etiam apud Iscanum Perses cum Sarpedone pugnando occiditur, VI. 55:

Occidit infelix Gobius, nec laetior illo
Triptolemus, suetusque feras incessere telis
Maenalius Cormas: quartus tot funera Perses
Ultus obit.

Daretis hic requiritur iudicium. Verior est Henricus, c. 59 fol. 106 narrans, Persarum regem esse a Graecis obtruncatum, Neptolemum

a Sarpedone. — Tlepolemi nomen varias corruptiones tulit: Iscanus vocat Triptolemum, Henricus Neptolemum, et Sg. Neoptolemum. Tlepolemus Rhodius a Sarpedone cadit etiam Hom. Il. V. 628 sqq. *Gobius* Iscani factum nomen est ex Tlepolemi patria: qua eadem sorte c. 21. *Orcomeneum* addi audivimus Ialmeno, qui fuit Orcomeneus. *Cormas Maenalius* videtur esse Agapenor, Arcadiae dux, sordida et rudi poesi obfuscatus. *Maenalius* enim est i. q. Arcas; et *Cormas* corruptum videtur ex *Arcas*.

male multatus) *Male* revocavi ex Sg., ut seq. *de proelio* ex Sg. et C. Significat i. q. supra: male vulneratus. Vell. Pat. II. 70, 2: *male multatum cornu*, i. e. magnam cladem perpessum. Phaedr. I. 3, 9: *male multatus graculus*, i. e. *übel zugerichtet*. — De vulnere cf. Hom. Il. V. 660.

a Priamo) i. e. a Priami parte.

Pal. ind. facit — commeant) Haec omnia restitui ex Sg. et C, cum a ceteris libris absint. Ad *inducias in annum* respicit c. 28: *annus circumactus est*. Iscan. VI. 70: *Pax arma soporat, Inque annum iurata fides. Utrique cohorti Utraque castra patent: fas civi Graia videre Carbasa, fas hosti Phrygios lustrare penates*. Idem narrat Henric. c. 59 fol. 106, et c. 60 fol. 107. Adde Dict. II. fin. et III. 1 sqq. — *Commeant* sc. Graeci in urbem, Troiani in castra Graecorum.

exercitum exercent) Novum hoc et nusquam mihi repertum exemplum adde noto figurae generi, de quo Zumpt. Gram. Lat. §. 384.

murum - resarciunt) Sg. *sarciunt*. C. *restaurant*, quod honestius dictum.

ceteraque dil. componunt) i. e. et ceteras res necessarias, quibus facto opus erat, diligenter procurant. Notandum est loquendi genus, quo *componi* dicuntur, quae rite et diligenter fiunt. Cf. ad Dict. V. 7 Gloss.

Cap. XXVII.

ceterique) Sg. *et alii*.

ad sepulcrum) Ad placandos Hectoris manes. Iscan. VI. 75. Henric. c. 60 fol. 107: *Man feierte Hektors Iahrsgedächtniss*.

figit animum) sc. in ea. Ovid. Met. IV. 196: *oculos figit in virgine*. cf. Virgil. Aen. XII. 70. Ipse Cic. Fam. II. 6: *mentem omnem in Milonis consulatu fixi*.

Phrygio servo fid.) An *Phrygio Sergesto, servo fidelissimo*? Iscan. VI. 95: *Instruit his Phryga Sergestum, cui proxima in omne Arcanum regale fides*.

ceterosque) Sg. et C. *ceteros*. O. *ceteros quoque*. Sed *que* est quoque: de quo usu ex Tacito exempla nuper dedit Bach. in Mus. Rhen. T. I. p. 353 sq.

convenit) sc. eam, Hecubam. Saepe noster *convenire aliquem*. cf. 9. 39.

servus rev. iub.) Sg. et C. *servum reverti iubet.* — Sequens *quid egerit* debetur Sg. Antea edebatur *quod egisset.*

pax p. fiat) Iscan. VI. 100: *Lex haec: Virgo, si publica cessent Arma, viro patrias nuptum tradetur in oras.* Hinc tempus praesens, quo Dares utitur, explicatur; legis enim ritu haec proponuntur.

vulgo queritur) Sg. *in vulgus.* C. *in vulgo.* Voci *vulgō* eandem hic significationem tribueris atque Nep. Alcib. 6, 3. et Caes. B. G. I. 39. ubi cf. Intp. Sed ad Henricum si respicis, accipienda potius videtur pro publice. Ille enim regum advocato concilio, praesentibus principibus Achillem locutum esse ait. Ipsa autem oratio apud Henricum haec est: „*Ihr Herren und Fürsten alle, ich habe mich bedacht, und nimmt mich sehr Wunder, dass wir uns alle also sehr bekümmern durch einer Frau willen, Land und Weib verlassen und uns in den Tod geben und wir so manchen frommen Mann haben verloren. Man findet doch manch edel Weib, die Menelao wohl gezieme, und die eine nehme und diese liesse. Haben wir doch Esionam geraubet, die doch würdig ist an Reichthum und an Adel. Dazu bin ich vom Hektor so sehr wund, und fürchte, dass ich nicht mehr genese, und bin noch gar schwach. Dazu haben wir uns wohl genug an ihnen gerochen und haben Hektorem erschlagen, und dünket mich, uns soll wohl genügen und sollen hindane fahren, da sie also eine feste Stadt haben mit so frommen Volk, dass man sie ihnen wohl nicht abgewinnen mag.*" *Das gefiel den Griechen nicht, und verstiessen die Rede. Da ward Achilles zörnig und gebot seinem Volk, den Griechen nicht zu helfen gegen die Troer.*

advocatam esse) Sive explices arcessitam, convocatam, sive invocatam (ut dicitur deos invocare), sive evocatam, excitatam e sedibus, utcunque latine noster scripsit. Sed C. *vastatam esse,* i. e. Graeciam et Europam, gentibus e sedibus excitatis, desolatam et exinanitam esse hominibus, vastam relictam esse. Etiam hoc latinitati perquam convenit.

tanto tempore) ut simillimo loco c. 30: *tanto tempore diffidere.* pro quo c. 31: *tam longo tempore.* Insolenter dictum. — Pro seq *tot pericula* Sg. *tanta;* ut loquitur c. 30.

Cap. XXVIII.

proelium acre insurgit) Virgil. Aen. IX. 667: *pugna aspera surgit*

proelium ut fortiter gerant) Tritum est dicendi genus *bellum gerere,* pariter atque *rem fortiter gerere.* Hinc Dares effecit *proelium fortiter gerere;* quod non minus latinum esse videtur, quam Nepotis *bellum ducere* pro gerere.

hostes impress. — incendunt) Hic rerum ordo est in Sg. et C. Confusa serie M. D. et O: *Argivi cedunt, Troiani persequuntur, castra oppugnant, naves incendunt, cuncti impressionem faciunt, turpiter Achivi terga verterunt, in castra confugiunt.*

dissimulat) Iscan. 155: *Strages vulgatur: Achilles dissimulat.* Explica: celat nuntiata; silendo indicat, nuntiata sibi curae non esse; ita agit, quasi nihil sibi sit nuntiatum. Bene vertit Henric. c. 61 fol. 111: *Achilles that, als hörte er es nicht.* Absolute sic loquitur etiam Virgil. Aen. I. 516: *Dissimulant, et nube cava speculantur amicti, Quae fortuna viris.* Latini fere adiungunt rem, quae dissimuletur.

fortiss. defendit) Utrum incendium, an se suos ab hostibus? Utrumvis accipere possis. Nam absolute ponitur *defendit* pro pugnat, ut Gr. ἀμύνεσθαι. — Iscan. 156: *Sed tot taedas, tot tela secundus Sustinet Aeacides.*

Cap. XXIX.

evocat) Plin. VI. 31: *evocatus in consilium.*

minima cum discordia) i. e. nemine reluctante, omnium consensu. Barbarum dicendi genus, aeque ac Guidonis: *in una vocis consonantia.*

p. gestum esse) i. e. res gestas esse. De quo loquendi genere cf. ad Dict. V. 12 Gloss. Scripsi ita ex Sg. In ceteris libris est: *quod res p. gestae sint.* Fateor, hoc quoque defendi posse. Simillime enim c. 15: *ut audivit, quia hostes parati sunt*, pro paratos esse.

devastat Argivos) Cap. 36: *universum exercitum devastasset.* Ibidem: *quotidie devastat Argivos. Devastare* haud valde usitatum verbum est, significans: depopulari, depraedari hostium fines eosque vastos et desolatos relinquere. Quo significatu tertio Daretis loco poni videtur, quo Penthesilea Graecos, post magnam cladem in castra compulsos, frustra proelio lacessit eosque devastare dicitur. Cf. Liv. II. 9: *Pelignos* (Pelignorum terram) *devastat.* Sed reliquis locis esse videtur quod nos dicimus: *eine gänzliche Verwüstung* (*Niederlage*) *im Heere anrichten.* Cuius significationis nonnisi alterum exemplum mihi notum est Ovid. Met. XIII. 255: *Quid Lycii referam Sarpedonis agmina ferro Devastata meo*, i. e. exitio et internecioni data.

proelium acre fit) C. *acriter surgit.* Bene. v. ad c. 28.

multos duces) Alcestem, Nisaeum, Idam. Iscan. 197.

Cap. XXX.

Abnegat) absolute, ut *negare* infra in his: *illum pertinaciter negare.* Intell. pugnam, vel in pugnam prodire. Eodem sensu infra: *pugnam renuit.* Verbo *abnegare* scriptores boni abstinuerunt.

minus pugnaturum) i. q. non pugn. More optimorum scriptorum. — *male eos accipere*) pro excipere. Probum dicendi genus.

tanto t. diffidere) *Diffidere* absolute ponitur, hac opinor significatione: esse in ancipiti, sine spe et fiducia fausti rerum eventus. Loquendi genus latinitati conveniens. Sg. *desidere* i. e. in desidia agere: quod esse contra scriptoris mentem videtur.

pugnam renuit) Sg. *renuntiat:* minus quidem latine, recte tamen opinor. Nam *renuntiare alicui rei* pro, rem recusare, legimus apud Quintilianum, Suetonium, Plinium.

se excusaverit) i. e. pugnam recusaverit. *Excusare se*, i. e. causis praetextis se purgare ab aliqua re, se subducere alicui rei, quibuslibet de rebus adhibent optimi scriptores. Cap. 18: *Ille se excusavit: morbo affectum Athenas venire non potuisse;* sic enim post *excusavit* interpungendum, non commate, ut antea factum. Cap. 31: *ipsum excusatum haberet, quod se abstineret a pugna.* ut Martial. II. 79: *Excusatum habeas me, rogo.* atque ipse Cic. Verr. II. 1, 40: *me vehementer excusatum volo.*

quam Hector) Sg. et C. *sicut H.*

Cap. XXXI.

nec non faciem ipsius) Sg. *nec non etiam ipsum.* C. *et ipsum.* Scriptum fuisse videtur *nec non facie ipsum.*

multa millia hom.) v. Iscan. 221 sq. 234 sqq. 258. 265.

neque sufficere posse) i. e. neque se locum deperditorum militum substituere alios posse.

mittit inducias petere) Alii insolentes huiusmodi infinitivi, Graecorum exemplo a poetis passim adhibiti, et ex his a scriptoribus posterioribus non infrequentem in usum vocati, apud Daretem sunt hi: c. 30: *bellum geri prohibebant.* 18: *rogarent eum in consilio esse.* 30: *rogarent illum in bellum prodire.* 37: *postulaverunt loquendi facultatem dare.* 7: *belli geri suadebat.* 31: *placitum est fieri debere.* 40: *placitum est signum exigi.* 42: *placuit illis libertatem reddi.* et alia.

Argiv. desideria) Sic Sg. et C, pergentes: *Troiani negant* (C. *renuunt*) *debere dari.* In cett. *Argiv. legationem. Troilus negat dari.* Cf. ad c. 25.

Tunc fiunt ind.) C. *Priamus inducias dedit in s. m.* Sg. *Priamus in s. m. inducias dedit.* Henric. 65 fol. 117. de *septem* mensibus loquitur.

conqueri coepit) *Coepit* debetur C. In Sg. et C. omittuntur *Achilles tristis — peti oportere*, scribiturque *Conqueri* (C. addit *coepit*) *se quidem quod* (C. om. *se quidem*) *Ag. nihil negare possit et tamen* (C. om. *et*) *quum temp. p. sup.*

se abstineret a pugna) Ciceronianum loquendi genus. v. Forcellin. Lex.

condignas) Antiquum vocabulum ex Plauto Gellioque notum, quo etiam recentiores delectantur, ex C. recepi, cum in ceteris libris sit *dignas.*

Cap. XXXII.

Myrm. fugat) M. D. et O. *persequitur.* Mox Sg. et C. *usque ad castra.*

E contra) i. q. contra, simpliciter. Latinitas seculi quarti et sequentium. Eiusdem autem notae est *exadversus*, quo quum alii utantur, tum ipse Cic. Divin. I. 45. C. *Contra vero Troilus in ac. laetus exivit.* Sg. *laeti exeunt.* ut edidi. In cett. *prodeunt.*

aliquot dies) septem. Henric. 68 fol. 119.

Cap. XXXIII.

saevitur) M. D. et O. *saeviunt.*

prodit in proelio) ut cap. seq. *in matrimonio daretur.* ubi Sg. et C. *in matrimonium:* quorum librorum consènsus non temere est praetermittendus. *In* quidem sequente ablativo loco accusativi haud rarum est, praesertim apud scriptores posteriores. v. ad Dict. Ind. v. *in.* Sed nostro quoque loco lectio incerta est. Nam Sg. et C. *in primo:* unde legendum videtur *in primis;* ut alibi quoque Dares loquitur. v. ad c. 19. — Mox Sg. *caedit, devastat, prosternit.*

fugam cum clamore) *Die Griechen wurden in ihr Gezelt getrieben; und die Troer stiegen von ihren Rossen und gingen zu Fuss in das Gezelt und schlugen viele todt. Da erhub sich ein grosses Geschrei unter den Griechen u. s. w.* Henric. c. 69 fol. 120. Addit Henricus, Troianorum fuisse quingenta millia.

ita desaevire et Arg. insultare) M. D. et O. *ita saevire.* C. *iracunde saevire.* Secutus sum Sg. *Desaevire* est admodum saevire: legimus verbum, ut poetas omittam, apud Sueton. Ner. 29. *Insultare* (ab *insilire*) est fortiter instare, confidenter superbeque urgere hostem et quasi inhaerere hostium cervicibus. Cf. infra: *eum instare et laetari* (quae verba Sg. debentur). Dicendi genus non displicet, sed rarissimum esse videtur, mihique in re militari nunc incognitum exemplum.

praecipit) i. e. praeoccupat. Sg. et C. *excepit.* Iscanus v. 318. utitur verbo *anticipare.*

uterque — inter se fugantur) Sic ex C. edidi. *Inter se* abest a ceteris libris, qui praeterea *fugaretur*, et Sg. *utrique — fugarentur.* Cap. 29: *proelio commisso uterque exercitus inter se fugantur,* i. e. alius alium fugat vicissim, modo hic modo ille exercitus victori cedit, ancipiti fortuna pugnatur. *Inter se* pro, alius alium, optimum dicendi genus est. v. ad Dict. II. 52 Gloss. Attamen utroque Daretis loco illud sordem trahere, nemo non videt.

vexatus) sc. dolore vulneris.

prodit Tr. ex equo laetus) Cave intelligas: pedes confligit; infra enim refertur: *equus Troili saucius corruit, Troilum implicitum excutit.* Explica autem: equitans, equo vectus hostem aggreditur. Paulo in-

solens formula est, proxime tamen accedit ad Livianam *ex equo pugnare*, Caesarianam *ex equis colloqui.*

Myr. — impress. in Tr. faciunt) Sg. *Arg. maximo cum clamore fugam dum faciunt, Myrmidones his suppetias venerunt, exercitum* (Argivorum) *retinuerunt, impress.* Bene. — Henric. c. 71 fol. 123: *Troilus wurde von den Myrmidonen umgangen, und stachen ihn vom Ross, dass er zu Fuss focht, und brachen ihm seinen Helm und verwundeten ihn sehr. Doch that er auch grossen Schaden unter ihnen. Da Troilus so mit blosem Haupte focht und seines Volks keiner bei ihm war, da kam Achilles und schlug ihm das Haupt ab und band seinen Leib an des Rosses Schwanz und schleifte ihn also. Da das Memnon sah, schalt er den Achilles, dass er den tapfern König so lästerlich schleifte, und stach ihn mit seinem Speer und schlug ihn mit seinem Schwert, dass er vom Ross fiel und für todt da lag. Die Troer nahmen den Troilus und die Myrmidonen hoben den Achilles aufs Pferd.*

et subtraxisset cet.) Sg. et C. *Et subtraxisset, nisi Memnon supervenisset suppetias. Adveniens enim Memnon Troili corpus eripuit, et Achillem vulnere sauciavit.* Bene. — Iscan. 331. sic canit: *Funus lacerum spoliare parabat Aeacides: prohibet Memnon - raptaque superbum Cuspide victorem vindex premit: inguina telo, pectora libarat gladio. Respexit Achilles, atque - viscera regi fraxineo perfossa stylo* cet.

Dum acriter proeliatur) Passive hic et impersonaliter ponitur *proeliatur*, ut apud Festum v. *arma: Arma ea, quibus prope proeliatur, sicut tela, quibus procul.* Iustin. XIX. 1: *Diu et varia victoria proeliatum est.*

Memnonem - effert) Aurora parens Memnonem sepelit apud Iscan. 370 sqq.; Hecuba Troilum 396 sqq. Henrici narrationem expressi ad Dict. p. 496 fin.

Cap. XXXIV.

firment) Sg. *facerent.* C. *confirmarent. Firmare pacem* habes Caes. B. G. IV. 28. et apud alios. — *constituantque*) Non intellectum hoc verbum est; unde factum, ut librarii locum corrumperent. Sg. *Constituunt in f. Ap. T., quod est ante portam, et Achillem v. et collocaturum sibi ins. ei collocari.* C. *Constituunt in f. Ap. T., quod est ante p., eo Achilli venienti collocuturoque insidias collocari.* Desiderabant nimirum infinitivum ad *constituantque.* Primum ego correxeram *conveniantque.* Tum restitueram: *constituantque in f. Ap. T. — venire et colloqui: eo Ach. v., coll.* Infra: *ad constitutum venit,* sc. locum. Sed nihil videtur mutandum, coniungendumque esse *pacem firment constituantque. Constituere pacem* haud rara formula est. cf. Nep. Timoth. 2, 2. Cic. ad Q. Fr. I. 1, 8.

satis vitae suae esse) *Vitae suae* tertius casus est; ut Dict. III. 24: *cupitis eius satis futurum.* Sed ex C. *sibi satis visum esse,* con-

iicias *satis vitae sibi esse*, ut *vitae* ponatur casu patrio a *satis* pendente.

ducuntur) C. *eliguntur*. Bene.

sicuti condixerat) i. e. constituerat, inter eos convenerat: ex usu bonorum scriptorum. v. Forcellin. Lex. Dici etiam potuit *sicuti condictum erat*. cf. Gell. XX. 1: *pactum atque condictum cum rege perfide ruperat.*

ad constitutum) sc. locum. Seneca Nat. Qu. VII. 6: *Videmus ventos per complures dies ad constitutum redire.* Plerumque de constituto die et tempore dicitur.

ex. ins. occurrunt) Bene *occurrunt*, non *accurrunt*. v. ad Dict. III. 4 Gloss. Cf. c. 28: *Contra eum Sarpedon occurrit.*

brachio s. cooperto, dextro ensem tenens) Sg. et C. *brachio s. clamyde involuto.* Henric. fol. 127: *Er warf seinen Mantel um die Arme.* Iscan. 438: *veste lacertum multiplici munit.* Porro Sg. *dextra enses tenentes.* Bene *dextra*. C. *enses exerere.* unde scripsi *ensem exserens.* Iscanus: *rapta cuspide.* Genus dicendi optimum est.

multis plagis confodit) c. 33: *multis plagis occidit.* Saepe *plagae* quaevis vulnera significant. Sueton. Caes. 82: *atque ita tribus et viginti plagis confossus est* (Caesar) — *nec in tot vulneribus — lethale ullum repertum est.*

neq. fortiter faciens) Eadem formula Senec. Controv. I. 8; atque *amice*, *imperite facere*, aliaque permulta leguntur apud Ciceronem aliosque optimos.

ne fieret) Sg. et C. *ne faciat.* Bene. Henricus fol. 127: *Da bat ihn Helena* (*Helenus*), *dass er das nicht endete.* De Heleno cf. c. 42.

sui) recepi ex Sg. — *sepulcrum*) concedente Priamo ad portam Thymbraeam positum est. Henric. l. c.

Cap. XXXV.

quid faciendo opus sit) *redeantne an proelia firment.* Iscan. 473. Nota loquendi genus. Cf. Liv. I. 41: *quae curando vulneri opus sunt.*

finem negotii) i. e. belli. *Negotium* pro dissidio Coel. in Cic. Fam. VIII. 8: *ut existimarent homines, Pompeio cum Caesare esse negotium.* Infra Dares: *rei terminus.*

Aiax ait) Recte. v. Henric. 74 fol. 128. Sg. *Agamemnon.*

neminem aequius cet.) Totum locum sic constitui ex Sg. et C. Antea sic edebatur: *supersit, eum oportere acc. ad ex., ut patr. s. ulciscatur; tandemque placet Ag.* — *Super Myrmidonas* barbare dictum est.

Aiax versatur) Sg. et C. *Aiax nudus vers.* *Nudus* esset idem atque *nudo corpore* Caes. B. G. I. 25. i. e. corpore non satis armis protecto. Ad Caes. cf. Herzog. Iscanus v. 505. utitur voce *inermis*; quae explicatur v. 502: *non ferrea scuta velavere latus.* Ego vero

illud a librario, ad sequens *latus nudum* respiciente, transsumtum esse arbitror.

cadunt) Sg. *perierunt*, *fessi acriter pugnando.* — *tendit*) Ita Sg. In C. *tetendit.* Cett. *tenens.* — *multos interf.*) Iscan. 496: *Ense Thoanta, Lamum telo, sude Dorcea fundit.*

Aiacis latus nudum figit) Sg. *Aiaci.* Bene. C. *transfigit.* Cf. ad c. 24. *Latus nudum* est latus armis nudatum, scuto haud protectum. — Canit Iscan. 514: *ibi arundo* (Paridis) *Hinc pennis pectus tangens, hinc cuspide laevam: Iamque emensa fugam, lateri insidiata sinistro, Ipsa morte madet.*

statim moritur) Idem narrat Henric. c. 75 fol. 129. At apud eundem c. 81 fol. 145. iterum vivit Aiax Telamonius, atque c. 84 fol. 149. cum Ulixe de Palladio certat. Videlicet ex variis fontibus Henricus hausit; modo Daretem modo Dictyn secutus, saepe utriusque narrationem recepit. — Ceterum totus hic locus, qui de Aiacis morte agit, memorabilis fit ob verba eius, qui Argumentum in Sophoclis Aiacem scriptum reliquit: *οἱ μὲν γάρ φασιν, ὅτι ὑπὸ Πάριδος τρωθεὶς* (Aiax) *ἦλθεν εἰς τὰς ναῦς αἱμοῤῥοῶν.* Nonne qui haec prodidit, in mente habuit scriptorem, quem Dares secutus est? an potius ipsum intelligi voluit Daretem? Spectat huc etiam quod in fine illius Argum. adiicitur: Aiacem in latere tantum vulnerari potuisse, corpore reliquo Herculis pelle leonina tecto.

avertuntur) recepi ex Sg. Liv. XXII. 19: *in fugam averterunt classem.* Sallust. Iug. 101: *Bocchus statim avortitur.* Cf. Cic. pro Caecin. 12: *repellere, fugare, avertere.* — Eidem Sg. debentur verba *portas obserant;* quae ab Iscano et Henrico probantur.

exercitum circa oppidum ducit cet.) Barbare dictum; pro quo c. 36: *cum exercitu murum circumdare.* Quod sequitur dicendi genus *circa murum obsedit*, ob praepos. *circa* illo multo est sordidius. Quod sensisse videtur, a quo in C. est *circa murum sedit.* *Sedere* saepe usurpatur, si multum temporis obsidendo vel frustra vel etiam prospero tandem eventu consumitur. An *circa murum adsedit?* Sed hoc quoque, licet sit tolerabilius, sordem trahit. Igitur vel dele praepositionem, vel scriptorem barbariei incusa, cui alia id genus adhaereant.

in oppido) In Iunonis templo. Henric. l. c.

ululatu H. prosecuta est) Optime, sive accipias: funus Alexandri prosecuta est; sive, quo modo Quintil. V. 11. dicit: *fletibus natos, laetitia defunctos prosequi.* Cic. pro Planc. 26: *lacrimis et votis aliquem prosequi.* ut Daretis verba sic intelligenda sint: magno ululatu eius interitum deploravit.

hon. tractata) Sg. *hon. satis pertractata.*

quam — ut filiam aspexerunt) i. e. filiae loco habuerunt, coluerunt. Vituperandum dicendi genus, quo utitur etiam Seneca Prov. 6, 3: *quos pro felicibus aspicitis*, i. e. habetis. Tritum in hunc sensum est Germanorum: *einen für etwas ansehen.*

Cap. XXXVI.

exercitum ante p. instruere) Iscan. 558:

Vix emensa dies, redit armis impetus, urbem
Invadunt, tormenta rotant, dat vinea vireis,
Et silices balista vomens, testudo viatrix
Subdola, fossoremque aries suspensus in ictum.
At Phryges instantes prohibent, nunc grandine saxi,
Nunc ferri nimbo, nunc sparsae fulmine massae.

subsistere) i. e. in urbe manere. Plin. Ep. XVI. 16: *In commune consultant, intra tecta subsistant, an in aperto vagentur.* — *quiescere*) duos menses. Henric. l. c.

in castra opprimuntur) M. et D. *in castris.* Sg. *intra castra.* Graecos in ipsis castris oppressos esse, Iscani et Henrici narrationi adversatur. C. *fugantur in castra, opprimuntur.* quae interpretationem arguunt lectionis ex O. a me receptae. *Opprimuntur* pro reprimuntur; cuius loquendi generis alterum exemplum desidero. Iscan. 569: *refugosque in castra Pelasgos pellit.* Henric. c. 77 fol. 131: *Die Griechen wurden geschlagen, und flohen bis zum Meeresstrande und in ihr Gezelt.* Aliis locis Dares dicit: *in castra hostem fugare.*

Diomedes) Apud Henricum Penthesilea obvium habet Menelaum; quem equo deiectum in urbem abduxisset captivum, nisi Telamon eum liberasset. Atqui Menelaus non aderat; profectus enim ad Neoptolemum accersendum, advenit demum cap. 78.

incendisset Argivorum, et univ. ex.) Sg. sequi satius videbatur.

ex consilio) i. q. ex consilii sententia; ut alibi Dares loquitur. Idem restituendum videtur c. 23. ubi pro *ex consilii sententia* in Sg. exaratur *ex consilio.* Inusitatum quidem genus dicendi est; sed similis syntaxis est in his: *ex sententia, ex instituto, ex mandatis, ex pactione* cet.

usque dum advenit) C. *adveniret.* Sg. *adveniat.*

patris sui arma) Iscan. 599:

Arma patris nunc ultor habet; sed tanta recusant
Pondera crescentes humeri, maioraque cassis
Colla petit, breviorque manus vix colligit hastam.

Prodit Neopt., Myrm. cet.) Sg. *Prodit N. princeps, Myrm. contra educit.* C. *Neoptolemus, Myrmidonum princeps, contra aciem duxit.* An: *Prodit Neoptolemus, Myrmidonum nunc princeps, Myrmidonas instruit, contra educit?*

Acriter ambo concurrunt) Vult dicere, Agamemnonem et Neoptolemum una in hostes impetum fecisse. Sed ita tamen scribit ineptus Dares, ut fere credas, eos in se irruisse. *Daceria.* Intelligendum esse Neoptolemi et Penthesileae concursum, colligere est ex Iscan. 630: *Iamque humiles populata manus concurrere binos Molitur fortuna duces, nec longe morati Arma parant.* Praecedentia autem *Agam.*

exercitum instruit delenda suspicor. De Agamemnone enim neque apud Iscanum neque Henricum ullus sermo.

per aliquot dies) integrum mensem. Henric. c. 78 fol. 132. Bis mille homines utrinque occisi sunt. Henric. l. c.

Neopt. sauciat) *Zweimal stach sie den Pyrrhus vom Ross.* Henric. l. c. *Die Frau stach den Pyrrhus mit den Speer, dass er brach und der Stumpf in ihm stecken blieb. Da wurde Pyrrhus so grimmig vor Schmerz, dass er sie mit dem Schwert zwischen die Schultern und Achseln schlug und ihr den Arm abschlug. Sie fiel vom Ross; Pyrrhus ritt über sie und zerschlug sie in Stücke. Pyrrhus hatte sich sehr verblutet und fiel vom Ross und wurde ins Zelt getragen. Der Troer wurden wohl zehn Tausend erschlagen.* Idem c. 79 fol. 133. Audiamus et Iscan. 647:

———— laevam mucrone papillam
Transadigit Pyrrhus. Sic imperiosa virago
Digladiata ruit. Tanta est reverentia sexus:
Sidoneas in crura togas sinuosaque texta
Colligit, et multum fatis irata fatiscit.

De quo decore Quint. Smyrn. I. 620:

Εὐσταλέως ἐριποῦσα κατ᾽ οὔδεος, οὐδέ οἱ αἰδὼς
Ἤισχυνεν δέμας ἠΰ, τάθη δ᾽ ἐπὶ νηδύα μακρήν.

Addit Henricus fol. 134: *Die Troer trauerten um die Königin, besonders dass sie ihren Leib nicht hatten. Die Griechen wollten ihn den Hunden und Vögeln vorwerfen. Da sprach Pyrrhus, er wäre wohl würdig, dass er begraben werde. Diomedes aber sagte, sie wäre dess nicht würdig, weil so viele tapfere Männer von ihr todt da lägen. So beratheten sie sich nun, und warfen sie in einen tiefen See nahe bei der Stadt.* Non Daretis haec sunt, sed Dictyis potius. v. ad Dict. IV. 3 Obss.

Cap. XXXVII.

quid sit faciendum) Secutus sum Sg. et C. consensum.

Nestorem, Ulixem) Ita locum ordinavi, Sg. et C. ducibus. In ceteris libris est: *Ulyssem, Nestorem, Diomedem, Ai. Locrum, ceterosque q. pl. s. pr.*

contritos) Sg. *metuque contr.* C. *et paene contr.*

Amphimachus f. Priami) natu minimus ex pellice. Henric. c. 80 fol. 135. Etiam Iscan. 684. 702. Amphimachum vocat, nec tamen adpellat Priamiden. *Antimachus* est apud Homerum et Dictyn, nec is Priamides. cf. ad Dict. II. 23 n. cr. et I. 11 Obss.

exercitu irrupt. — facere) Sg. et C. *educendum exercitum et irruptionem — faciendam*, et infra *pacem petendam*. Immo *exercitu* est cum exercitu. Caes. B. G. I. 53: *Caesarem hostes equitatu persequentem.* III. 20: *equitatuque — agmen nostrum adorti.* Cf. Zumpt. Gram. Lat. §. 473.

Aeneas exsurgit) pro surgit ad dicendum. Cf. Plaut. Most. 2, 1, 29: *quaeso exsurge, pater advenit.* Boni scriptores hoc verbo translata potius notione utuntur.

lenibus mitibusque verbis) Erat enim *leni mitissimus ore,* ait Iscan. 676. Contra acerba eius oratio est Dict. II. 26.

magnopere suadet) Addit Sg. *Polydamas eadem suadet.*

Cap. XXXVIII.

belli appetendi) i. e. ut bellum appeteretur. Gerundium hic passivam vim habet. Cf. Brem. ad Nep. Attic. 9, 2. Formula *bellum appetere* non minus bona est, quam *appetere rem quamcunque,* i. e. vehementer optare.

et suas. bell. esse) Debentur haec verba Sg. et C.

per portas irrupt. facere) Sg. et C. *portis.* Dicitur *portis erumpere* (Sall. Iug. 104. Dict. II. 35) et *portis eruptionem facere* (Caes. B. G. VII. 24); in quibus *portis* sextus casus est pro ex portis. Quum porro apud poetas deprehendatur *muris irrumpere* (Sil. X. 368. cf. Forcellin. Lex.), tolerandum etiam erit *portis irrumpere* et *portis irruptionem facere.* At vero *portis irrumpere* sensum haberet contrarium et huic loco minime accommodatum, cum *portis* ponatur casu tertio pro in portas, vel simpliciter portas; pro quo Sall. Iug. 62: *portam irrumpere* i. e. invadere.

sibi certum esse) *er sey fest entschlossen zu siegen oder zu sterben.* Apprime huc quadrant exempla, quae collegit Forcellin. Lex. v. *certus,* ab init.

in reg. secum duxit) *Secum* recepi ex Sg. et C. iisdem seq. *et* debetur.

qui cum eis sentiant) Sg. et C. *qui una sentiant.* Cap. 37: *qui consenserant.* ubi Sg. *qui una cons.* Utroque loco *una* restituendum videtur. Cap. 39: *qui una coniurassent.*

paratusque cum armis) C. *cum armatura.* Sed Sg. *cum armatis.* atque Henricus c. 80 fol. 137. Amphimacho adiungit servos. Iscan. 703: *Irruat Amphimachus, armatis acer inermes Occupet insidiis.* Verum in eodem cod. mox pergitur: *Postera die se in arce ita vocaturum, tunc Amphimacus* cum armis *irruptionem faciat eosque interimat. Amphimacus consilium eius approbat, seque hoc facturum promittit.* ex qua periphrasi efficitur duntaxat, rectum esse *cum armis.* Potest autem *cum armatis* glossa esse: namque *arma* pro hominibus armatis saepe numero apud poetas legitur, quorum dicendi morem adfectant scriptores seriores. Forsan tamen *cum armis* adhibitum esse mavis, ut apud alios *cum telis, cum ferro.* v. Zumpt. Gram. Lat. § 473. et apud Gr. σὺν ὅπλοις. Quidquid praeferas, in scriptore tam variae et dubiae latinitatis utraque ratio admitti potest. Cf. Caes. B. G. II. 9: *parati in armis.*

rem divinam facturum) Henricus fol. 137. sic narrat: *Amphimachus sollte sich mit seinen Dienern im Rath verbergen; wenn sie dann kämen, sollte er sie überfallen. Aber das kam dem Aeneas zu Ohren, und er nahm deshalb einige getreue Mannschaft mit in den Rath: denn Aeneas war der reichste Bürger und bald so mächtig als Priamus, dessen Tochter Kreusa er hatte. Da das Priamus erfuhr, wiederrieth er den gegebenen Rath. Im Rath stand Aeneas auf und rieth, man sollte um Frieden werben. Das gefiel den Troern; und auch Priamus ergab sich darein; und man kam überein, dass Antenor als Bote zu den Griechen gehen sollte und die Sühne werben. Da gingen die Troer auf die Mauern und gaben ein Zeichen des Friedens. Da gaben auch die Griechen ein Friedenszeichen.* Haec non sunt Daretis. Cum his Dares transitum facit ad Dictyis historias, quas ab hoc inde loco sequitur.

Cap. XXXIX.

Ucalegon, Amph. Dol.) *Ucalegontem* Dares addit nescio unde. Nam de eo tacent alii. Imo Virgilius eius domum incensam dicit; a qua verisimiliter Graeci abstinuissent, si inter proditores fuisset Ucalegon. *Amphidamantem* Troianum nullum novi. Fuerunt quidem olim plures Amphidamantes: unus Lycurgi filius ex Athenis; alius ex Opunte, cuius filium interfecit Patroclus; item Busiridis filius. *Dolon* iam pridem ab Ulysse et Diomede interceptus occubuerat. Sed a recepta aliorum opinione Dares recedit. *Daceria.* Nihil in nominibus propriis tentandum, dummodo in cyclo Troico apud quempiam scriptorem eorum fiat mentio. Nostro loco recte ea se habere, patet ex Iscan. 705.

se invenisse, quid faciendum sit) Ovid. Pont. IV. 12, 45: *nec quid agam invenio, nec quid nolimve velimve.*

se in fide obstringunt) Sic pro *adstringunt* scripsi ex Sg. et C, ob proxime sequens *ut vidit se obstrictum.* Eadem varietas aliorum scriptorum locis obtinet, v. c. Caes. B. G. I. 31. B. C. I. 11. Ceterum sive *obstringere* sive *adstringere* dicas, ad sensum idem dicis. Bene in seq. Dares: *vidit se obstrictum.* Latinum enim est *se obstringere* (vel. *adstr.*), addito etiam *iureiurando:* item *aliquem obstringere*, et *obstringi*, addito pariter *iureiurando.* Contra minus latinitati congruum c. 40: *Hoc pacto confirmato et iureiurando adstricto.* Scilicet *fides adstringitur* dici quidem potest, neque vero *pactum aliquod adstringitur;* pro quo dicendum fuerat: *Hoc pacto confirmato omnibusque iureiurando adstrictis, pactioni fidem fore.* Non satis latinum etiam est nostro loco: *in fide se obstringunt.* pro quo C. melius *fidem obstringunt.* Latinum enim est *fidem suam obstringere* (vel *adstr.*), addito etiam dativo personae. Sed *in fide se obstringere* dici latine posse nego. Pro *in fide* scribendum fuerat: se fidem invicem

servaturos esse. Recentiores autem in usu ablativi cum *in* liberius versantur. Sic c. 4. *in patris nece* pro patre necato.

de his) Sg. et C. *de his rebus.* Immo *de his*, sc. ex numero coniuratorum aliquem. Sequentia restitui ope Sg. et C. In illo: *esse mittendum, quo id sine susp. fiat. Celerius maturandum esse dixit. animadvertisse Priamum irat.* et in hac: *qui id sine susp. curet maturandum esse. Animadv. Pr. irat.* Antea edebatur: *mitt. esse, nam regem iratum*, omissis mediis.

de consilio surrexisse) Concise dictum, pro: surrexisse et consilio abiisse. Cf. Cic. Verr. VI. 65 fin. *Praetor de sella surrexit et abiit.*

omnes promittunt) scil. se ita facturos esse, nempe aliquem ad Agamemnonem esse missuros et maturaturos. Si hic non est sensus, locum me non intelligere fateor.

Polydamantem) Antenor est Henric. l. c. Recte contra idem refert c. 91 fol. 171. — Mox M. D. et O. *qui ex his unus erat, ad Agam.*

Cap. XL.

Polydamas Graecis aperuit, coniuratos urbem prodituros esse, icto foedere, ut Graeci capta ea coniuratis parcerent. Cap. 39: *prodendam esse patriam et sibi suisque cavendum esse.* Iscan. VI. 712: *Nuntius Argolicis prodendas indicat arces Polydamas, pacemque in pactum fraudis habendam Iuratis poscit.*

vereri se dixere cet.) Iscan. 715: *Nestor timet, haeret Ulysses, Furta negat Pyrrhus: illos incerta morantur Pollicita, et falli metuunt; hic vincere certus, Nocturnis refugit bellis foedasse triumphum.* Igitur *eos refutat* est: refutat (non Ulixem et Nestorem, sed) eos, quibus placebat, ut fides proditoribus servaretur. Quare post *subire* ne puncto distinguas.

signum a Pol. exigi, et idipsum per Sin. - mitti) Vellem dixisset Dares, quod signum a Polydamante Graeci petierint, quod postea per Sinonem ad Aeneam et Antenorem misere. Ex sequentibus coniici potest, Polydamantem illud signum dedisse, quo quivis, a Graecis ad Troiam missus, intra moenia reciperetur. Quod ut experirentur Graeci Sinonem miserunt, qui signo illo dato ab Aenea, Anchise et Antenore cognitus, intra portas quidem receptus non fuit, quia nondum Amphimachi custodibus claves traditae: sed Aeneae, Anchisae et Antenoris nomen audivit, quo plane confirmatus est. *Daceria.* Perobscure Dares scripsit. Ex Henrico Brunsv. nihil amplius ad intelligentiam redundat; nam ab hoc inde capite ille, Darete deserto, Dictyis historias sectatur. Audiamus autem Iscan. 719:

Res turbat suspecta duces, Phrygioque retento
Traditur Inachio legati cura Sinoni.
Promissis addenda fides. Petit ille penates
Iliacos, dubiosque Anchisa teste timores
Solvit, et acceptas iurante Antenore voces.

Quorum versuum sensus est: ad fidem promissis faciendam mittitur Sinon; et confirmatur fides testimonio Anchisae et iureiurando Antenoris. *Placitum est*, Dares ait, *signum a Polydamante exigi.* In his *signum* non eo, quo Daceria, sensu accipio, sed testimonium fidei intelligo; ut sensus sit: diffidentibus et inter se certantibus Graecis placitum est, ut a Polydamante documentum fidei postularetur. Cf. Iscan. *Promissis addenda fides.* In sequentibus *et idipsum per Sin. — mitti* (C. M. et D. *mittit*), praepos. *per* corrupta est ex *propter*, ut saepe in MSS. (cf. c. 15), et sic transponenda: *et propter id ipsum Sinonem ad Aen. — mitti.* Cf. Iscan. *Traditur legati cura Sinoni.* Igitur Sinon (cum Polydamante opinor) ad Troiam proficiscitur (cf. Iscan. *Petit ille penates Iliacos*): sed portas clausas offendit, *quia nondum claves portae Amphimachi custodibus traditae erant.* Sg. et C. *Amphimachus — tradiderat*, bona interpretatione: Amphimachus enim, qui maximi apud Priamum momenti erat, claves ab hoc acceptas servabat, et nondum eas portae custodibus, ut noctu solitus esse videtur, tradiderat; quare proditores aperire portas Sinoni, colloquendi gratia, per custodes (vel corruptos vel auctoritate virorum motos) non poterant: quin immo custodes videntur ipsi fuisse Aeneas, Anchises et Antenor; quos ad portas praesidia habuisse, Dares infra refert. *Signo dato Sinon nomine Aeneae et Anchisae et Antenoris audito confirmatus, Agamemnoni renuntiat.* Sic. M. D. et O. Sensus esset: solo nomine proditorum audito Sinoni signum (i. e. testimonium) fidei datum est. Sed Sg. pro *nomine - audito* exhibet *voce - audiendo.* Fuitne *voce audita?* Atqui C. *vocem - audiendo.* Recte. Hispida et intricata oratio est, sententia autem vera. Non enim auditam tantum proditorum vocem pro certo fidei signo accepit; sed *vox* ampliore sensu accipiendum est pro sententia, dictis, quibus proditores (ex muris, vel nescio unde) testabantur vera esse, quae per Polydamantem ad Graecos perlata erant. Confirmant opinionem meam verba Iscani: *dubiosque Anchisa teste timores solvit, et acceptas iurante Antenore voces. Acceptas* i. e. auditas. *Voces* i. e. ea, quae proditores per Polydamantem Graecis nuntiaverant; pari modo atque apud Daretem. *Iurare* est *beschwören.* Sensus universus: Sinon Graecorum haesitationem solvit, nuntians, Anchisen fidem promissis fore testatum esse, et Antenorem iurasse, ea, quae Graeci a Polydamante audiverant, esse vera.

ut fides daretur cet.) Sg. *fidem dari*, *foedere firmari*, *iureiurando stringi*, *cavere sibi ab his ut oppidum proxima nocte prodidisset*, *et ut Antenori* cet. C. *fidem dari, iureiurando stringi*, *eo pacto ut si oppidum proxima nocte tradidissent, Antenori — fides servaretur.* Legendum videtur: *fidem dari, foedere firmari, iureiurando stringi, ut, si oppidum proxima nocte tradidissent, Antenori — fidem praestari liceat. Iureiurando stringi* esset dictum ut *iureiurando adstringi.* Citat Forcellinus in Lex. Cic. de Offic. III. 31: *ad stringendam fidem iureiudando.* Sed ibi omnes nunc legunt *ad adstringendam.*

propinq. et amicis cet.) M. et D. *propinquis cum eis qui una commorassent.*

sacra et bona) Iscan. 726: *dona insuper addunt, Et firmant promissa datis: nec Pergama tantum, Innumeras Asiae spondent cum civibus urbes.*

caput equi pictum) Innuit equi lignei fabulae locum dedisse caput equinum, quod portae Scaeae, quam Graecis Antenor aperuit, inscriptum fuit. Nempe ex Servio: *Ut alii porta, quam eis Antenor aperuit, equum habuit pictum.* *Daceria.* Sg. et C. *sculptum.* Iscan. 738: *Inscriptum Pegasi caput.* Henric. c. 91. fol. 171: *ein Thor, worüber ein grosses Rosshaupt war von Marmorstein.* Ad Iscan. haec adnotat Dresemius; „Hinc famosa illa historia de equo durateo, et venusti epigrammatis conclusio: *Carminis Iliaci libros consumpsit asellus: Hoc fatum Troiae est, aut equus aut asinus;* qua de re Polyaenus. Quidam ἵππον illum δουράτεον arietem, κριοδόκην scilicet fuisse volunt. v. Vitruv. de Archit. X. 18. Plin. VII. 5. Quidam strategema Ulyssis.“

ibi praesidia habere) i. e. praesidere ad portam custodiendi gratia, praestolari, praesto esse. Videtur traducta locutio ex Gr. φρουρὰν ἔχειν, custodiam agere. De eadem re c. 41; *noctu ad portam praesto fuerunt.*

exercitusque noctu p. res.) Malim omnino *exercituique* vel *exercituque.* *Daceria.* Sg. *eos noctu p. r.* C. *exercituique Argivorum p. r.* Recte se habet *exercituique*; nec tamen ideo sequens *eisque* mutandum esse in *eique*, ex notatis ad c. 6 init. efficitur. Cf. 41: *exercitui portam reseraverunt.*

lumen prolaturos) Iscan. 735: *fax igne sereno Visa viris: haec signa dabat.* — Mox M. D. et O. *eruptionis.* At cf. c. 41: *irruptionem facit.*

Cap. XLI.

facta renuntiat) Sg. *rem factam denuntiat.* C. *rem peractam denuntiat.* Mox pro *quibuscum actum* Sg. *quibus cautum.* C. *quibus placitum.*

fugae praesidium — postulaverunt) Iurata fide, haud opus fuit fugae praesidium postulare. C. *praevidere.* Sg. *providerunt.* Recte. *Suis omnibus* genere neutro ponitur, ut c. 40: *suaque omnia incolumia habere.* Verba *fugae praesidium* dudum fuere offensioni, ut ex libris liquet. Nam Sg. *fugae praesidio sibi suisque ut sit providerunt. Neoptolemus praesidium dat. Antenor eum in regiam ducit. Neoptolemus in regiam irrupt. facit.* et C. *fugam praesidio sibi suisque om. praevidere. Neoptolemus praesidium dat. Antenor eum in regiam duxit, ubi Troianis positum praesidium erat. Priamum persequitur.* Insolenter *fugae praesidium* dicitur pro: refugium, *Obdach, Zufluchtsort.* Si Dares non addidisset *fugae*, bene locutus esset; nam apud optimos

scriptores *praesidium* significat quodcunque auxilium, quod salutis causa petitur, tutelam, *Schutz.*

occurrit) Sg. *Aeneam incurrit.*

ad patrem) i. e. apud. Cap. 15: *qui cum A. ad Troiam fuerat.* 43: *ad tumulum patris.* Caes. B. G. I. 31: *qui ante fuerant ad Caesarem.* Res nota. — Iscan. 877: *Hanc* (Polyxenam) *thalamis, Hecuba tradente, paternis Dux Anchisiades absconderat.* Loco secreto eam occultatam esse, dicit Henric. c. 82 fol. 144.

in aede M. se tegunt) i. e. abscondunt. Cic. pro Rab. Post. 15: *quum etiam ferae latibulis se tegant.* Sg. et C. *in aedem M. se occultant.* M. et D. *Concordiae.*

Tota die et nocte Arg. non cess. vastare, p. asport.) Sg. et C. *Tota nocte.* Recte: nocte enim Troia capta; cf. praeterea c. 42: *Postquam dies illuxit.* Porro Sg. *devastare praedasque exportare.* et C. *devastare praedamque facere.* De verbo *devastare* v. ad c. 29. *Asportare* est ex loco in locum alium deportare; quia vero locus, in quem praeda asportata est, haud additur (Minervae templum fuisse, ex cap. seq. apparet), Dares melius scripsisset *comportare:* quali verbo utuntur Iscan. 856: *praeda omnis in arce Minervae Congeritur noctisque lucrum.* Virgil. Aen. II. 763: *Huc* (in Iunonis templum) *unde Troia gaza - congeritur.* Dict. V. 13: *ad coacervandum - materiam* cet.

Als die Stadt zerstört war, blieb sie wüste; und was nicht von den Griechen abbrannte, zerfiel von selbst allmählig, dass nur Unkraut da ist, wilde Thiere, Würmer und Schlangen. Henric. c. 92 fol. 173. Cf. Mitscherl. ad Horat. Od. III. 3, 40 sqq.

Cap. XLII.

eam se — partiturum) Sg. *ait se pariter cum om. partiturum satisque facturum.*

servari, quod) Sg. et C. *fidem servari, quod.* D. *quam,* omisso *fidem.* Non opus esse videtur vocabulo *fidem.* Iungas: an placeat, Antenori ceterisque servari id, quod confirmaverant, i. e. servari confirmatam antea fidem.

Ex. totus conclamat) Aiax interfici eos voluit, Henric. c. 82 fol. 145. scribit, licet apud eum Aiax bis iam occisus fuerit. v. ad c. 35. Scilicet variorum narrationes confundit. Apud Dict. V. 14. Aiax Helenam interfici iubet.

A. sepulcrum — donari) Sg. *Achillem sepulturae reddi, Helenum effecisse.* C. *Achillemque suasu Heleni sepulturae conditum esse.* Fuitne *Achillem sepulcro — condi?* ut loquitur Ovid. Met. VIII. 234. Dict. Prolog. Cf. ad Dict. IV. 8. n. cr. Sed interpretationes hae esse videntur. *Sepulcrum* ponitur pro busto, tumulo; atque *donare alicui sepulcrum* dicitur ut Iust. XI. 6: *Eos, qui cecidere, statuis equestribus donavit.* Cic. in Pison. 11: *donare aliquem statua.* Usus autem infinitivi *donari* pro, donandum esse, insolentior est. — De re cf. c. 34.

libertatem dedit) Sg. et C. *reddidit.* Recte. Infra: *libertatem reddi. Reddere* saepe ponitur pro simplici dare. Cf. Brem. ad Nep. Hamilc. 2 p. 316 sq. et nos ad c. 16.

om. restitui, praedam omnem aeq. dividi: host. et v. solvere, et quando cet.) Ita M. D. et O. Sed Sg. *divisit. cuncti eum collaudaverunt. diis hostias et vota solvunt. quando deb. d. rev. constituunt.* et C. *Interea praedam omni exercitui divisit, diis gratias egit, hostias immolavit, et quinto die statuit iter pergere.*

hostias et vota solvere) *Vota solvere* nota formula est: contra inauditum *hostias solvere.* Sed hoc quoque per figuram defenditur, quod grammatici zeugma vocant.

Cap. XLIII.

recessionis) Sg. et C. *profectionis.*

ex augurio respondit) Idem c. 15 et 30. Sic Sg. In cett. om. *ex augurio.*

Agamemnonem poscit) i. e. ab Agamemnone eam poscit. Sg. *Agamemnon.* Idem mox *incusat.* Iscan. 876: *Frendet Phrygiosque lacessit efferus.*

perquirat eam) Infra: *et diligentius perquirit.* In his *perquirere* est quaerere, *aufsuchen*, vel potius per omnia loca quaerere. Ovid. Met. III. 3: *Quum pater ignarus natam perquirere Cadmo imperat.*

ut, quum primum cet.) Sic totum locum refinxi ex Sg. Vulgo: *utque primum Arg. proficiscantur, Polyxenam, ut absc. invenit, ad Agam. adducit.*

iugulat) Henricus ita narrat: *Pyrrhus erbarmte sich des unschuldigen Mädchens und wollte sie mit Gewalt wegnehmen. Aber Calchas sprach, dass sie dann nicht wegfahren könnten. Polyxena erklärte ihre Unschuld, wollte aber doch lieber in ihres Vaters Land sterben, als in einem fremden Land. Da tödtete sie Pyrrhus und schlug sie in Stücke und besprengte seines Vaters Grab um und um mit ihrem Blut. Das sah die Mutter Hekuba und wurde vor Leid unsinnig, wüthete wie ein wahnsinniger Hund und biss, wen sie möchte, und warf um sich mit Steinen und traf den einen hie den andern da. Da fingen sie die Griechen und versteinten sie in einer Insel, die hiess Aulida, und machten ihr ein herrlich Grab und nannten die Gegend nach dem Grabe.* Haec Hecubae fata ex Dictye immutata videntur.

Antenori terram tradit) v. ad Dict. p. 477 et 479.

Cherronesum petunt) Iscan. 895: *Cernusium Cassandra petit.* Falsum est, quod adnotat Dresemius: „Dares Cherronesum; ex quo liquet, alio libro Iosephum nostrum esse usum.“ Nam *Cernusium* corruptum est ex *Cherronesum;* qualem sortem alia quoque nomina ab Iscano tulerunt.

Cap. XLIV.

cum Antenoris factione remansit) De hac re cf. Praefat.

mensibus sex) ex C. et Henric. c. 92 fol. 173. scripsi. Sg. *septem.* Cett. *octo.*

Ad Tr. ruerunt) C. *corruere.* *Ruere* saepe dicuntur, qui certatim et magno numero confluunt. v. Forcellin. Lex.

DCCCLXXXVI) M. D. et O. DCCCVI.

usque ad oppidum proditum) M. D. et O. *ad oppidi proditionem,* om. *usque.* Intellige: Hic est numerus militum Graecorum Troianorumque, quos quisque ab initio inde belli usque ad finem deinceps ascitos in exercitu habuerunt.

DCLXXVI) M. D. et O. CCLXXVIII.

numero XXII) cf. Iscan. 882. Henric. c. 85 fol. 151.

tria millia et quadringenti) M. D. et O. *et trecenti.*

Daretis) Sg. et C. addunt: *perscripta fuit.*

Subiicitur in C. ducum Troianorum Graecorumque ad Troiam occisorum census, non a Darete, sed ab homine posteriore institutus, hic: „Qui Troianorum Graecorum principes occidere, denotantur. Hector Protesilaum, Patroclum, Merionem, Boëtem, Archilochum, Protenorem, Deipenorem, Dorium, Polixenum, Phidippum, Xantippum, Leonteum, Polibaetum, Carpedontem, Lepodemon, Luforem, Epistrophum et Schedium, Maimentum, Palamonem. Aeneas Amphimachum, Nireum. Alexander Palamedem, Antilochum, Aiacem. Aiax Thelamonius et Alexander mutuis vulneribus se occidere. Qui etiam Graecorum Troianorum duces occidere, literis subter notantur. Achilles Euphenium, Hippotum, Plebeum, Asterium, Liconium, Euforbium, Hectorem, Memnonem. Neoptolemus Pentesileam, Priamum, ad tumulum patris Polixenam iugulavit. Diomedes Xantippum, Mnesteum, Epistrophum, Orcomeneum."

INDEX HISTORICUS.

A.

B.

C.

D.

R.

S.

INDEX LATINITATIS.

Littera A designat Adnotationes.



Digitized by Google